Digitized by Google

Digitized by Google

3-3 364

Digitized by Google

3 - 3 - 36h
A

Digitized by Google

Digitized by Google

3-3-364

Digitized by Google

Digitized by Google

CONRADI SAMVELIS SCHVRZFLEISCHII EPISTOLAE SELECTIORES,

NVNC

SINE LACVNIS,

CVM

MEMORIA AVCTORIS

EDITAE AC PROMVLGATAE.

VITEMBERGAE,

APVD GODOFR. ZIMMERMANNVM,

A. cIɔIɔcc XII.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO, ET GENEROSISSIMO

DOMINO,
DN. NICOLAO,

LIB. BAR. ET S. R. IMP. BANNERESIO

A GERSDORF,

DYNASTAE BARVTHI, HENNERSDORFII, BRETINGAE, BVCHWALDAE, RACKELII, HAVSWALDAE, KRACKEVIZII, BERTHELSDORFII, ET KEMNIZII, ETC. ETC.

IN CONSILIO SANCTIORI

FRIDERICI AVGVSTI, POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS, ET SAXONIAE PR. ELECTORIS SERENISSIMI, MODERATORI EMINENTISSIMO, ET MARCHIONATVI LVSATIAE SVPERIORIS PRAEFECTO EXCELLENTISSIMO;

VT ET

ILLVSTRISSIMO, AC GENEROSISSIMO

DOMINO,

DN. OTTONI HENRICO

LIB. BAR.

A FRISEN,

DOMINO ROETHAVIAE, IESCHVIZII, ET RVBENAE, ETC. ETC.

FRIDERICO AVGVSTO, POTENTISSIMO SARMATARVM REGI, ET SERENISSIMO SAXONVM PR. ELECTORI, A CONSILIIS SANCTIORIBVS, ET CANCELLIS:

DOMINIS SVIS GRATIOSISSIMIS, AC MAECENATIBVS RELIGIOSISSIMO MENTIS CVLTV PROSEQVENDIS,

HAS

C. S. SCHVRZFLEISCHII EPISTOLAS

OFFERVNT

I. W. M. ET G. Z.

ILLVSTRISSIMI, ATQVE EXCELLENTISSIMI

DOMINI;

PATRONI SVMMI, LITERARUM, OMNISQUE DOCTRINAE MAXIMI STATORES,

EXhibemus Vobis faſciculum epiſtolarum, a C. S. SCHVRZFLEISCHIO, Viro in orbe literato admodum celebri, confectarum, eumqve ſanctiſſimis Veſtris Nominibus ſubmiſſa animi veneratione conſe-

cramus, partim ut Vobis teſtatam faciamus animi noſtri religionem, qva Meyeriana familia Vobis eſt devincta, partim ut hae epiſtolae eos in primis in ſui patrocinium advocent, ad qvos maximam partem exaratae fuerunt, qvibusve proprio veluti iure prae aliis competere videntur. Magna in illis GERSDORFII, ac FRISIORVM Nomina, et, niſi religioſiſſimo mentis cultu, non compellanda, multoties conſpiciuntur: Vobiscum eruditiſſimus, ac prudentiſſimus auctor per hoc commercium literarium de gravisſimis argumentis, cum primis et ſtatum patriae communis publicum, ac tunc temporis Gallorum aſtutiis graviter attritum, et rem literariam attingentibus, egit, ſuaqve conſilia, qvae ubiqve exqviſitam prudentiam, ac ſummam iudi-

iudicandi facultatem oſtendunt, aperte communicavit, et, qvid Vos de reipublicae communis pariter, ac literariae, conditione ſentiretis, ſolicite a Vobis, tanqvam Viris rerum publicarum peritisſimis, perqviſivit, ac prudenter exploravit; Vobisqve tandem pro beneficiis maximis, ac honoribus ſummis, a POTENTISSIMO PR. ELECTORE SAXONIAE, auxilio, patrocinioqve Veſtro impetratis, ſolennem gratiarum actionem perſolvit, Veſtrumqve eruditis inſerviendi promptum animum iuſtis elogiis cohoneſtavit. Qvid dicamus de epiſtolis, pariter hoc volumine contentis, qvas Cl. auctor dedit ad illuſtrisſimam Feminam, CATHARINAM HENRIETTAM GERSDORFIAM, ex pervetuſta FRISIORVM gen-

cramus, partim ut Vobis teſtatam faciamus animi noſtri religionem, qva Meyeriana familia Vobis eſt devincta, partim ut hae epiſtolae eos in primis in ſui patrocinium advocent, ad qvos maximam partem exaratae fuerunt, qvibusve proprio veluti iure prae aliis competere videntur. Magna in illis GERSDORFII, ac FRISIORVM Nomina, et, niſi religioſiſſimo mentis cultu, non compellanda, multoties conſpiciuntur: Vobiscum eruditiſſimus, ac prudentiſſimus auctor per hoc commercium literarium de gravisſimis argumentis, cum primis et ſtatum patriae communis publicum, ac tunc temporis Gallorum aſtutiis graviter attritum, et rem literariam attingentibus, egit, ſuaqve conſilia, qvae ubiqve exqviſitam prudentiam, ac ſummam iudi-

iudicandi facultatem oſtendunt, aperte communicavit, et, qvid Vos de reipublicae communis pariter, ac literariae, conditione ſentiretis, ſolicite a Vobis, tanqvam Viris rerum publicarum peritisſimis, perqviſivit, ac prudenter exploravit; Vobisqve tandem pro beneficiis maximis, ac honoribus ſummis, a POTENTISSIMO PR. ELECTORE SAXONIAE, auxilio, patrocinioqve Veſtro impetratis, ſolennem gratiarum actionem perſolvit, Veſtrumqve eruditis inſerviendi promptum animum iuſtis elogiis cohoneſtavit. Qvid dicamus de epiſtolis, pariter hoc volumine contentis, qvas Cl. auctor dedit ad illuſtrisſimam Feminam, CATHARINAM HENRIETTAM GERSDORFIAM, ex pervetuſta FRISIORVM gen-

te prognatam, qvae etiamnum in perenne ſexus feminei ornamentum floret, et cum eruditisſimis feminis, immo cum ipſa PVLCHERIA, in praeſtantisſimis hiſtoriarum monimentis, ob eximiam politioris literaturae cognitionem inſigni, iure, meritoqve poteſt comparari? Praeterea eam ob cauſam, ILLVSTRISSIMI DOMINI, has SCHVRZFLEISCHII epiſtolas Vobis dedicavimus, ut publicum exſtaret grati noſtri erga Vos animi monumentum. Saxones enim ſumus, et in Saxonia civitatis iure gaudemus. Peccaremus ergo in boni civis officium, niſi Saxoniae noſtrae Atlantes, Patronos, ac Defenſores noſtrae familiae, qvae ab invidis, et malevolis ſubinde lacesſitur, prae ceteris eligeremus. Accipite igitur benevo-

vola mente, SVMMA NATIONIS SAXONICAE FVLCRA, ET CVLVMINA, hoc exiguum munuſculum, qvod Vobis devotisſima animi ſubiectione Meyeriani heredes offerunt, ex eoqve ſingularem venerationem, qva noſtra Vos familia proſequitur, cognoſcite, qvae ex hac ſolenni conſecratione nullum aliud emolumentum qvaerit, qvam ut pro eadem contra iniqvisſimas hoſtium qvorumvis machinationes propugnetis, Veſtroqve Patrocinio in poſterum, qvod ſanctum omnino, ac venerabile a qvibusvis Clientibus habetur, illam ſublevetis. Qvod reliqvum eſt, vivatis diu, ac floreatis, ILLVSTRISSIMI DOMINI, et in ſeros annos Potentisſimi AVGVSTI imperio ſubiectis, ac rei literariae, ſigillatim vero Veſtris

 po-

poſteris, aeterna cum gloria interſitis, et in illis per longiſſimi temporis decurſum Veſtram imaginem, negotia Saxoniae ſanctiora moderantem, recognoſcatis.

VESTRORVM ILLVSTRISSIMORVM,
AC GENEROSISSIMORVM

NOMINVM

OBSEQVENTISSIMI CLIENTES,

VITEMBERGAE SAX.
IV KAL. OCTOBR.
cIↃ IↃc XCIX.

IO. GVIL. MEYERVS,
ET
GOD. ZIMMERMANNVS.

LECTORI
S. P.

E*Piſtolae, qvas in praeſens cum orbe literato multorum rogatu communicamus, auctorem agnoſcunt celeberrimum Virum, et in omni eruditionis genere verſatiſſimum, C. S. SCHVRZFLEISCHIVM, qvas ideo diutius conſpectui eruditorum ſubtrahere noluimus, qvoniam in illis multa continentur, qvae faciunt ad Patriae ſtatum, ſuperiorum inprimis annorum, exqviſitius cognoſcendum, qvaeve ſubinde curioſis lectoribus ſuppeditant, qvid ſtatuendum ſit de viris, noſtra aetate cum rerum civilium cognitione inſignibus, tum variae eruditionis gloria maxime claris. Non inficiamur qvidem, qvasdam voces reperiri in his literis, qvae aureum latinitatis ſaeculum redolere non videantur: ſed ſcias, humaniſſime Lector, auctorem, exqviſitiſſimum ceteroqvin germanae latinitatis artificem, nunc vero ob muneris rationem, qvod ſuſtinet, graviſſimis negotiis diſtrictum, huic epiſtolarum collectioni ultimam non admoviſſe manum, ac praeterea ſcribendi genus, qvod maximam partem publicas res complectitur, nullum altum exprimendi characterem reqviſiviſſe. SCHVRZFLEISCHII nomen Tibi probe erit cognitum, ac reliqva eius ſcripta, incomparabili prorſus eruditione referta, ac veterum*

more

more confecta, haud qvaquam notitiam tuam effugient. Idcirco nulli dubitamus, te prudenter omnia in benigniorem partem interpretaturum eſſe, qvae qvodammodo a Veterum norma recedere videantur. Ordinis rationem eam obſervavimus, qvam nobis anni, et menſes ſuppeditarunt, poſtbabita muneris, dignitatisqve ampliſſimae conſideratione, qva praeter ceteros illi in luce publica, ac huius mundi theatro eminent, ad qvos fuerunt exaratae. Cognoſces omnino ex his epiſtolis divinioris animi indolem, qvae admodum mature in SCHVRZFLEISCHIO eluxit, et exqviſitum ſcribendi genus, qvod ne primis qvidem annis, publicae functioni admotus, potuit celare. Laudantur ab eruditis epiſtolae, a Rolando Mareſio, celeberrimo Gallo, conſcriptae, qvoniam in illis auctor ſtudeat germanae latinitatis nitori, ac praeterea de rebus, ad ſtatum ſui temporis publicum, reiqve literariae, pertinentibus, agat, et non raro de ſcriptoribus, qvi temporibus antiqviſſimis, patrumqve noſtrorum memoria eruditionis laude inclaruerint, paullo liberius diſſerat. Profecto non minorem eruditorum applauſum elicient Cl. auctoris noſtri epiſtolae, cum non ſint ſteriles, rebusqve deſtitutae; ſed comprehendant multa, eaqve prorſus exqviſita, qvae ſuperiorum hiſtoriae annorum lucem afferunt, et curioſis lecto-

lectoribus arcana ſolidioris eruditionis pandunt, et tandem Mareſianas ſtyli elegantia, ſcribendiqve concinnitate, longe, multumqve vincunt. Sapienter iudicavit Deſiderius Eraſmus, rem eſſe maximis periculis involutam publicae luci vivum committere eas epiſtolas, qvae exprimant doctorum virorum mores, mentiumqve characteres: eamqve ob cauſam notat Bernardum, religioſiſſimum illum ſodalitatis ſuae regulum, qvod, nondum mortalium numero exemptus, ſuas epiſtolas in publicum prodire permiſerit: at enimvero confeſtim eos auctores prudenter excuſat, qvorum ingenii monimenta, cum aliis apertius communicata, vel ipſis dominis invitis prodeant, ac publico doctorum conſpectui exponantur. De induſtria ceteroqvin, qvo melius magnorum virorum honori conſuleremus, multorum nomina expunximus, qvod in Scaligerianis, et Caſaubonianis, qvarum clavem eruditis ſuppeditavit Paullus Colomeſius, factum qvoqve eſſe animadvertimus; qvoniamqve exiſtimavimus, ex diligenti epiſtolarum evolutione facillime eos viros, de qvibus paullo liberius pronuncietur, detegi, ac clare auctoris mentem internoſci poſſe. Vale, Benevole Lector, tuaqve benevolentia bibliopolas complecti ne dedignare, et ab ampliſſimo auctore in poſterum alios poſt alios excelſiſſimi ingenii foetus expecta. Vitembergae, IV. Kal. Octobr. cIↄ Iↄc XCIX.


PRAE-

PRAEFATIO ALTERA.

REdeunt ad te noua facie C. S. SCHVRZFLEISCHII epiſtolae ſelectiores, ſub proximi exitum ſeculi primum publicatae. Etſi autem eaſdem plane uides literas, quas, primo indutas habitu, huc usque cognoſti: tamen non dubitamus, quin iterum nunc editas magis ſis probaturus. Audiuimus enim ſaepe, et inuiti audiuimus, multorum de omiſſis multis magnorum Virorum nominibus querelas. Hiſce nullum amplius locum ſupereſſe uoluimus, qui id dederimus operam, ut, epiſtolis primum euulgatis cum codice Auctoris MS. collatis, cum nomina Virorum redderemus omnium, tum alias quoque lacunas ſuppleremus. Qua ex re ſicut multum affuſum lucis, ita plus ſimul gratiae conciliatum operi putamus. Praeterea, non iniucundum tibi fore, ſperauimus, BENEVOLE LECTOR, ſi eadem opera memoriam Polyhiſtoris tecum communicaremus, a Cl. Succeſſore tabulis funebribus accurate, luculenterque expreſſam. Vale iterum, LECTOR BENEVOLE tuaque me, tibi deuotum, beneuolentia complecti ne deſiſte. Vitembergae, VI Kal. Octobr. A. cIↄ Iↄcc XI.

G. ZIMMERMANNVS.
C. S.

3-3-364 VIII





Enum ex auro fulget SCHURZFLEISCHIUS ore,
Qui meritis orbem, sidera mente capit.
Mascula magnanimo spirans sapientia vultu
Haud alibi sedem vellet habere suam.
Facundo Romanas hic exprimit ore Sorores,
Majorum ut credas fronte referre Patrem.
C. Thomasius.

C. S. SCHVRZFLEISCHII EPISTOLAE.

I.

ADAMO CHRISTOPH. IACOBI, IC. Dresd.

SVmma inſtituti haec eſt: Peto munus extra ordinem mihi decernendum, nec penſionem eo nomine flagito, aut minimam ſtipendii partem. Qvo animo cum ſim, facile cauſam petitionis tibi licebit approbare. Laboro de Hiſtoria rerum Saxonicarum, & angor de ſubſidiis eo comparandis. Opera haec ſumptus flagitat et patronos. Spero autem, Friſios mihi non defuturos, effecturosqve gnaviter, ut ſalarium hoc nomine conſtituatur, qvemadmodum antea Praetorio evenit, ſtipendio Principis ad hanc operam conducto. Specimen vitae Io. Georgii I. ab illo effectum vidi; ſed nihildum perfecit. Si eius rei cauſa certior fiam, ibo in patriam, et rem librariam, annales, qvos reliqvi, chronica, manuſcripta huc devehenda curabo. Fructus qvoqve apud Proceres redundabit, ut quibus deſtinem, praeſertim Ill. Friſiis, qvod VVippo olim Conrado, noviſſime

ſime Peireſcio ſuo Gaſſendus. Hoc referas de me, velim, et, ut ſoles, honorifice commendes. Vitembergae Saxonum, d. XIII. Ian. cIↄ Iↄc LXXI.

II.

IO. GEORGIO BOERNERO, IC. DRESD.

ADmodum doleo vicem optimi patris. Precor, ut qvam primum convaleſcat. Atqve id ex animo precor. De ſtatu meo ſcias, laborare de profeſſione Politices extra ordinem mihi aſſignanda. Salarium non expecto, ſi munus, qvod Praetorius geſſit, conſeqvi liceat. Si non liceat, aliqvid tamen ſalarii abnuere non poſſem. De qvo moneas conſultiſſimum virum D. Iacobi. Nunciatur mihi Berolino, Dreierum Syncretiſtam ſic male rem gesſiſſe, ut carceri ſit incluſus, cum elabi fuga voluiſſet, omniumqve P. O. odia conflaviſſet. Interim ſalutaris a convictoribus, a me rogaris, ut conſerves priſtinam benevolentiam ac amorem, et inſtes apud Lycurgum, cauſam ut meam agat: qvo nomine aeternum illi me debitorem profitebor. Vale. Eidib. Ian. cIↄ Iↄc LXXI.

III.

Ad N. MITTERNACHTIVM.

DE propenſa tua in me voluntate valde gratias ago, et valde gaudeo, talem te genuiſſe filium, qvem patriae honori futurum ſpero. Erit tempus, cum declarabo pietatem, et cultum, vel ea de cauſa, qvod, conciliato illuſtri et in ſecuit

glo-

gloriam nato Seckendorfio, multis me et luculentis officiis tibi devinxiſti. Vtinam aliqvid habeam, qvo demereri poſſim principem nobiliſſimi ordinis, decus noſtri aevi, exemplum futuri. De filio habeas, praeclaram eius indolem, et rectos mores non poſſe mihi diſplicere. Hiſtoriam, et bonas literas a me auctore percipiet, prudentiam iuris hauriet a iureconſultis. Expectabit, ſi pergat, pretium laboris. De munere, qvod impertitus es, gratiam prolixiſſimam, cum gratia obſeqvium aeternum ſpondeo. Vale. Kalend. Febr. cIↄ Iↄc LXXI.

IV.
HENRICO L. B. A FRISEN.

SOlum te, fratremqve tuum aetas noſtra tulit, qvos literae noſtrae admirantur, aeſtimantqve id altius exteri, et, crede mihi, Domine, nuper Oxonienſes, ac proxime Guldenſtiernius apud Svedos. De Cimbris nihil addo, qvi confitentur ultro, et laudant tuum erga advenas affectum, et colunt nomen, et praedicant dotes rariſſimi exempli. Neqve vero ego exprimere ipſe poſſum, qvantopere indulſeris mihi. Nempe ita DEVS voluit, ut redderes, Henrice, divum illum Henricum, divum, dico, patrem tuum, cuius merita in Saxones repeto identidem, et, cum ſcribere non poſſum, veneror iuxta, admirorqve. Ingeneratus ab eo vigor tibi, et fratri, et experiendo ſic auctus in poſterum eſt, ut non imitandi cauſas relinqueret, ſed obſtupeſcendi. Iuvenis eras, cum

cum ſenilem prudentiam oſtenderes, et agendi dexteritatem comitiis probares, et confirmares adeo Caeſari, atqve ſenatoribus univerſis, non annis, ſed origine qvadam divinior, metiendas eſſe virtutes tuae gentis. Iamqve his rebus admoneor, qvi ſis in ſanctiore aetate illa, qva ex ſummo faſtigio aſpicis omnia, et feliciſſime moderaris. De me ſcias, iterum eſſe velle materiam tui favoris, et gratulari, ſi facias, ut augear honore. Implebis menſuram, ſi addas beneficium, potentiſſimi Saxonis, ac tua, fratrisqve gratia definiendum. Fructus ad DEVM, Principem, vosqve, inclutisſimum par, redundabit. Acqvieſce his, Domine. Pietatem omnem ſtylus non capit. Latent quaedam, ut religioſiori affectu in poſterum exerantur. Eidib. Mart. cIɔ Iɔc LXXI.

V.
IO. GEORG. BOERNERO,
IC. Dresd.

OMnia honore tuo, etiam abſentis, hic reſplenduerunt. Inter tot plauſus ego vile carmen ſcripſi in tuum honorem. Peto, animum ſpectes aeterni clientis. Literas ad illuſtrem curiam veſtram miſi ſimpliciter ſcriptas, et ut innoteſceret de inſtituto. Dicas pro me, et impleas denuo patrocinii menſuram. Nitar, ut officio, atqve pietate gratum me oſtendam, obſervantiamqve meam tibi perpetuam, et ſancta lege confirmem. Vale, et clienti tuo, ut ſoles olim, fave. Eid. April. cIɔ Iɔc LXXI.

VI.

VI.

HENRICO L. B. A FRISEN.

Accipe denuo literas, vel uno capite finiendas. Spectat id ad Coloniae Agrippinae ius, atqve origines antiqvas. Primo a Romanis occupatus ille tractus, iactaqve urbis fundamenta, ſive, ut perfugium eſſet Romanis, ſive, ut frenum noſtrae gentis. Inde a Francis Teutonibus occupatus, et feliciter vindicatus noſtrae genti. Ad Gallos pervenit non qvodam Gallicae nationis iure; ſed beneficio Principum Germanicae ſtirpis. Diviſum ab his, inutili exemplo, imperium, qvod ſub uno capite ſtare potuiſſet. Separata ita, ſive facto, ſive imprudentia hominum, Francia occidentali, diſpar antiqvae Franciae Teutonum fortuna fuit. Fractae, ac deminutae veteris imperii vires, et iſta, qvondam a noſtris ſubacta, Gallia ſurgere ambitioſius, ac niti ad exitium Franciae Germanicae coepit. Primum in Carolo Calvo ſpecimen. Is aſtu, et pecunia uſus eſt ad anteferendum Germaniae imperatorium decus. Iam collabi ſenſim dignitas Franciae orientalis, amplificari contra Galliae honor, et creſcere cum dominatione opes, triſte noſtris ſpectaculum videbatur. Hinc diſſidia erumpere, atqve aemulationes. Franci, qvi in Galliam conceſſerant, domicilioqve ibi collocato, et facta partitione conſederant, Neuſtrici dicebantur. Sed nulla deinde ſpes Francis ſecundae ſtirpis reſtabat. Vnum in Saxonibus perfugium erat noſtrae nationis,

nis, ac praeſidium. Evectus ad regnum Germaniae Henricus Auceps, iam tum proludebat felicitati Germanorum, relicto ad ſucceſſionem filio Ottone. Atqvi vero hic et praeſentibus intentus, et praeteritorum memor, et futurorum providentiſſimus erat. Prima cura, vindicare antiqvum decus, et repetere ſuae genti imperium in Romam, ac reſtituere amiſſa. Inſigne tanti laboris exemplum reddita Germanis Colonia, reſtaurati patriae fines. A Karolenſibus Galliae, ab Ottone Germaniae regno innexa eſt, idqve non tam auſpicio novo, qvam renovato. Adeo debet illa civitas ius Germanicae civitatis Ottoni, qvo per ſeptem usqve ſecula gloriantur Germani. Ceterum ab eo tempore, qvo denuo contineri Germaniae finibus coepit, in ditione Praeſulum, et qvidem ab aevo Brunonis inde, Ottonis M. fratris, fuit. Seculo primum XIII. dignitas ordinis atqve libertas parta. Haec ſcribere, Domine, volui. Aeſtimabis inde obſeqvium meum. April. XX. cIↄ Iↄc LXXI.

VII.

EIDEM.

REdeo ad illud ſcribendi argumentum, qvod nuper cepi, et qvaero ſcribendi occaſionem, ſi vel maxime non habeam. De ordine divi Georgii, qvi nobis nuper ſacrum fecit, non pauci fabulas tradunt. Alii ad ineptias perveniunt ſaepe, et, neſcio qvid, ſuſpicantur ex vano. Doctores Angli inſtitutum repetunt ab Eduardo III.

Ille hanc gratiam Georgio, qvi memoratur Angliae patronus, referre voluit, pro captu ſuperſtitioſi aevi, ut cui id ſe debere intelligeret, qvod tantam Gallorum edidiſſet ſtragem. Bellum pulcherrime deſcribit Ioannes Froſſardus, ſed interdum Gallis ſuſpectus. De ritu tamen iſto nihil memoravit. Ex aliis tamen monumentis id colligo ſatis, aeſtimoqve. Faceſſant itaqve, qvi originem referunt ad ſolenne ludicrum, auſpicio ordinis, qvemadmodum cenſeo, indignum. Sed vero rem hanc iudicio maiori permittam, id eſt, tuo. Apr. XXII. cIↄ Iↄc LXXI.

IIX.

EIDEM.

PRoximis literis denuo experiri volui inuſitatae tuae gratiae exemplum. Annue conatibus, Domine, et aeſtima propoſitum honeſtum. Si qvid valent literae meae, immo, ſi qvid habent dignum hac luce, promere geſtiunt ad gloriam tuae gentis. Eſt mihi ſane ſanctum nomen tuum, et honos ad poſteros praedicandus. Labor, curae, vigiliae omnes ſpectant ad ſalutem literaturae melioris. Vindicat te ſibi reſpublica noſtra, et obſequio devincit. Neqve id ſatis eſt. Etiam Muſae noſtrae ſupplicant pro tua incolumitate. Acquieſce pietati, et reſpice animum, et ſtatue de tuo cliente, prius mori velle, qvam committere, ut tua, quae in me extant, merita ſilentio, et oblivione deleantur. De rebus civilibus, ſi nolles indignari, ſentirem, pacem, qvae iam coa-

leſcit, Hoxteranam tegere, mox erupturi materiam belli. Olfaciunt Gvelphi dolum, et, Batavorum exemplo, parum tribuunt fidei bellicoſi praeſulis Veſtphalorum. Neqve tanti apparatus ad compeſcendam unice Hoxteram pertinuerunt. Conductus Gallico auro praeſul, non eſt qvietis patiens, et novas molitur turbas. Gvelphis ex Batavia Mercurius ſpirat, et nuncium affert non ingratum. Antiſtes Vbiorum repoſcit Rheinbergam, Traiectum ad Moſam pro ea parte vindicat, qva debetur Praeſuli Leodienſi. Atqve ea nuper cauſa Batavis conſultandi de *Clericis* inde exturbandis, qvod vererentur, eos tempore obſidionis proditores fore. Sed tandem igneum conſilium prudentia temperatum: relicti *Clerici.* Nempe vix habent Batavi, cui fidant. Angli ex animo non cupiunt bene, et, ſi cupiunt, metu id creſcentis Galli accidit; non amore Batavorum. Gallus iam id agit, ut deſtruat ſocietatem Indiae orientalis. Illa India occidentalis iam tum nutat. De aliis alio tempore, ſi non diſplicet, perſcribam. D. XXIV. April. cIↃ IↃC LXXXI.

IX.

SAMVELI HVNDIO,

IC. ET CONSIL. DRESD.

SAepe ineo rationes tuorum in me meritorum, praeſertim hoc tempore, qvo literae noſtrae fautoribus egent, et, nudatae praeſidio, auxilium poſcunt, laborantes diu, aut verius labentes. Age, ſer-

ſerves illum affectum, et pertendas hunc ad modum patrocinari. Boineburgius per bibliopolam indicavit, recte ſe ſentire de meis. Atqvi vero is erat, qvi maxime ſtabat pro Boeclero, cum inter hunc, et me lis verteret in parte civilium iudiciorum. De auctoribus rei librariae nuncio, editam noviſſime eſſe Danielis Bartoli hiſtoriam Anglicanam. Laudarem opus, ſi ſcriptor affectus nimios, atqve ſtudia partium poſuiſſet. Kircheri Latium mirifice delectavit, idqve ob icones, atqve curioſitatem. Dignus liber, qvi legatur cum illo Andreae Schotti de antiqvitatibus Puteolanis. In rebus morum prodidit induſtriam Andreas a Matre DEI, qvem demum his nundinis Francofurtenſibus accepi. Sed longe placent prae eo Dominicus Soto, et Vaſqvinus. De Oldenburgero nihil reperi novum. Fortaſſe exhauſti ſunt loci illi communes. Proxime intuenti Limnaeum eius occurrebat error de expeditione Romana, qvam Limnaeus recte repetit a Carolingis. Errat vero, dum legem, de ea ſcriptaqve conſtitutione vindicat Carolo III. Silet Oldenburgerus, alibi loqvitur, cum ſilere potuiſſet. Repugnat tempus, repugnant acta temporis, repugnat ſtylus iſtius. Vnum miror, qvod Marqvardus Freherus in eadem fuerit opinione, in commentario alioqvin egregio ad hanc conſtitutionem. Ceteroqvin exiſtima, haec dum ſcriberem, amoris atqve obſeqvii ſignificationem dare voluiſſe. D. XXV. April. cIↄ Iↄc LXXI.

X.

HENRICO L. B. A FRISEN.

REddam, ſi placet, de arte ſimulandi, aut, ſi mavis, de *Syncretiſmo* civili. Exercet in hoc genere induſtriam ſuam Elector Brandenburgicus. Non deſunt, qvi ſuſpicantur, inſtigaſſe Monaſterienſem, faceret bellum, et vindicaret Hoxteram. Conſilium eo valuit fortaſſe, ut inferiorum Saxonum diſtineret vires: revera, ut occultam expleret iram, ſive ob Regenſteinium, hactenus interceptum, ſive, ut in ſpeciem gratificaretur Gallo, cuius ſurgentem in finibus Veſtphaliae potentiam veretur. Nam, ſi Gallus in Belgio claſſicum canat, haeſitare poteſt Cliviae felicitas. Neoburgicus curabit res ſuas: Colonienſis ſaltem anceps erit: Monaſterienſis regetur potentioris nutu: Batavi habebunt, qvod ipſi agant in ſua cauſa. Atqve iſthaec ratio eſt, qvod hoc tempore qvidvis malit, qvam offendere Gallum. Sed durabunt, opinor, illae artes, donec ipſarum auctor. Viderint ſucceſſores, qvid agant. Pruſſia iam diu male affecta eſt. Summa iſta poteſtas multis inviſa, et difficilis, ut ita dicam, bolus, et heredibus aegre concoqvendus. Adhuc muſſant Poloni ob Kalcſteinii captivitatem. In Pomerania ulteriori Svedos vicinos habet, non amicos. Et vero unum hoc addo de Svedis. Qvod Brandenburgicus in Saxonia, id ipſi in Moſcovia moliuntur. Conflatum artificioſe bellum civile: incitatus Patriarcha Raezinus, ſpe dominationis illectus.

ctus. Vtrisqve iniuria a Czare illata, impenſe exaggerata, atqve occaſio oſtenſa ultioni. Nempe hanc ſcenam inſtruunt ſaepe. Ego vero tibi, Domine, adorno inſtrumenta pietatis atqve obſeqvii aeterni. D. XXVII. April. clↄ Iↄc LXXI.

XI.
EIDEM.

QVo loco res noſtrae proxime fuerint, haud dubie habes compertum. Imminebat incendium aedibus Zieglerianis; ſed cura, induſtriaqve hominum reſtinctum fuit. Quo nomine et DEO ſupplicamus merito, et ſperamus inpoſterum fortunatiora. De rebus Vngaricis conſtat, Nadaſtium, Serinium, Frangepanium, Comites, et Boniſium Nobilem, capite mulctatos. Alii conqviruntur: multi iam dum poſtulantur perduellionis. Nagy Ferenz veniam ſperabat: impetrare non potuit. Tattenbachii ſupplicium differtur, ut horribilius reddatur. Sed, qvicqvid huius ſit, ſupplicium irrogatur paucis: periculum forte ad Ordines Hungariae univerſos pertinebit, Caeſare ex ſucceſſu fiduciam capiente. Peccaverunt Purpurati qvidam, iiqve maxime Catholicis ſacris addicti, et digni adeo, qvi luant poenas. Verum, qvae vis dominationis eſt, fas nefas aeqve habet, ſiqve legibus non poteſt, armis experitur. Vindicatur in Lutheranos, qvod vindicari oportuit in ſuos auctores. Poſonii, atqve Sempronii Evangelici conſules loco moventur: *Pontificii* ſubſtituuntur. Ferme eodem momento *Sileſia* ingemiſcit

ſuae

ſuae ſorti, praevidetqve impendens malum: providere non poteſt. Qvod ſuperiore anno cIↄ Iↄc LXIX. in animum Caeſari revocabat, iam denuo excidit. Hic mutantur privilegia: illic abolentur. Si qvid legibus imperii cautum, ut cautum Sileſiae pactione Osnabrugenſi eſt, oblivione ſopitur, deleturqve. Ita ſerpunt exempla. Qvod in Gallia Hugonotti, id in Caeſaris ditionibus brevi Evangelici patientur. Hae altae dominatus radices, unde multa pullulant mala. Odit Gallus hodieqve in Gallia Ianſeniſmum, et ferme habet pro infami: allegatur religio, ut aeqvius ſentiant homines. Sed, niſi qvid altius conditum, non tanti aeſtimaret religionem Rex. Nempe imitatur Hiſpanos, qvorum vires iactatae: iacturam provinciarum facere malle, qvam easdem cum iactura religionis obtinere, ut habet Farneſii dictum apud Famianum Stradam. Sed redeo ad Vngariae fata. Nadaſtius, ſicut arguitur rebellionis princeps, ita, pro ſe, et omnibus poſteris, *Comitis* dignitate, atqve iuribus eſt privatus. Bona fiſco illata: nomen ex tabulis regiis deletum: pro ſcelere infamia remanſit. Filiis, et qvotqvot ab his naſcentur, titulus Dominorum, a Cruce appellatorum, relictus. Reditus tamen, vitae ſuffecturi, a Caeſare aſſignabuntur. Deſino in affectu pietatis, ac optima qvaeqve precor. Prid. Kalend. Mai. cIↄ Iↄc LXXI.

XII.

XII.
IO. ANTON. SCHVRZFLEISCHIO, MEDICO, FRATRI SVO.

PRoximo die ſolis res meae, hoſpitisqve admodum periclitabantur. Ortum in vicinia incendium iam dum extimos parietes, verſus urbis vallum, qva ad meridiem ſpectat, corripiebat. Ruina aedibus, et vico ad forum ſito, imminebat. Libri mei, ab Academicis magna induſtria arcis, et corbibus impoſiti, certatim portabantur extra aedes. Pauci libri deſiderantur. Valde turbato animo eram, et omen inde non proſperum capiebam. Sed efficiat DEVS, ut ex eo nihil ſentiam adverſi, unde toties accepi damnum. Dioſcoridem legenti non deponendus e manu Plinius, qvem et uſui, et voluptati eſſe futurum ſcio, contra atqve vulgus imperitum iudicat. Theophraſtum, ut primum occaſio erit, mittendum curabo, ut veteribus Graecis aſſveſcas, et partam doctrina, et uſu laudem augeas, literasqve ad artis ornamenta adiungas. Locus Virgilii de mutis artibus non eſt tibi, nec aliis fraudi, proximis literis a me explanandus. Vale. Kalend. Mai. cIↄ Iↄc LXXI.

XIII.
IO. CHRISTOPH. BECMANO, P.P. FRANCOF.

DIu eſt, qvod nihil ad te ſcripſi. Scripſiſſem autem, ſi aut materia ſcribendi, aut iuſtum argu-

argumentum fuiſſet. Vtor tamen occaſione, et literas per Pabſtium, qvi ad vos commeat, afferendas praebeo, idqve et officio, qvod me decet, et obſeqvio, qvod tibi debeo, prorſus convenire exiſtimo. Nec vero aliter poſſum, ſi ineo rationes tuorum meritorum, praeſertim hoc tempore, qvo literae noſtrae praeſidiis egent. Ceteroqvin de Eccleſiae ſtatu timent multi. Reformati non creſcunt modo; ſed etiam inſoleſcunt, et minantur. Pontificii armis proſeqvuntur Noſtros, maxime in Hungaria. Coſacorum potiſſimus ductor, Doroszenko, dicitur renunciaſſe ſacris Graecorum. Sed provideat Deus nobis, et ſervet te ad ſeram usqve poſteritatem. D. XXII. Mai. cIↄ Iↄc LXXI.

XIV.

EIDEM.

ITerum ad vos commeat Pabſtius, cui tradere literas, et teſtari, qvid ſentiam de tuis, prorſus meum eſſe duxi. Notitia, qvam vocas, dignitatum illuſtrium, magna apud me, nec minor apud alios eſt. Eximium illud ſpecimen, et adeo dignum, qvo proluderes hiſtoriae civilium rerum. Hanc, ut audio, meditaris exqviſitiſſimam; et, poſtqvam audivi, vehementer ſum laetatus. Imple fidem, qvam dediſti. Plaudet literatus orbis: nos cum illo. Adeo nihil deſidero vel in lectione tua, vel in rerum, qvas promis, delectu. Adderem aliqvid de Teutonum iſta Troia, unde belli faces augurantur multi: ſed mihi delibare ſatis, qvae ſive rimari arduum, ſive ſcribere intutum.

Ac-

Accipe meum animum: ſtudia, qvae voles: obſeqvia, qvae deſideras. Vale. D. XXV. Mai. cIↄ Iↄc LXXI.

XV.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

SCripſi proxime de Batavorum rebus; idqve non alio conſilio, qvam ut obſeqvium profiterer. Foederi triplici ſane aut diffidunt, aut fidunt prudenter Angli, ob commercia aemuli. Hiſpani ſunt impotentes; Svedi eo amorem inclinant, ubi maior utilitas oſtenditur. Olim a Brandenburgico verſus Veſtphaliae fines auxilium ſperabatur. Iam, neſcio qvis, ſecretus metus illi legem imponit civilis *Syncretiſmi*. Credo tamen ferme, Batavos hoc anno tranqvillitatem retenturos. Terreſtres, maritimiqve apparatus Gallo ante oculos ſunt. Qvaqva aditus patet, exitusqve, vigilant: Societati Indiae orientalis, in qva nervus, atqve praeſidium eſt, maxime cavent. Debellarunt ſuperioribus annis Regem Macaſſerium: Tellorum, alioſqve adegerunt ad recipiendam pacem. Cur non exturbarent inde Gallum? cur non eriperent Madagaſcar? Summa rei proterere Galli portus. Si audeat is qvid hoſtile: erunt, qvi reſiſtant. Lotharingiam ſubegit ſine hoſte: Batavi milite, atqve opibus ſe tuebuntur. In extremo gratiam habeo tibi, Domine, pro illa cura, qvam ſingulari exemplo ſuſcipis: pro comparando mihi honore. Rependet vicem

vicem DEVS tibi, illuſtriſſimoqve fratri, et inclutae tuae genti. Kalend. Iun. cIↄ Iↄc LXXI.

XVI.
EIDEM.

MVlta edita ſunt his nundinis de Lotharingiae ducatu. Sed alia partium ſtudio laborant: alia veris monumentis deſtituuntur. Differam pauca de his, ac promam, qvod veteris aevi eſt. Neqve vero referam de antiqvis Aeduis, qvi ultimo Romanorum tempore has oras coluerunt: ſed Francos recitabo, partem Teutonicae gentis. Inter illos memoro Carolingos, qvi Lotharingiam, a Lothario I. dictam, tenuerunt. Alio nomine Auſtraſia appellatur. Lothario vita functo eam vindicarunt Carolenſes, qvi nomen hoc tulerunt a Carolo Calvo, cui ex diviſione ceſſerat Francia occidentalis, id eſt, Gallia. Proluſit ille iam ſuo aevo Gallorum ambitioni. Qvod virtute non potuit, largitione effecit. Multa conatus eſt: pauca conſummavit: idemqve primus ex Gallia imperator Romanus fuit, et ultimus erit certe ex illa gente. Haec fata, et vices ſeculi IX. Multo alia ſeculo X. erant. Innexuit Otto M. natione Saxo, ſangvine Vittikindeus, dignitate primus e Saxonibus imperator: innexuit, inqvam, Germaniae regno, ut unam adeo cum Germania Rempublicam conſtitueret. Duravit ille nexus ad ſeculum uſqve XI. ubi ſoluta vinculo civili Lotharingia, forte, ut ſeculo XVII. Galliae accreſceret. Adeo gravis liliorum iſte odor, et, cum

cum blandum qvid ſpirant, ſaepe venenum tegunt. Fuit ſine Lotharingia ſui iuris. Aut redigetur in provinciam, aut ſervabitur beneficiario nexu. De Brunſviga ſperant compoſitionem. Flagitant Gvelphi ius portae ad nutum aperiendae. Praeter ea ius cudendi nummi. Hinc vectigal ampliſſimi reditus vindicant. Demum ſuo nomine qvosdam volunt recipi in ſenatum, id eſt, redire civitatem ad veteris municipii ſortem. Sed finem impono: obſeqvium aeternum ſervo. Non. Iun. clↄ Iↄc LXXI.

XVII.
EIDEM.

PErturbatus ſum adhuc nuncio adverſae valetudinis tuae. Augetur illa ſolicitudo qvotidie ob diverſos, et ancipites, qvi afferuntur, rumores. Confido tamen, DEVM ſervaturum Friſium nomen in publicos uſus, et Principis reip. munimentum. Aſſentiuntur omnes boni, et idem mecum ſpectant. Vna ergo mihi et verborum inde cauſa, et brevitatis. Multis autem moleſtus eſſe non auſim. Pius eſſe debeo, et pro tua ſalute precari. Adſit ergo tibi, Domine, Numen propitium, et inſtauret vires, augeatqve, et gratiam ſuam concedat, ut tuam concedas mihi, atqve literas meas prudentia tua regas, amorem earum confirmes, et conſerves honorem. Levari enim literae noſtrae volunt, et praeſidio tuo fulciri. Has ergo protegas, atqve ſoſpites, eoqve nomine et ampliſſimae familiae tuae incrementa, et ſucceſſus

ceſſus feliciſſimos a DEO immortali conſeqvaris. Erit, qvi remuneretur benignitatem. Ibit fama ad poſteritatis exemplum: creſcet felicitas ſine exemplo. D. VI. Iun. clɔ Iɔc LXXI.

XIIX.
EIDEM.

SCribam ingenue. Vivo hic, et id tuum, Principisqve beneficium eſt. Credo, me tandem invidiam loci poſſe ſuperare; idqve non tam induſtria mea, qvam praeſidio tuae benignitatis. Serva tuae genti hanc gloriam, Domine, et, literis noſtris apud te perfugium eſſe, ſine. Sentiunt omnes, ſentio ſane ego inter ceteros maxime, qvid debeam tibi. Agnoſco id hactenus privatim: brevi publice aeſtimabo, et tradam poſteris nominis tui honorem. Ceterum de publicis rebus, neqve id diſplicebit, ſic ſtatuo. Affectat hodie Gallus, qvod olim Hiſpanus: demeretur Principes Rhenanos, ut dividat ceterorum vires, aut turbet. Sudes illi in oculis inferioris Saxoniae potentia. Tegunt altum dolorem Svedi, nec multum fidunt vicinis Gvelfis, memores, per eos ſtetiſſe, qvo minus occuparent Bremam. De tribus illis foederatis idem ominor, qvod de Romanorum triumviris, immo qvod patrum memoria de Smalcaldicis accepimus. Multa deſtinat praepotens Rex, et machinatur, qvae patriae periculum conflabunt. Neqve id ſatis. Deſtinat epiſcopo Colonienſi Coloniam Agrippinam. Si conſilium ſucceſſerit, rerum in pago Veſtphalico potie-

potietur, praeponderabitqve a poteſtate illa bilanx civilis in Neoburgici, et Brandenburgici, et forte etiam noſtrae domus, cuius in Iuliacum, annexasqve ditiones vetus, et haud obſcurum ius eſt, detrimentum. Olfaciunt machinationes Gvelfi, et Hoxteram aſſerunt, hereditario patrocinii iure obnoxiam ſibi. Nempe id agunt iſti praeſules. Aut exterorum emiſſarii ſunt: aut delectantur turbis: aut diffidentiae materiam alunt. Iam dudum optavimus Lutherani, *Reformatiqve* omnes, ut aut non fuiſſet Martini illa clavis, aut non reſeraſſet Saxoniam ſuperiorem. Sed bene ſperamus. Iactet opes ſuas Gallus: affectet imperium in univerſos: glorietur de Perpigniano verſus Hiſpaniam, de Pignarolio verſus Italiam, de Briſaco, qva patet Alſatia. Mordebimus frenos? Parum eſt, non movebimur. Creſcit dominatio: iamdum movit in Lotharingiam: agit, regit, pro nutu. Et forte id ferri poterat, niſi graſſaretur in beneficiarias imperii civitates. Exemplo, fateor, divino corpori Lotharingia eſt. Cetera fiduciaria dependent a Germanico regno. Sed erit una dies, qvae tantae diſiiciat dominationis molem, id eſt, iuſta cauſa, et virtus Principum Germanicorum. Verum ignoſce mihi, Domine, et cognoſce de amore in patriam, immo de humilimo erga te affectu, qvem proxime confirmavit nobiliſſimus IC. Iacobi. Interim ſervet te, tuos, DEVS. d. XI. Iun. cIↃ IↃc LXXI.

XIX.

IO. CHRISTOPH. BECMANO,

P. P. Francof.

COlo te, et amplector, et certe tua univerſa. Habebit tibi gratiam literatus orbis duplici nomine: partim diligentiae, partim curioſitatis. Viam monſtras emenſuro iter per vaſtum orbem terrarum. Luculentum illud opus, et plenum utilitatis. Vidi lineamenta: iudicavi de corpore: commendavi omnibus, qvi mecum ſunt familiariter: praeſertim, qvi dant operam meis ſcholis. Nihil addo, niſi gratulationem de inito matrimonio. Praeſtet te DEVS felicem patrem, ac ſoſpitet tuum larem, et largiatur, qvicqvid ſalutare eſt, atqve honorificum tibi, et tuis, qvos ſperas. d. XII. Iun. clↄ Iↄc LXXI.

XX.

AMICO CVIDAM.

SI literas a me deſideras, gratificabor: ſin iudicium de transmiſſa diſputatione, vitabo invidiam. Si qvid vero audeo dicere, parum reperio maſculae philoſophiae. Hic nervis caret: illic ſectatur umbram. Qvid enim remotius a vero, qvam aſſerere ſpiritibus generandi functionem? Eo usqve ſemen retinet vim ſeminis, donec non egreditur ſua vaſa. Subtiles iſti ſpiritus eo momento pereunt, qvo aërem contingunt, aut, qvo ſuſcipitur a daemone iſta maſſa. Sed rident medici has naenias. De ceteris non refragor: modus

dus tamen tractandi nimis eſt vulgaris, ac proletarius. Sed haec tibi. Vale, ac da id poſtulato tui popularis, qvod ſcripſi tam ingenue, atqve confidenter. Prid. Eid. Iun. cIↄ Iↄc LXXI.

XXI.

N. N.

CArmen, qvod proxime transmiſiſti, ſatisfecit meae de te opinioni. Gratiam apud multos, apud me laudem meruit. Interim qvaeſo te, ſerves illum mihi affectum, et bene in poſterum qvoqve cupias meis rebus. In vicem gratae mentis rependo exiguas aliqvas diſputationes, qvas ut benevole accipias, oro, obteſtorqve. Prid. Eid. Iun. cIↄ Iↄ LXXI.

XXII.

IO. GEORG. BOERNERO, IC. DRESD.

COnvalui a morbo, qvi me nuper affixerat lecto. Bonae mentis tuae argumentum fuit, qvod doluiſti meam vicem. Ego ſane opto, ut nunqvam doleam tuam. Soſpitet te DEVS, et ſervet. De honoribus tuis, credas, magno gaudio affectum eſſe. Sic demum, qvod in votis habui, viam ingreſſus es. Exitum virtus tua, et coeleſtium favor expedient. Mihi nuper a Septentrione nuncius perbenignus eſt allatus. Si qvid eo deſtinem, impetrandi, opinor, copia erit. Sed haec tibi in aurem. Per hyemem deliberabo, qvid ſit in rem meam. Academicus eſſe malo,

qvam aulicus. Adeo extimeſco dubias aularum vices. Et vocant tamen, invitantqve omnes ad diverſum vitae inſtitutum. Qvid agam ? Tandem non auſim DEO repugnare. Tibi conſilium, mihi ſuffecerit libellus. In patriae vicinis ditionibus oblata plus ſemel occaſio : arrepta nunqvam. Nihil ſupereſt, niſi qvod valere te iubeam, et una ſalvere. Eidib. Iun. cIↃ IↃc LXXI.

XXIII.
HENRICO A FRISEN.

QVi id dant operam, ut explicatum reddant, qvo tempore prima omnium conſtitutio Imperii Teutonica lingva ſcripta ſit, difficili in re, atqve cauſa verſantur. Nec ipſe habeo, qvid certo qvidem de iſto argumento ſcribam, niſi qvod A. cIↃ CC XXXVI. tabularum, Germanico ſermone ſcriptarum, veſtigium reperi. Eas autem veras eſſe, multis indiciis perſpexi. Inprimis eo me adduxit auctoritas Godefridi monachi, cuius ſtudium, atqve induſtriam pro eo, ac debeo, in hiſtoria XIII. ſeculi collaudo, et, ſi tibi vacat, annum demonſtro, qvi ſupra milleſimum ducenteſimum ſextus, et trigeſimus agebatur, cum, magno lingvae Germanicae ornamento, prima conſtitutio Germanice ederetur. Id vero mihi facile riſum excitat, qvod qvidam exiſtimant, Rudolphum Habſpurgium, qvi et Rufus cognominatur, cuius virtute, ac diligentia multa recte, atqve utiliter conſtituta ſunt, edicto ſanxiſſe, ut in conficiendis Imperii tabulis, et formulis publicis tantum lin-

gvae

gvae Germanicae uſus eſſet: qvod praeter verum aſſeritur, et nullo ſufficienti teſtimonio comprobatur, licet ita videatur viris ingenio, ac doctrina exqviſita, Io. Aventino, Martino Cruſio, Chriſtophoro Lehmanno, Cyriaco Spangenbergio, demum Goldaſto ipſimet. Nullus ſane ſcriptor eſt Rudolpho aeqvalis, qvi tale qvid prodidit, nec diploma ſupereſt fide dignum, neqve curiae Rudolphi congruens. Limnaeus ita timide loqvitur, ut non immerito de eius veritate dubitaſſe videatur. Vt propterea talis lex aut nunqvam edita fuerit, aut fatendum ſit, deperditam fuiſſe. d. XXI. Aug. cIↃ IↃc LXXI.

XXIV.
EIDEM.

IAm demum annitar, ut me talem praeſtem, qvalem me eſſe iamdiu voluiſti. Nolo differre, qvod non poſſum, niſi ingratus. Ergo teſtabor fidem, ac cultum, et qvicqvid proprio qvodam tuo iure a me expoſcis. Suſcepiſti magnam partem curarum, qvibus huc usqve diſtinebar. Etiam beneficiis me auxiſti, et honore. Qvicqvid mea cauſa potuiſti, aut ipſe effeciſti, aut curaſti, ut alii efficerent. Cuius benignitatis cum ſaepiſſime recordor, tum nunqvam aeſtimo ſine pietatis ſenſu. Praebuiſti mihi perfugium et ſtudiis levamentum. Inde ad me ſolatium, ad te gloriae fructus pervenit. Atqve haec cauſa eſt, cur omittere noluerim, ut tibi conſtaret ſignificatio pietatis meae. Accipe diſſertationem grati

animi argumentum. Aliud non ſuppetit. Maiora ſperabis. Interim te DEVS praeſtet ſalvum, et tuos. d. XXIX. Aug. clɔ Iɔc LXXI.

XXV.
IO. GEORG. BOERNERO.
IC. DRESD.

CVravi, qvod voluiſti, ut potui diligentiſſime. Mitto iam diſſertationem auſpicii cauſa habitam. Cetera huius argumenti opuſcula Friſiis, Gersdorfio, et affini tuo perferantur, velim. Iam tot laboribus diſtineor, ut illuſtriſſimis Maecenatibus futura hebdomade ſim ſcripturus. Proximo die Mercurii, qvantum doctrina valeam, ordini ſapientum, edito ſpecimine, demonſtrabo. De pecunia exolvenda cogito: iam et me exolvo. A Nornero librum accipias, et apographo mihi ſatisfacias, et nobiliſſimo patri, et matri, pro officio praeſtito, denuo gratiam habeas. Anno clɔ Iɔc LXXI. IV. Nov.

XXVI.
N. NORNERO.

GRatulor mihi de animo tui matruelis. Videbo, qvid agam, ſimul atqve vacare contigerit. Ordinariam profeſſionem, credo, mihi ex promiſſo illuſtrium Maecenatum delatum iri. Illud demum felix initium eſſet conditionis luculentae, per te obtinendae. Nam multae iam mihi faciendae ſunt impenſae, qvae me diſtrahunt, et ab incepto tam ſumptuoſo retinent prope invitum, ac

ac remorantur. Vale. d. IV. Novembr. cIↄ Iↄc. LXXI.

XXVII.

HENRIETTAE FRISIAE,

VIRGINI ILLVSTRISSIMAE.

SCio, Domina, qvo animo ſis in noſtras Muſas. Afficit id me gaudio: doctis movet admirationem. Vinces, ut praeſagio, Victoriam Colonnam, Lauram Feracinam, Erſiliam Spolverinam, ornamenta qvondam tui ſexus. Et, ut vincas, opto in dies, precor aſſidue. De lexico, opinor, memoriam refricabis. Addo Ioannis Laeti lexicon Anglo-Saxonicum, qvod forte coniunges cum ſtudio lingvae Anglicanae. Grammaticam, credo, accepiſti, qvam Roethaviam curavi. Codicem manuſcriptum, feſelli, cum dixi, hic me habere. Latet inter libros patriae meae bibliothecae. Simul atqve huius compos fuero, tuum erit, qvicqvid voles. Interim, qvaeſo, efficias, Domina, apud illuſtriſſimum Parentem, qvae proxime rogavi. Tuum eſt id indicare illuſtriſſimo Parenti, et vigilare publici boni cauſa. Haec enim Friſiorum gloria eſt: haec manebit, donec literae ipſae. Vnum hic inſeram, Domina. Quaerunt prudentes, qvale regnum Hungaria ſit, electitium, an hereditarium? Stabo pro altera parte. Conficiam ex pactis ſucceſſionum Friderici III. ex matrimonio Alberti II. Auſtrii, Ferdinandi I. immo et titulo belli, qvo Maximilianus I. et Ferdinandus vindicarunt ius ſuum. Interim velim huc legas

 arti-

articulos, qvi vocantur, regni Hungariae, Gottendorfii A. cIↄ Iↄc LXVIII. excuſos, auſpicio Nadaſti, cum ſpem aleret potiundi tituli Hungariae Proregis. Videbis ibi pacta conventa, et ſanctiones regni, et privilegia inſignia, in qvae novus rex iurat. Plura non capit haec charta: ſaltem pietas ultimo admonet me, ut, qvicqvid vel voto concipere potes, Domina, optem tibi evenire. Servet te DEVS auſpicatiſſimis ſtudiorum incrementis: ſervet decus illuſtriſſimis parentibus: ſervet munimentum meis Muſis. Feliciter! Princeps inter virgines es: brevi eris inter matronas. Eidib. Nov. cIↄ Iↄc LXXI.

XXIIX.
NICOLAO, L.B. A GERSDORF.

PVrgavi me tibi, et confirmavi, omnia, qvae tua cauſa poſſim, ſummo ſemper ſtudio curaturum. In praeſens gratulor, et, ut novum connubii foedus genti tuae bene vertat, in principio huius epiſtolae precor, qvi exiſtimem, in eo praecipuum ſalutis tuae caput eſſe. Iungis tibi Friſiam virginem, gloria maiorum, et virtute ſua florentem, ac honore generis parem, et fidei ſingularis exemplum. Ita fiet, ut, coniunctae neceſſitudine, officiis ſe utraeqve ſtirpes adiuvent, magisqve ornent. Auctor, credo, conſilii tibi DEVS fuit, qvi omnia tua regit, et moderatur. Sed explicabo animum plenius, ſi ſolennia nuptiarum celebrabis. Nunc condona pietati affectum, ſi qvid opto infra tuum ſplendorem. Vnum denuo te obſe-

obſecro, obteſtorqve, nove ſponſe, ut mihi, qvod illuſtres ſponſi ſolent, primae petitionis copiam facias, et dignitatem, qvam peto, impetres, procuresqve. Qvicqvid poſſum, deſtinabo tuae laudi, heredi, ut imperabis, ero ab officiis, ero ab informatione, dies, noctesqve eo impendam, ut aeſtimes clientis cultum, atqve pietatem. Servet te DEVS ſibi, et aulae Saxonis, immo et noſtris Muſis ſpem iuxta, et praeſidium maximum. d. XXV. Nov. cIↃ IↃc LXXI.

XXIX.
EIDEM.

BEne vertant Kalendae Ianuariae, qvae propediem te expectant. Optant ſane hoc Muſae noſtrae, et ſummis precibus DEVM orant, ut et ſalvum te praeſtet, et felicem. Niteris pro gloria DEI, ſuſtines conſilio honorem Principis, prudentiae fructum omnibus impertiris. Ad hunc gradum te diviniſſima virtus provexit: hunc immortali laude tuearis. Friſiam virginem, qvam aſciſces uxorium levamentum, feliciſſime aſciſcas. Haec curas tuas leniat: haec ſolicitudines tuas componat: haec deniqve afferat gaudium nunqvam defiturum. Id animo, votisqve concipimus omnes. Servet te DEVS ſponſae: ſervet ſponſam tibi: ſervet heredem, et dignum faciat tua ſtirpe. Kalend. Ianuar. cIↃ IↃc LXXII.

XXX.
HENRICO, L.B. A FRISEN.

ET tempus, et beneficia tua me admonent, ut cum officium clientis tibi, tum vota pro te, pro ſanctisſimo nomine, pro tuaqve illuſtriſſima gente ad DEVM faciam. Qvae ut ſemper pietatis conſcientia innixa ſunt, ac adeo habuerunt pondus: ita in poſterum, confido, vim coeleſtem, Numenqve divinum Friſios, in tutelam, curamqve receptos, incolumes nobis, atqve reipublicae praeſtiturum. Nam fulcimenta qvaerunt literae noſtrae, et apud Friſios certisſima habent, et laetantur, in huius rei partem laudis veniſſe Gersdorfium, ſanctisſima necesſitudine innexum, et in utriusqve gentis heredibus plurimum praeſidii ſpondent ſibi, ac pollicentur. Quod ut conſeqvaris, Henrice, et continues in poſteris, neceſſariisqve tuis, ac omnes mortalium caſus, veluti ſaxum fluctus, frangas, ac animo firmo, rerumqve ſtatu ſemper florentisſimo ſis, et rectisſime ſemper valeas, asſidue DEVM orabo, cui nihil maius praeſtari in his terris poteſt, qvam te, atqve univerſam tuam, toto terrarum orbe celeberrimam, gentem florere, atqve habere optime. Ita DEVS velit et Kalendas proſperas, et totum annum fauſtum, felicemqve eſſe tibi, ac domui tuae. Kal. Ian. cIↄ Iↄc LXXII.

XXXI.

HENRIETTAE FRISIAE,

VIRGINI ILLVSTRISSIMAE.

AScende ad faſtigium, in qvod genita es, cumqve novo anno novam felicitatem expecta. Elegit te nobis DEVS patronam Muſis, ſociam illuſtri Gersdorfio. Vt initia ſunt utrinqve fauſta: ita exitum longe fauſtisſimum precamur. Valetudinem proſperam et ſemper ſibi ſimilem, fortunam minime inſtabilem, vires validisſimas, qvodam certamine pietatis optamus. Sunt ſane virgines, ſunt ſponſae, qvae genere, et familiae imaginibus excellunt: ſed longe ſupra has evecta es, Domina: genere, et animo amplecteris utrumqve decus: idqve transfers in caſtisſimum Gersdorfii tui torum; ſed ut iungas arctius, copulesqve. Qvod ut auſpicatisſime fiat his privatim, alibi publica formula ſignificabo. Simul id unum orabo, ut pro me apud illuſtriſſimum Parentem depreceris pro obtinenda ſtatione ordinaria inter Academicos Profeſſores. Dabisqve id mihi, qvia humilimo tuo, et univerſae Friſiae gentis maxime pio clienti, et eodem iure beneficiario Gersdorfiae, cui brevi feliciter innecteris, proſapiae cultori, praeconiqve unice obſtricto. Id facies, illuſtriſſima ſponſa, fauſtiſſimo ſponſarum illuſtrium omine, qvae primo petentibus annuunt, ut viciſſim ipſis, nec diſſimili benignitate, annuat DEVS. Et o annuat tibi, ut nec adverſa in te vim habeant, nec moleſta noceant: verbo, ut nullam ſentias calamitatem. Kal. Ian. cIↃ IↃc LXXII.

XXXII.

CAROLO, L. B. A FRISEN.

SAtagit iam Batavia ſuarum rerum: cis Rhenum providet: a limite Flandriae metuit: a finibus Friſiae orientalis expectat irruptionem. Monaſterienſem, putant, memorem fore pacti Clivenſis. Colonienſi obicem Veſtphalia ponet. Rex Angliae audet invito Regni ſenatu. Et Svedi ſuſpectam habent potentiam ab occidente ſurgentem. Mira ſane haec viciſſitudo eſt rerum. Cum Valeſii regnarent, parum felices erant reges. Nunc, cum Burbonii faſtigium teneant, et creverunt maxime, et vicinis iniecerunt metum. Sed raro nimia potentia eſt diuturna. Erunt Hiſpani exemplum, qvi plus bellis profuderunt, qvam acqviſiverunt, utriusqve Indiae opibus iamdudum exhauſtis. Sed, qvicqvid ex iis partibus turbarum oriatur, pro certo habemus, omnes Germaniae principes ſub rege reges, ſub aqvila aqvilas eſſe velle. Iugum inſignes illae animae non ferunt: cum audiunt nomen, deteſtantur. Saepe hic cogito: Karolingi vincere poterant noſtros, domare non poterant. Etiam dum victi erant, iure civitatis honorare oportebat: ſic demerendi erant, ne excitarentur ad novam ultionem. Meminerint Veſtfranci (medio aevo Galli ita dicebantur) Oſtro-Francos, id eſt, Germanos illos, una opera ſuperaſſe Rhenum, et Trans-Rhenanam illam gentem. At haec facile expediet virtus Germanorum, et vindicabit avitum decus. Deſino hic, Domine, et ſatis habeo

beo tibi effundere meam pietatem, et precari in primis, ut illuſtriſſima filia tua, cuius ingenium usqve huc illuxit ſine exemplo maximum, nunc novo auſpicatiſſimi connubii omine propaget honorem tuae gentis. Servet te DEVS propitius: ſervet mihi te propitium. Eidib. Ian. cIↄ Iↄc LXXII.

XXXIII.
N. N.

SAt intendiſti animum in bonas literas, et palmam ferme omnibus praeripuiſti, nunc egregium inter ſponſos locum adeptus. Laetor hoc nuncio, optoqve iuxta, ac peto, ut aeternam connubii dulcedinem experiaris. Debes enim patriae hanc ſpem: debes certe orbi poſteros tuae ſtirpis. Fuit auctor conſilii DEVS, voluitqve, te novis gaudiis frui. Ita ex voto creſcas, et ſanctum illud foedus, qvod fide ſanxiſti, eo ſucceſſu tuearis, ac dignitatem eius auſpicatiſſima dignitate conſummes. d. XI. Febr. cIↄ Iↄc LXXII.

XXXIV.
IO. GEORG. BOERNERO,
IC. DRESD.

VT literis tuis reſponderem, multae cauſae erant: haec vero potisſima, qvod nollem latorem vacuum ad te redire. Intellexi enim, nihil tibi diſplicere, quod a me veniret huc uſqve. Itaqve perſeverabo in eo ſtudio, et pietatem meam, ac officia nunqvam negligam. Sive enim re- cor-

cordari ſubit meritorum tuorum, ſive benevolentiae, fateor, me omni modo tibi eſſe devinctum, partim, qvod curares meas res haud ſecus, qvam pater; partim, qvod auctor mihi eſſes de conſtituendis iis ſubſidiis, qvae ſtudiorum rationes neceſſitate qvadam, et ſorte vivendi ſpectant. Igitur de me tibi perſvade, ſemper hoc aeſtimare velle, et conniti, ut non magis te benefactorem ſcias, qvam me tuum clientem, cui propoſitum ſit, non magis officio, qvam religione votorum ſe tibi obligare. Proprid. Eid. Febr. clↄ Iↄc LXXII.

XXXV.

EIDEM.

HAud facile ſcio, an gratulari tibi debeam, qvi paene obruor rumoribus de nova dignitate tua. Eqvidem non dubito, tibi meritis, et Principis favore communitum eſſe locum, modo, qvod offertur, eligas, et, qvod ambiunt alii, tu accipias. Qvicqvid facias, ego tibi gratulor, ſive aulae, qvam ornabis, ſive ordinis noſtri, qvem tua auctoritate ſuſtentabis, cauſa. Eid. Febr. clↄ Iↄc LXXII.

XXXVI.

SAMVELI HVNDIO,

IC. Dresd.

OMnino tibi aſſentior, diſtingvi ſcriptores, et iudicari oportere, qvi aetates, et tempora expoſuerint. Vides enim, interdum iactari fabulas: neqve eſt, ut id declarem exemplo. Sufficiat

ciat mihi eruere in praeſens aliqvot imperii ſanctiones, et vel negligentia confuſas, vel imperitia ſcribarum inſertas, proferre in lucem, et ſeparare a probis, et dare occaſionem aliis exqviſitius cogitandi. Strictius id faciam, et more eorum, qvi ſumma tantum capita attingunt. Seculis inſiſtam, et potiores huiusmodi conſtitutionum indicabo eadem opera, et refutabo. Seculo IX. traditur conſtitutio de expeditione Romana, auſpicio Caroli Craſſi promulgata: ſed, qvi penitus inſpiciunt, inveniunt corruptelam. Vel pudet eius, qvam memorant, ſec. X. conſtitutionis qvaternionum. Nec diſſimilis vanitas eorum, qvi leges, qvae hodie venditantur, eqveſtrium ludorum arceſſunt inde ab Henrico, Ottonis I. patre. Sec. XII. explodendus rumor eſt de Friderico Aenobarbo, Pontificis pedibus advoluto. Huic fabulae ne qvid deſit, calcibus ab Alexandro III. petitum, protritumqve perhibent. De Iodoci conſtitutione, ſec. XV. edita, non qvaeram, utrum ſuſtineatur iure; ſed, an edita ſit, immo, rebus illo aevo tam perverſe conſtitutis, edi potuerit? Et vero qvis numeret in veris illam electionis Maximiliani II. deſcriptionem? Non videre in luce, coecitatis: nolle, cum videas, agnoſcere, improbitatis eſt. Vale. d. XIV. Februar. cIↃ IↃc LXXII.

XXXVII.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

VEtuſtiſſima, et iam olim cum Germaniae dignitate coniuncta eſt origo Palatinorum. Adhibe-

hibebantur Auguſtorum conſeſſibus, obibantqve officia aulae, non lege qvadam ſuccedendi, ut fit hodie; ſed libera voluntate imperatorum. Serius, idqve demum, ut colligo, Friderici Aenobarbi aevo, munus, ad liberos, poſterosqve transferendum, acceperunt. Seculo, qvod hinc ſubiit, XIII. maiori fortunae beneficio uſi ſunt, praerepto ceteris principibus iure eligendorum imperatorum. Nec ſine cauſa vigilabant ſeptem Palatini, inter qvos duo eminebant: Saxo, et alter ad Rhenum, aucti poſtea dignitate Interregum. Altius perpendebant turbatum patriae ſtatum, ac fatale iſtud poſt Friderici II. tempora interregnum. Reliqvi fatis Reip. indormiebant, nec habentes remedium ſanandi vulneris, nec conqvirentes prae taedio tot ingruentium malorum. Itaqve XIII. Seculo ingens facta converſio eſt. Palatini uſu iuris ius ſuum conſervarunt: alii, non utendo, amiſerunt, more inter multas gentes recepto, ut, qvi longo tempore nôn utitur ſuo iure, renunciaſſe cenſeatur ſuo iuri, ac certo habuiſſe pro derelicto. Qvod a ſec. XIII. ſola conſvetudine, id a XIV. inde iure ſcripto, ac publicis Caroli IV. tabulis ſuſtinetur, in omen aeternitatis Germanicarum rerum. Miratur Petrus Albinus, qvid ſit, qvod ſec. XII. et proximo non obvium ſit nomen *Electoris*, in literis beneficiariis, formulisqve Auguſtorum. Id vero miror ego, mirari Albinum, cuius interfuit ſcire, XII. ſec. Palatinos commune eligendi ius cum ceteris habuiſſe, ſolo praepolluiſſe ſplendore officiorum, iam tum reda-

dacto-

dactorum ad hereditatis legem: XII. eoqve adulto, non ſecus abſtinuiſſe qvidem; habuiſſe tamen ius partum, qvia et conſvetudo iure continetur: iuris tantum elogium recuſaſſe, ſive prudentiae, ſive modeſtiae cauſa. De *Burggraviis* addam, et qvia de iis ſentit dubitanter, et ſcribit doctiſſimus Conringius, mihi certa indicia eſſe, auſpicio Rudolphi Habsburgii multum receſſiſſe a veteri ſorte, et, cum ante eum infra principum dignitatem eſſent, principibus tunc coepiſſe aeqvari. Magdeburgicum ultimi tenuerunt Dynaſtae Schrapelani, a qvibus iure hereditario ad Saxonas Aſcanios, ab his ad Vittekindos translatus felici auſpicio eſt. Vnum ſine, qvaeſo, Henrice, te admoneri. Habeo competitorem eo ingenio, qvo ſunt pleriqve noſtri. Hi, qvod meritis non poſſunt, volunt extorqvere nubendi qvadam obſtinatione. Iniqvum genus in Academiam, ut ſerviant commodis ſuis, et noceant melioribus ingeniis exemplo, a qvibus aliena haec impudentia eſt. His, Domine, ut potes, pone obicem, et bene de literis, qvae opem tuam invocant, merere. Remunerabitur DEVS: agnoſcet poſteritas: aeternum erit Friſiorum nomen. d. XV. Febr. cIↄ Iↄc LXXII.

XXXIIX.

CAROLO, L. B. A FRISEN.

HAbuit Machiavellus duos adverſarios: Innocentium Gentiletum, et Thomam Bozium. Alter ignariſſimus, alter ſaepe ineptiſſimus fuit.

Qvod eo ſcribo, non, ut purgem Machiavellum; ſed, ut oſtendam, qvam paribus armis aggreſſi ſint talem hoſtem. Gentiletus vel neſcivit, qvae fuerit conditio Machiavelli: Bozius cuncta in ipſo carpit, ut vertat ad pontificis laudem. Qvanto rectius nuper David Blondellus, ſub efficto Amandi Flaviani nomine, caſtigavit pontifices, et univerſos horum applauſores. Hocqve eſt, qvod redarguo in Carolo Sigonio, doctisſimo alioqvi rerum Italicarum ſcriptore. Is ſaepe detrahit iuri imperatorum, ut addat pontificum ambitioni. Nunc callide qvaedam praeterit: nunc minuit Germanorum in Italiam iura. Et forte nemini in hac arte cedit Baronius, et, qvi eum impudentiſſimis commentis auxit, Bzovius. Tabulas, diplomata qvoties non comminiſcitur de ingenio ſuo? Nec eſt, ut caſtigando Alphonſo Ciacconio opera perdatur: iam dudum notatus Chiffletio eſt. Onuphrius Panvinius, monachus doctisſimus, non ſemel a Baronio praeter meritum ſuggillatur, cuius candori multum tribuo, ac laudo peritiam civilium rerum, qvam omnibus approbavit. Sed nunc, ea omnia perſeqvi nimis longum eſt, Domine, et forte tibi faſtidium parit. Nihil reſtat, qvam ut te obſecrem, Domine, novo beneficio clientem afficias. Non ero in poſterum interpellando moleſtus, ſi id unum nactus fuero. Atqve hoc omne tuae poteſtati, arbitrioqve relictum eſſe, Domine, qvi dudum tot evidentibus gratiae exemplis obſtrinxiſti me ad ſupplicationes. Nec vero nunc deſines ferre opem in cauſa ordina-

dina-

dinariae ſtationis. d. XVI. Februar. cIↄ Iↄc LXXII.

XXXIX.

NICOLAO, L. B. A GERSDORF.

Expeto monumenta Luſaticae antiqvitatis: ſed aut rara ſunt, aut fidei interdum ſuſpectae. Primus, qvod ſciam, pagi Luzici meminit Ditmarus Merſeburgenſis. Attingunt etiam aliqvid Bohemici ſcriptores, praecipue Melch. Goldaſtus: ſed unum deſidero, perpetuae hiſtoriae contextum. Si qvid in promptu ſit, praebe gratiae tuae exemplum clienti. De me addo, proſeqvaris coeptae commendationis opus, et apud illuſtriſſimum praeſidem pro me nitaris, ut tu unus omnium maxime potes. Erit id fidei meae erga inclutam ſtirpem tuam vinculum, erit humilimae pietatis incitamentum. De Beloviis, qvibus patrocinaris, Domine, ſignifico, et mecum eſſe familiariter, et, qvantum per ſtudiorum ſcopum licet, multam ponere operam in ſtudio hiſtoriarum, ac prudentiae civilis. Non diſplicebit, credo, modice uti harum literarum ornamento, qvae tibi, Domine, et Friſiis noſtris, maximum hoc aevo ornamentum debent, immo aulae veſtrae praeſidium qvoddam, et firmamentum. Interim age feliciter, et, qvod DEI, tuoqve iudicio pepigiſti ſanctiſſimum foedus, auſpicatiſſimo eventu imple, et conſumma. Noſtrum ſane eſt breves lineas ducere, et noſtram effundere pietatem. d. XIIX. Febr. cIↄ Iↄc LXXII.

 XL.

XL.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

INterregnum, qvod ab exceſſu Friderici II. numerant, conſcius mihi ſum, non recte numerari. Qvi enim accurate perſeqvuntur ordinem temporum, non putant a Friderico II. Patri enim ſuperfuit Conradus IV. principum ſuffragiis deſignatus rex Romanorum. Adverſus hunc electus eſt Henricus, Thuringiae *Comes* provincialis: ſed, iure imperii expenſo, et, qvod exigunt boni mores, nihil tribui ea electione potuit Henrico. Qvi Caeſarem nominant, rationem vocandi accuratam nullam habent. Nec enim legitimum hunc Caeſarem dicam, qvi contra legitimum electus eſt, immo qvi legitimi ſuccubuit iuſtis armis. Nihilo ſecius pronunciabo de Vilelmo, nec Caeſarum numero inſeram. Si pace Latii liceat, Anti-Caeſarem appellabo, aeque ac Henricum Thuringum. Hoc a Friſiis caeſo rurſus itum in partes eſt. Alii in Alphonſum, Arragoniae Regem, alii in Richardum Anglum animos inclinaverunt: uterqve pro ſe ſuffragia habuerunt. Alphonſum cunctatio fruſtrata eſt: Richardum praeſentia adjuvit. Eximam ergo illum tabulis regum Romanorum: hunc vindicabo. Olim, hodieqve diplomata in ſanctioribus principum tabulariis ſunt, qvae ſub titulo Regis Romanorum impertitus Richardus eſt. Vt Caſparis Peuceri enorme erratum ſit, dum ſcribit, nihil eum tenuiſſe praeter inane imperii nomen. Fateor eqvidem, ex proleta-

letariis ſcriptoribus ineptire, qvi nominant imperatorem: multum vero abeſt, qvo minus idem afferam de his, qvi dicunt regem Romanum. Haec, enim maximo a ſe diſtant intervallo, ſi accurate et, prout leges hiſtoricae expoſcunt, eſt loqvendum. Subiungerem qvaedam ad origines Dresdenſes; ſed haec alii tempori ſervabo. Nunc tibi, Domine, precabor, ut recte valeas, qvi maximum meis Muſis praeſidium es. Si qvid ſane apud me eſt, id omne impendam in ſupplicationes pro vigore tui corporis, pro felicitate tuae gentis. Servet te DEVS, et avertat a te morbos: avertat omnem a mente aegritudinem. d. XXIII. Februar. cIↄ Iↄc LXXII.

XLI.

N. N.

MVretum cur tibi commendaverim, non leves cauſas habui. Imitatur Ciceronem, ſed non ſervili qvadam imitandi lege, qvae et vim, et decorum aufert ſtylo. Manutium, abſit, ut reprehendam. Qvantus, qvantus ipſe, Ciceronianus eſt: at longe recedit infra πολιτικώτερον Mureti ingenium. Hinc, ſi merum cupias Ciceronianum, ſvaderem tibi P. Bembum, genere, et animo nobilem virum, qvi et ſciens multarum rerum, et impenſe prudens fuit. Parum ſane mihi videtur, ornare verba, ſi deſit inſtructisſima varietas rerum. Atqvi utrumqve tibi ſuppeditat Bembus. Voces perinde ſelectas habet, ac nervos. Qvod hiſtoriae intereſt, ſecula velim tibi familia-

ria reddas, et in primis viciſsitudinum civilium cardines, qvas epochas in ſcholis dicimus. Nec id feciſſe ſatis habeas; ſed addas iudicium ex philoſophia morum, ac prudentia civili. Exempli gratia; utrum Henricus V. ſec. XII. renunciare potuerit iuri inaugurationum Eccleſiaſticarum? an ſeculo XVI. ordinibus parta ſint iura imperii civilis? Coram vere, et ex animo, et vel maxime Magnif. Patroni cauſa, te inſtruam, afferamqve tibi ſelectiora qvaedam ex ſcriptis meis. De ratione inſtituenda Hundianae prolis peculiares literas expectabis. Vale, et denuo approba meos conatus magnifico patrono, cui, qvicqvid poſſum, religioſa obſervantia precabor. Kalend. Mart. CIↃ IↃC LXXII.

XLII.

DOCTORI THEOLOGO.

SI qvid optare licet, id unum exopto maxime, ut meritis tuis gratiam poſsim referre. Cum enim apud vos eſſem, literas ornaſti, nec res, fortunasqve meas neglexiſti: poſtea vero, qvam huc redii, abſens etiam rationibus meis conſuluiſti, et pro tuo in me ſtudio omnia, qvae vellem, curaſti diligenter, et confeciſti, et non magis auxilii ſpem feciſti, qvam impleſti, commodaqve mea haud ſecus, ac ſi praeſto eſſes, cura ſingulari, et benevolentia auxiſti. Non ſatis erat dediſſe beneficia, niſi cumulum adderes, et amorem, ac bene merendi ſtudium pluribus indies argumentis confirmares. Felicem me, atqve iterum felicem dixero,

xero, ſi ſerves illum morem. Si res facultatem habitura eſt, aulae me commendes, atqve efficias, ut honeſta eam ad rem ſubſidia mihi conſtituantur. Ego, ſi nihil aliud poſſum, fide te, atqve officiis colam, et defenſor ero dignitatis tuae. Inter homines celebrabo nomen tuum: apud DEVM votis, precibusqve inſtabo pro tua incolumitate, ut et DEI, et hominum bono, feliciter opereris. Nonis Mart. cIↄ Iↄc LXXII.

XLIII.

IO. ANTON. SCHVRZFLEISCHIO, FRATRI SVO, MEDICO.

Deckerus, qvi propenſo in me animo eſt, paucis abhinc diebus a me reſponſum tulit, cuius honori ſtudeo, et, quantum in me eſt, pro re cauſaqve aeqviſſima propugno. Nec dubito, facile impetraturum, qvod ſperat. Percunctari libet, utrum literas Francofurtum miſeris, et qvo auctore ſcias, Vietorem eo proficiſci velle, cuius nomini exercitationem tuam inſcripſiſti. Titium excutias, et Deckerum interpelles, admoneat ipſum de diſſolvendo aere alieno. De munere, qvod omnium expectationem commovet, nihildum eſt conſtitutum, nec honorem, de qvo ſcribis, prenſo. Qvin Batavia mihi in oculis eſt, parens illa ingeniorum, et nutrix, qvae allicit homines, et invitat ſtipendiis, alitqve ſtudia noſtra, et fovet, qvorum cultores negligi hic, contemniqve ſe, vident, et merito qveruntur. Potentiſſimus Saxo noſter Pozdamio rediit, et hac Torgam

C 5 tran-

tranſiit, Dresdam repetiturus. Hoſpitem tuum nobilisſimum ſaluta iterum, et illi mea ſtudia approba. Vale. d. XX. Mart. clɔ Iɔc LXXII.

XLIV.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

A Seculo inde VI. eſt, qvod regnum Italiae ab imperio Romanorum diſcernatur: neqve id non poteſt eſſe manifeſtum intuenti hiſtoriam Karolinam. Victo enim Deſiderio, ultimo Longobardorum rege, Italici regni ius habuit Karolus, titulumqve, belli titulo, uſurpavit. Sed nondum imperator Romae erat, eo qvod haec, a Longobardorum usqve adventu, ſuis ipſa peculiaribus finibus contineretur. Perrexerant ad ſuburbia Longobardi, miſerantqve in tecta ignem: ſedem tamen imperii, Romam, nondum occupaverant. Si iuris qvaeſtio eſt, aio, tunc Romam fuiſſe adhuc in ditione imperatorum Graecorum. Qvanqvam multum pleno obſeqvio detractum eſſet aevo Leonis Iſauri: ſenſum tamen imperii omnem evanuiſſe, non concedam. Qvod vel eruo ex ipſis actis Karolinis, et praeſertim annalibus Francicis, qvibus illa acta continentur. Allego transactiones cum Nicephoro, cum Michaele, cum Leone, auguſtiſſimis in oriente imperatoribus, initas. Adeo ſubdubitabat Karolus, adeo diffidebat ſuo iuri! Agnoſcebat facile, ſubiectos ſe alieno imperio eximere non poſſe. Opus ergo eorum conſenſu erat, in qvorum ditione usqve huc fuerat S. P. Q. R. Fuerat autem in ditione imperatorum Graecorum.

corum. Duo hinc conficio: unum, qvod imperator occidentis, qvatenus imperator, nihil poſſit praetendere in imperatorem orientis, nec viciſſim hic in illum. Facta enim ſeparatione in Karolingis limes aeternus inter utrumqve imperium poſitus eſt. Habet ſibi ſuas rationes oriens: habet occidens ſuas. Vt riſum prudentibus debeant, qvi aſſerunt, Leopoldum iure Imperatoris Conſtantinopolin repetere poſſe. Alterum, qvod imperator Romae veteris eo iure, qvo eſt imperator Romae veteris, habeat praecedendi dignitatem ante omnes reges, etiam ante Turcicum imperatorem, qva Romae Novae, id eſt, Conſtantinopolitanae urbis, imperatorem. Gentium enim certe cultiorum conſenſu eſt penes antiqvitatem momentum aſſerendae praerogativae, qvatenus eiusdem ordinis ſunt, inter qvos praerogativa eſt controverſa. Bene, ac feliciter Vale. d. XXII. Iul. cIↄ Iↄc LXXII.

XLV.
EIDEM.

STupendus Galli ſucceſſus eſt, neqve reperitur, qvi terra obnitatur. Propugnaculum Schenkianum, cuius huc usqve tanta fama fuit, amiſſum Hollandos perturbatiſſimos fecit, et ſunt, qvi credant, hac fortuna poſſe debellari Amſtelodamum. Sed multum abeſt, qvo minus aſſentiar, vel ex eo ſaltem, qvod claſſis Batavorum ſtrenue agat mari. Nec forte res Gallorum absqve diſcrimine erunt, ſi, qvod nunciatur, ſeceſſionem fecerint

cerint

cerint Angli. Caeſar, foederatiqve inferioris Saxoniae vel maxime minuent hunc metum, ſi comparent vires ad defenſionem ducatus Clivenſis, qvi in fide, ac ditione imperii Romani eſt. Sed noſtra cunctatione, ut ipſi aiunt, nolunt impediri, cautius facturi, ſi meminiſſent, Germanos iam Taciti aevo cunctari ſolitos, anteqvam bellarent; ſed, poſtqvam bellare coepiſſent, aegre ad pacis conſilia redire. Per Galliam alioqvin rumor eſt, Regem a Gallia non capi: qvaerere aliud ſibi par imperium, Alexandri exemplo, qvi vel Alexandro celerius iam dum in Bataviam penetraſſet. Hae ſunt gentis iſtius gloriationes, qvibus cumulant ſuos plauſus Ieſuitae propter impoſitum Vltraiecto Epiſcopum religionis ſuae. De Grotio antehac ſparſum, fuiſſe inter coniuratos: nunc affertur, ab Ordinibus ſuis *delegati* honore rurſus auctum, fida conſilia dare. Haec iam agitur fabula, et utinam fabula eſſet! d. XI. Aug. cIɔ Iɔc LXXII.

XLVI.

EIDEM.

BRandenburgicus Iulium Severum, de qvo apud Dionem, Xiphilinumqve eſt, prudentiſſime imitatur, Rheni, Moſellaeqve itinera occupaturus. Valde eum comiter habuit Moguntinus, ſecreto tamen, metu magis, qvam amore. Galli ſe recipiunt in dies, et ſubverentur Batavorum propinqviorem acceſſum: ut vel id ſatis ſit ad laudem Friderico Gvilelmo tueri limitem imperii, et una tueri gloriam, conſtantiamqve Germano-

manorum. Si forte cum Turenio deſcendendum ſit in campum, ſiniſtrae alae idem praeerit, qvanqvam expectare malit hiemem, et iniqvius hoſti coelum, qvod ſuperiori tempore Caroli Guſtavi Vrangelii conſilium, et conſentiens ingenio gentis fuit. Svedis, dici non poteſt, qvanta offerat Gallus, ut ſibi conciliet. At opinor, Svedos non temere deſerturos Caeſarem, qvin aeſtimaturos potius, qvam multum posſint Auſtrii, praeſertim Brandenburgico, Gvelfis, Hasſisqve innixi. Nec deſunt, qvi infauſta omnia allegant, exhibentqve a Caeſare receſſuris. In Batavia, dolendum, reperiri tot *demagogos*, plebem concitantes. Princeps Auriacus *omnem paene collectam gratiam effudit* infelici VVoerdani oppugnatione. Nec facile id miror de milite eo, qvi multo uſu, atqve exercitatione belli confirmatum animum habet: ceteri aut imperiti ſunt, aut diſcordes. Eo rediit res Praepotentium Ordinum, qvi potentia ſua neſciverunt uti. d. XXV. Octobr. cIↄ Iↄc LXXII.

XLVII.
EIDEM.

PEccarem, niſi dicerem, abundare tuam erga me benignitatem, qvam nulla re, niſi pietate obſeqvii, rependo. Et, ut ſummam eius habeas, opto, ut ad invidiam usqve felix ſis, *et in hac vitae brevitate vivendi ſpatium longisſime proferas*, qvo omnes tibi ſervatae pacis, tranqvillitatisqve gloriam debeamus, et literis, honeſtoqve otio in

dies

dies magis recreemur, ac floreamus. Sed de laudibus tuis qvod me velis eſſe parcum, id facit, ut te iure tuo impenſius laudem, celebremqve enixius incomparabilem illam modeſtiam tuam, qva me attonitum redderes, niſi ſcirem, te nunqvam tui disſimilem eſſe, et reſpicere praeſentisſima ope meas Muſas. Qvod Martini Henrici curae non tibi diſplicent, praeſtas officium herois ſapientisſime iudicantis: nec futurus erat, qvi a me acciperet librum, niſi tu, Domine, fuiſſes. Vtere ergo, et fruere pro libitu, et proprium tibi habe, ut, qvandocunqve legeris, mei memineris ſemper, cum gratioſisſimo, qvo me excivisti huc, tenuiſtiqve affectu. De externis Regibus, Gallo praeſertim, atqve Anglo, res adhuc maxime ambigua eſt. Alter tumidus, alter pertinax apparet, adeo qvidem, ut non inſtaurandae, ſed prodendae Auriacae dignitatis conſilia agitare videatur. Nec temere hoc imputatur molitionibus Ducis Eboracenſis, ob cauſam futurae alioqvin ſucceſſionis ab Auriaco immane qvantum abalienati. Brandenburgicum multa huc usqve remorata ſunt, verſus Confluentiam tranſiturum. Obiter addo, Boecleri mortem valde repentinam, et ſuis calamitoſam accidiſſe, qvod copioſe mihi retulit Pruſſus qvidam, paulo ante obitum familiariſſime cum eo verſatus. Nihil reſtat, niſi ut vota perpetua ſaluti, gloriaeque tuae commendem. Prid. Kalend. Novembr. cIↄ Iↄc LXXII.

XLIIX.

XLIIX.
EIDEM.

ESt apud me *diploma* vetus ſane, et probum, unde intelligo, Merovingos initia poſuiſſe eius urbis, qvae medio aevo *Erphesfort*, hodie *Erfurt*, appellatur. Si reqviras, qvis fecerit, nominabo Dagobertum, cuius avus Mervigus fuit. Inde a Merovingis pervenit ad Carolingos, qvos qvi Franco-Gallos vocant, omnium minime ineptiunt: et Limnaeus tamen, in Notitia Franciae, ſaepe loqvitur, et iudicat praeter verum. Qvanqvam enim ut Franci acqviſiverint Galliam, fecerintqve ſuam: tamen, qvatenus Franco-Galli, poſtea poſſederunt. Sed, extinctis demum ſec. X. Carolingis, Francia Teutonica, qvae iam ſec. IX. iverat in ſeparatas rationes, ſecluſaqve ab occidentali illa, et Gallica fuerat qvaſi ſciſſa, diviſaqve inter Herbipolenſem Epiſcopum, finitimosqve principes eſt. De rebus ad Rhenum nuncii pacis perferuntur. Auriacus infelix eſt: Batavi, cum pugnandum eſt, diffugiunt, et Hiſpani talium militum ſocietatem recuſant. Auſtrii ſic Rhenum proſpiciunt, ut ſimul Danubium reſpiciant. Turbat ibi Stephanus Retzotzius, eundem forte exitum habiturus, qvem habuit Stephanus Ratzinius in Ruſſia nuper. In Polonia, ſi ſic diſſentiant Satrapae invicem, ordo eqveſtris, licet illic tribunitius, et δημοκρατικόν τι praeferens, involabit in procerum iura. Andreae Gneſnenſi Archiepiſcopo propemodum aqva, et igni interdicetur. Coſacos

ſacos ferme, hac temporum fortuna, taedet Turcici regiminis. Qvod ut eveniat, per Polonorum concordiam ſtabit. Sed ſoſpitet te DEVS, Domine, et conſilia fortunet. Kalend. Novembr. cIↄ Iↄc LXXII.

XLIX.
HENRIETTAE CATHARINAE FRISIAE,
Virgini Illvstrissimae.

SVbit me pudor, cum ſubit memoria promiſſorum. Sed morae ignoſces, cum ſenties, huius graviſſimas cauſas fuiſſe. Affuit mihi aliqvis per hoc tempus numariae antiqvitatis peritiſſimus: oſtendit numos rariſſimos, Pompeii, Iulii, Augusti, Principum iuventutis Caii, et Lucii, Tiberii, usqve ad Ludovicum Pium. Vidi bigatos, ſerratosqve: vidi emortuales: vidi primae, mediae, et tertiae magnitudinis cupreos: vidi aureos, argenteosqve, Romanos, et Gothicos: qvorum hi placébant egregie, et delectabant, praeſertim cuſi a Theodorico. Moneta Conſtantini M. hac inſcriptione inſignis eſt: D.N. *Conſtantinus: Nob. Caeſ.* id eſt, Dominus Noſter Conſtantinus, Nobiliſſimus Caeſarum. Saepiſſime etiam ridendi ſunt, qvi Conſtantini M. elogio inciſam allegant. Tales enim non ſunt ex probis. Alia res, cum de Pompeio ſermo eſt. Huic gentilitium Magni nomen fuit, contra, qvam autumat vulgus. Neqve Carolus Magnus magni elogium numis curavit

incidi.

incidi. Aſpexi verum: falſos enim adulterinosqve iudicare poſſum. Literae hae expreſſae erant: *CAROLVS*. Fumos vendunt, qvi Magni titulo inſignitos oſtendunt. Vt nihil referam de *bullatis*, *ſemibullatis*, et *Klippingiis*. Ita enim artifices nominant Germanis olim familiares. Dabo vel unius exemplum. *TIMO ABBAS PISOVV*. Indicio hoc eſt, principes, praeſulesqve Germaniae, iam ab antiqviſſimo tempore habuiſſe ius cudendi numi; idqve non Caeſaris, ſed ſua effigie. In Carolo Patinio reperi qvosdam falſos, qvosdam effictos ad aſſentationem. Abſtineo manum a numis *cruciferorum*, qvos ipſe cum aliis ſervo, ſi placet, uſui tuo deſtinandos. Grammaticam I. Sterpini Hafniae excuſam, id eſt, Anglo-Danicam, Gallicamqve, mitto. Cetera proximo tempore curabuntur. Haec aeqvi conſule, Domina, illuſtriſſimoqve Patri pietatem tot beneficiis obſtricti clientis expone. Ad inſtitutum rei numariae commendabo Iacobum de Bie: de Hebraeis legas, licet, Eduardum Brerevodum. Nonis Novembr. cIↃ IↃc LXXII.

L.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

QVi id dant operam, ut literas Auguſtorum, atqve *diplomata* expendant, praeter alia, nec immerito, poſtulant exactam ſtyli ſcientiam, qvi et variavit ſubinde, et maximas vices habuit Germanico aevo. Karolingi ſe Imperatores, ſed non ſine adiectione *Auguſti*, ſive *ſereniſſimi* ſcripſerunt:

runt: nec ſano ingenio ſunt, qvi titulum, *Dei gratia*, proferunt ultra Karolingos. Caeſaris nomen, qvod viderim, nemo uſurpavit praeter Ludovicum Bavarum. *Regalium* vox primum innotuit ſec. XII. et *feudi* ſcriptio ſerius invaluit, qvam ut aptetur temporibus Caroli Craſſi. *Electoris* notionem, prout exprimitur hodie, perinſcite nuper Aſcanii compoſuerunt cum XII. ſeculo. De verbo *Comitis Palatini* reqviro maiorem curam, accurationemqve Coenobii Lindavienſis, ne Paderbornenſes referam, qvi pari negligentia parem reprehenſionem merentur. Communi noſtrorum hiſtoricorum morbo, qvi, idem eſſe, putant, dicere ex ſuggeſtu, et rimari temporum monumenta. Sed tu ipſe intelligis, Domine, qvanto ab ſe intervallo haec differant, et uſus ipſe docet, nunqvam tales neqve induſtria fieri meliores. De Gallis affertur, conſenſuros in Lotharingi reſtitutionem. Svedia ivit in partes. Regni Cancellarius, et Regina, ordinum odium, propter Gallici nominis ſtudium, incurrerunt. Qvindecim millia Finnorum, ſi verus rumor eſt, in Pomerania expectantur. Dux Cellenſis multus eſt in monumento prope Stithornam excitando. Hamburgenſes usqve eo metuunt ſibi, *ut omnia diverſoria perreptent, ac perqvirant*. Polonia domi ſe conſumit prius, qvam foris conſumatur. Sed interim partes tuas, Domine, fortunet DEVS immortalis. d. IIX. Nov. ↄIↄ Iↄc LXXII.

LI. CA-

LI.

CAROLO, L. B. A FRISEN.

Emiſſa iterum Euſebii Hiſtoria Eccleſiaſtica eſt; ſed ita ſaepe vitioſe, ut ſubeat mirari. Graeca, optarem in primis, maiori cura expreſſiſſent, qvi emendando operi vacaverunt. Sed hoc patet, pleraeqve editiones Moguntinenſes aut mutilae ſunt, aut minus nitidae. Spes mihi facta eſt, Gallos recudere velle, qvi et ſcriptu in primis, et peritia harum rerum polleat; ante reliqvos omnes Stephanus Baluzius, cuius egregiae, accurataeqve editiones extant. Imitatur hodie Antiſtes Paderbornenſis, et inſignia monumenta profert in lucem. Sed hic opus eſt circumſpectione, ne fallant illi incautos, et interdum adulterent veram antiqvitatem. Cuius moris exempla ante oculos et mihi qvotidie obverſantur. Sed ſaepe librorum, unde olim excerpſi, inops ſum. Bibliotheca enim noſtra huc usqve parum curata eſt, et certe meliores editiones deſiderantur. Peto igitur abs te, Domine, conſulas gratioſiſſime fortunis meis, et cum ſcriba Vitebergenſis ſoluturum neget, effice, ut aliunde mihi ſubveniatur: Nam ita exhauſi Patrimonium coemendis libris, ut nullum, niſi in Tua benignitate perfugium reliqvum ſit. Qvod, confido, eo magis impetraturum, qvod publicum Academiae commodum quaeratur. Ita ſervet te DEVS, cui profiteor me aeternum admiratorem. d. XXI. Novembr. cIↄ Iↄc LXXII.

LII.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

REqvirenti veterum ſententias de Romanorum Imperio, ad Germanos delato, obvium eſt Matthiae Flacii ſcriptum huius argumenti. Probatur mihi multa viri lectio, qva vel iuſti hiſtorici laudem aſſeqvi potuiſſet, ſi civilium rerum iudicio praeditus fuiſſet. Hoc enim nonnunqvam deſidero, et ſcriptorum, unde ſua excerpſit, delectum. Blondi, Naucleriqve teſtimonia ad V. retro ſeculum vocat, ut confirmet, eo tempore Conſtantinopolitanos imperatores primum deferre voluiſſe imperium ad Germanos. Sed haec, et talia miror, cur exciderint Flacio, niſi forte eum abripuit fervor diſputationis: qvanqvam de induſtria et ſcribat haec, et defendat. De cetero non reprehendere auſim viri inſignem peritiam hiſtoriae ſacrae, qva ipſum pauci praeſules noſtri aeqvaverunt. Galli tamen, Angliqve paria fecerunt, praecipue David Blondellus, et Henricus Hammondus, et Stephanus Baluzius. Hic inſuper nitidas curat editiones, et Petrum de Marca magis illuſtrat egregiis notis. Galli enim et ſumptu in primis, et peritia pollent harum rerum. Iam finire epiſtolam animus erat, niſi me retineret Hadrianus Barlandus, qvem nuper recuderunt Batavi, et valde mutilarunt: qvanqvam is non magnae ſit auctoritatis, et omnia fere ſua accepta ferat Iacobo Mayero, praeſtanti Annalium Flandricorum conditori. Alioqvin a Rheno nihil memora-

morabile eſt, niſi qvod utrinqve cunctatio iuxta formidinem ſit, et Batavi his fortaſſe rebus redire velint in veterem imperii clientelam. d. XXII. Novembr. clↄ Iↄc LXXII.

LIII.
ADAMO CHRISTOPH. IACOBI,
IC. Dresd.

Timmanus Geſſelius, cuius mihi copiam feciſti, *Addenda*, qvae vocat, deſumpſit ex Gallo qvodam. Eſt huic nomen Antonio Godavio. Non diſplicet uterqve auctor, nec fefellit te, Maecenas, iudicium tuum. Proxime ad me curavit Antiſtes Gothilandicus *chronicon* perrarum, et id, credo, in univerſa Saxonia non reperiendum. Spes etiam facta eſt baculi Runici. A Pruſſo qvodam accepi varios numos, pertinentes ad antiqvitatem. Iterum ex Svedia cognoſco, me Svedos deſtinaſſe ſibi, immo et finitimos, ſi Philoſophorum irae deferbuiſſent. Sed omne id G. et C. imputandum. Altero iam reconciliato utor. Id, ut credo, unum tui favoris beneficium eſt. Perge ita favere meis Muſis. Si qvid vota concipere poſſunt, florebis ex voto. d. XXV. Nov. clↄ Iↄc LXXII.

LIV.
HENRICO, L. B. a FRISEN.

Titulorum, qvos Auguſti uſurpant, amplitudo primum exemplum habuit in Commodo, Antonini Philoſophi filio: nec fuit ante eum, qvi

 tanto

tanto apparatu uteretur. In primis hoc genere abundavit Conſtantii aevum, et grandibus, qvae nondum invaluerant, inſcriptionibus aſſvevit. A Conſtantinopolitanis id acceperunt Franci Karolingi: ab his, ut colligo, ceteri Septentrionales, qvi maxime penſitant titulos, et vel omiſſum honorarium characterem pro iniuria habent, ut ſuperiori tempore teſtatum fecit Carolus Guſtavus, Svedorum Rex. In Republ. Germanica, ut interdum variaverit ſeculum, et qvae cuiusqve ſcriptura tituli fuerit, didici ex *diplomatis*. Karolingica vidi Paderbornae, annuente Ferdinando Antiſtite, eodemqve harum rerum peritiſſimo. Ottoniana collegit Meibomius, et, ut iudico ex ſtylo, ac certis argumentis, non ſuſpectae fidei; ſed vera, ſed proba. In literis, ad Leopoldum exaratis anno clↄ Iↄc LV. d. XIIX. Iul. Henricorum aliqvot Corbeiae reperi: reliqva Caſſellis, praecipue autem a ſec. XII. obvia mihi, ſingulari beneficio, fuerunt. Conringius Stadae inſpexit pleraqve, cum ſcriberet pro Svedis, et probaret, Bremam olim in ditione *archiepiſcoporum* fuiſſe. De Brandenburgico fama affertur velitationum ſecunda fortuna commiſſarum. Addunt qvidam, Vaubrunium eſſe captum: Sed nihil auſim de incertis affirmare. Tantum hoc adiungo de epiſtola Sinceri Germanici ad Ludovicum Seldenum, ſub ficto nomine ſcripta, non ineptum eſſe auctorem, nec Gallicae deſtinationis ignarum, qvanqvam qvaedam proletaria ſunt, qvaedam etiam omiſſa. Cum ob Cliviam, et recte qvidem accuſat Gallum violatae

latae imperii iurisdictionis, addere etiam debuit Culenburgum, hodieqve imperii *Comitatum*, ut ſcio ex noviſſimis inaugurationum beneficiariarum tabulis, qvas vidiſſe memini in arce Stroeſenſi, qvae *Comitum* Valdecconſium eſt. His acqvieſce nunc, Domine. d. XXIX. Nov. cIↄIↄc LXXII.

LV.

EIDEM.

EST apud me codex Dionyſii Longini, ex recenſione Pauli Manutii, idemqve forma inſignis, et Graeco ſtylo. Delector, cum inſpicio, praeſertim ob rarum, nec inelegans de aliorum ſcriptura iudicium. In ſtylo Moſis probat decorum, et expreſſam paucis verbis loqventis DEI, rerum conditoris, maieſtatem. Praeter hunc copia mihi facta eſt Demetrii Phalerei, qvem primus, qvod ſciam, Petrus Victorius evulgavit, vir Graece perinde, ac Latine doctiſſimus. Laudat eum Cicero in opere de officiis, et exaggerat ſvavitatem in primis, et in medio dicendi genere paene omnibus Graecis anteponit. Fabius tamen cenſet, inclinaſſe ipſum eloqventiam, et lenius, qvam pro inſtituto oratoris, ſcripſiſſe refert. Pro verbo, *inclinaſſe*, legunt alii, *inchoaſſe*, eloqventiam primum: inepte vero, et contra hiſtoriae fidem, et certe contra Fabii intentionem. In iis numerem Martinum Henricum, cuius extant commentarii in libros Ciceronis de Officiis, paſſim, ut ſentio ignoti, nec inepti tamen, atqve prorſus inſciti. Haud ſcio, an eos legerit H. Grotius, qvan-

qvam, ut indicia ſunt, familiariſſimos ſibi fecerit illos Ciceronis libros, et nemo expreſſerit propius dignitate ſtyli, ac gravitate argumenti. Stylum autem Grotius mediocrem alioqvin, atqve aeqvabilem ſectatur. Obſidio tamen Grollana, anno huius ſeculi IX. et XX. edita, haud usqveqvaqve implet menſuram Grotianae laudis, ſi, ut ſentio, ſcribere nunc qvidem auſim. De publicis affertur copias Caeſareanas maturare per Thuringiam iter. Monaſterienſis ſolvit obſidionem Groeningae: Traiectum ad Moſam eodem metu liberatum, Turenio, Duce Luxemburgico, et *Marchione* Rochefortio in cuſtodiendum regni limitem intentis, et, qvanto poſſunt ſtudio, Ducis Condaei reditum expectantibus. Qvo rerum ſtatu multa ſane ſunt, qvae Germaniae dant ſignificationem civilis belli, nitentibus his pro Gallo, illis contra. Septentrio aſſerit, nihil movere ſe velle Germaniam, nec appetere Auſtriam domum: ſed latet forte, qvod non creditur vulgo, qvandoqvidem Gallus non contra imperium, ſed contra provincias, ab imperio ſeparatas, comparavit bellum, perinde ac ſi Clivia, Iuliacum, et Montes nihil cum imperio commune haberent. Sed haec luditur fabula: multi dum tergiverſantur, hoſtes ſunt: alii, cum deliberant, iam defeciſſe intelliguntur. Medeatur, qvi poteſt, malo DEVS, et tibi conſiliorum, qvem tenes, clavum fortunatum eſſe iubeat, et ſalutarem. Obturandus ſane nobis ad omnem fortunam animus eſt, nec aliter ſperandum temporibus ferme deſperatis. d. VI. Decembr. cIↄ Iↄc LXXII.

LVI.

LVI.
EIDEM.

XEnophon, qvem utraqve lingva edidit Io. Leunclavius, multa egregia habet, et pertinentia ad inſtruendam vitam. Nec puto inutiliter legi cum Ciceronis Officiis, et libris τῶν ἠθικῶν, ab Ariſtotele vulgatis, qvi velut fontes praebent ſanae cuiusdam, et expeditae doctrinae morum. Neſcio, Domine, an videris in Ciceronis Officia Eraſmi, et Melanchthonis annotationes, qvas legiſſe olim memini, qvanqvam plus virilis philoſophiae habeant Viti Amerbachii, et Hieronymi Volfii. Lambinus fere ineptit, et nihil, niſi codices diverſos allegat. Ex publicis nunciatur Batavorum iter verſus Rhenum, conſilio, ut videtur, ſalutari, qvo Principes Gallicae factionis ad iuſtum obſeqvium reducantur. Monaſterienſis creditur *rediiſſe ad meliores partes:* Populus Batavus Auriacum Principem cum imperio civili praeeſſe ſibi flagitat: Generales Ordines odit, atqve averſatur. Caminicia proxime dolo, ac proditione pervenit in poteſtatem Turcarum, aperto ad Leopolim aditu, magno et Poloniae, et totius Chriſtiani orbis damno. Svedi renunciant foederi Gallico: Brunovicenſes reconciliati ſunt, definitqve Io. Fridericus fovere Gallicas partes. Qvibus rebus et Saxoniae inferiori, et Veſtphaliae bene ominamur. Tibi, conſiliorum Principis arbitro, glorioſa, et patriae utilisſima, felicisſimaqve conſilia precamur omnes. d. XII. Decembr. cIↄ Iↄc LXXII.

LVII.
EIDEM.

NVnc Batavi denuo, velut excitati, animos capiunt, ac fortes ſe, et ſtrenuos praebent Auriaco ductore, qvi caſtra movet, ut a tergo ſe in hoſtem inferat, et prima qvaqve occaſione repetat Vltraiectum. Brandenburgici agunt in hoſtis ſolo, et Monaſterienſem agrum hinc inde populantur, parati dimicare (tanta alacritas eſt) patente campo, ſi, qvi Vlyſſem imitatur, annueret Fridericus Vilelmus, non impetu magis, qvam conſilio affuturus. Legatum Galli, inſolentius locutum, et nihil, niſi *Domini Electoris* titulum praefatum, ſic dimiſit, ut pari formula nunciaret *Domino Regi*, aut redderet occupata Batavis, aut experiretur cum armato. Hoxtera iamdum ſe dedidit, qvod valde pungit praeſulem Martium, qvi, cum videat, qvo res ſuae redactae ſint, diſcesſionem facere a Gallis velle creditur, praeſertim, qvod novas reconciliandae gratiae conditiones Caeſar offerat, qvas, ſi iam neglexerit, aegre ſperabit in poſterum. Nihilo ſecius pavidus, trepidusqve iactatur Colonienſis, cui optem Hieronis, Syracuſarum reguli, animum, qvi in tempore olim Carthaginienſium foederi renunciabat, ne exitii, qvod inſtare ſenſerat, auctor ſibi eſſet. Acceſſit Brandenburgicis copiis Chriſtianus Ludovicus, *Comes* Valdeccius, idemqve ductor Lotharingicae legionis, agnato eius, de qvo proxime ſcripſi, cum genero *Comite* Erpachio ſub ſignis Auriaci

meren-

merente. Vſqve adeo ſe erigit vetus Saxonia noſtra, et bona, fortiqve opera nititur ad vindicandam gloriam Romani nominis, et nobis cognatam Batavorum gentem! Hiſpani Montereſio *Comiti* prorogant officium Belgici Rectoris. Angli, reſtituto in veterem dignitatem Auriaco, non recuſaturi pacem perhibentur. Svedi fortunam ſuam in manu habent, nec, ut opinor, hoc rerum ſtatu expetunt amicitiam Galli. Si contra faxint, non modo gloriae, ſed et utilitati ſuae derogabunt. Lunaeburgici, et Haſſo-Caſſellani omnes in armis ſunt. Dano ipſi diſplicet tacitum iſtud Gallorum, Anglorum, Svedorumqve ad ceteros oppugnandos initum foedus. Rex Poloniae proditur a ſuis. In Vngaria inſignem cladem accepit Spankau, cuius alioqvin incredibiles ſucceſſus tota Vngaria, Germaniaqve admirata eſt. Eid. Decembr. clɔ Iɔc LXXII.

LIIX.

AMICO HELMSTADIENSI.

FOrſan haud abs re credas, me huc uſqve aut mei oblitum, aut erga te iniqvum fuiſſe, qvi nihil reſponderim ad tuas, mihi alioqvin gratiſſimas, literas. Sed qvae meae hic occupationes ſunt, ita diſtineor, ut vix, ac ne vix, otium ſuppetat, ſi vel maxime amicis approbare officium velim. Haecqve cauſa fuit, cur plerisqve, ad vos euntibus, negotium dederim, et ſalutandi te, et ſimul excuſandi me de mora. Qvi an curaverint, neſcio eqvidem, nec tamen temere ſuſpicor.

Illud

Illud vero, qvod tunc de Conringio veſtro ſcripſiſti, multo me gaudio affecit, cum ob recuperatam valetudinem, tum ob egregium, qvem in cauſa Lindavienſi laborem ſuſcepit. Admiror ingenium viri, et iudicium ſingulare, et immenſam lectionem. Vſqve adeo ille ſo us in hiſtoria Germanica excellit, et noſtris perinde, atqve exteris lumen accendit, dignus, cui poſteritas ſtatuat illuſtratae Germaniae monumentum! Mihi ſatis erit ſeqvi veſtigia viri, et agnoſcere merita, ac referre poſteris magnum nomen. Nec mihi aliud iam in numerato eſt, qvam exigua diſſertatio de originibus Pomeranicis, *qvae, opinor, ſtudii in te, atqve amicitiae ſignificationem dabit.* Vale, et Parentem tuum, qvem abſens, ignotusqve veneror, multa ſalute imperti. d. XVII. Decembr. cIↃ IↃc LXXII.

LIX.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

Mitto diſſertationem ſine mole, at forte non ſine nervis. Attempero ſtylum, ne arguere videar: ſeqvor Buchnerum tuum, eadem libertate plus ſaepe innuentem, qvam dicentem. Statuas de pietate, Domine: pravos ſenſus deteſtor: ſervabo obſeqvium: vertam omnia ad laudem. Iam, qvod ſuccurrit, referam ex hiſtoria maiorum: referam de iure ſcripto caſtrenſi Germanorum. A Taciti usqve aevo ad tempora Friderici Aenobarbi ſoli mores valuerunt. Fridericus demum in Roncaliis campis A. cIↃ CLXXX. redegit in leges,

ges, primumqve huius gloriae fructum tulit, ut auctor idem, conditorqve iuris militaris ſcripti haberetur. *Conſtitutionem* ſervavit Melchior Goldaſtus: cetera leguntur apud Radevicum, dictorum, factorumqve Friderici eximium teſtem, poſt Friſingenſem illum. Sed notandus hic qvorundam error. Aiunt, veniſſe Fridericum, et, *ut Pontificis frueretur aſpectu, in genua procidiſſe, ac, ne quid deſit fabulae, calcibus pulſatum fuiſſe.* Mente careat, qvi credat. Nihil tale memorat Friſingenſis: nihil tradit Radevicus: nihil prodit Romualdus, Imperatoris in illa expeditione comes, diligens qvondam Salerni antiſtes. Generoſior Fridericus erat, qvam ut talia pateretur. Nec conceſſuri id erant Germani proceres, Imperatori claudentes latus: praeſertim eo tempore, qvo armis aſſerebatur imperii maieſtas. Immo vero Fridericus adeo ſe non ſubmiſit Pontifici, ut qvoqve literas exprobraret, paulo inſolentius ſcriptas. Nondum fabulandi modus: oritur ex uno commento aliud. Tradunt, aqvis merſum deceſſiſſe. Nondum aſſentior. Habemus *diarium* Thagonis: altum in eo de tali obitu ſilentium, niſi qvod Otto de S. Blaſio ſtet pro opinione vulgi. Ceteri, qvicunqve accuratiores, aut tacent, aut diſſentiunt. Vale. d. XIX. Dec. cIↃIↃc LXXII.

LX.

EIDEM.

IOannes Palatius, doctor in Lyceo Veneto, idemqve Gallici nominis ſtudioſiſſimus, veteres Karolin-

rolingorum, ſeqviorisqve aevi regum numos haud ineleganter exprimendos curavit: plerosqve tamen reperi ſpecioſe confictos, et plane diſſentientes a vero hiſtoriae ratione. Vel unum, ſi placet, nominabo Ludovici IV. Arnulfi filii, in qvo perperam inciſum eſt: *CIVES TVRONVS.* Tum additus Imperatoris titulus aperte arguit falſitatem, qvandoqvidem Arnulfus, Ludovici IV. pater, inter Karolingos poſtremus fuit, qvi uſurparet titulum Imperatoris. Sed ego ipſe vidi numum, ab opidano qvodam e terra effoſſum, et, qvod forte mireris, IX. ſeculo cuſum, qvi prorſus tacet de elogio Imperatoris. Qvod de Palatio obſervavi his feriis, id dudum in Carolo Patinio caſtigavit doctiſſimus vir, Reineſius, qvo nemo gnarior fuit ſtyli ſeqviorum temporum, modo peraeqve civilis hiſtoriae rationes perſpectas habuiſſet. Sed haec ipſe iudicabis, Domine, qvi poſſis id expeditiſſime in tam admirando retruſae eruditionis apparatu. Publice varia nunciantur. *Svedi exaggerant iniuriam, Darmſtatino factam:* excuſat Brandenburgicus. Caeſar ex propinqvo Fridbergam, imperiale opidum, cuſtodit. Subvereor Haſſiae ſuperioris ruinam, ſi concitentur Svedi ad vindictam. Auſtri, et Brandenburgicus, Saxonesqve noſtri inferioris Germaniae, iam dudum optant Svedos non habere vicinos, qvod credant, diſturbandae Germaniae iam a tempore Caroli Guſtavi rationes qvaeſiviſſe. *Quo rerum ſtatu invoco Numen aeternum, ne ſinat in poſterum periclitari Proteſtantium res, neu*

veu Septentrionis audacia noſtris partibus periculum arceſſat. Non eſt diuturnum, qvod praeceps eſt: ſedata conſilia durant: pacifica optamus. Tibi vigentem, et tot arduis laboribus, curisqve ſuffecturam ſenectam precamur, vovemusqve, ut inſtans hic annus bene tibi, bene Principi tuo eveniat: uterqve nobis pacem glorioſam conſervetis. d. XXVII. Dec. clɔ Iɔc LXXII.

LXI.
EIDEM.

BRandenburgicus, qvantis poteſt itineribus, contendit in interiora Veſtphaliae. Hoexteram, Corbeiam in aditu ſubegit, et collationes militares impetravit. Electoratus Colonienſis Candidatus, *paſſim invifus eſt ob partes, qvas amplexus eſt, Gallicas.* Venit hic mihi in mentem conſilium, qvod Carolus V. Philippo dederat, coleret Praeſules, et horum amicitia uteretur, ſi Burgundiae recte conſulere vellet. Reputavit hoc ſecum Ludovicus XIV. et multum profuit rebus ſuis, concilians ſibi Veſtphaliae Epiſcopis, qvi iuncti multum poſſunt in pacis, belliqve negotiis. *Sed recidet in capita ipſorum, qvod machinati ſunt. Monaſterienſis* qvidem adhuc exaeſtuat; ſed, ut ominamur, periculo ſuo. Subtimidus eſt *Colonienſis*, ſed audax videri vult, et in agnati *Electoris* conciliatione ſpem ponit. Galli adhuc ingenium iuvenile eſt, et deferveſcere poteſt inſtante bello. Nam Hiſpani, Auſtrii, Batavi, Brandenburgicusqve, ſic devinxerunt ſe invicem, ut cum tuendae com-

communis ſecuritatis, tum liberandae, moderandaeqve civilis potentiae cauſa, nunqvam ab ſe invicem receſſuri ſint. Svedi videant, ne temere implicentur. Nam et rupti triplicis foederis memoria acerba Madriti, Viennaeqve eſt, et Caroli Guſtavi offenſas nondum ex Leopoldi animo deleverunt. Pomerania ſubtimet aliqvid, et forte irritatorum Ordinum ex Polonia tempeſtatem. Providet Brandenburgicus, et Stargardiam, Colbergamqve curat enixe. Nam non puto fore, qvod timeant a Svedis, qvippe aeſtimaturis, qvantum male affecta, praecipue hoc tempore, et converſo rerum ſtatu, Auſtria vicisſim posſit. Sed vero tibi, Domine, ea ſint, ea identidem oriantur conſilia, qvibus et ſervetur auctoritas tua, et pax ſtabiliatur, qvo terris, gentibusqve magis innoteſcas. Ita DEVS te ſoſpitet orbi, patriae, et meis Muſis. d. III. Ian. cIɔ Iɔc LXXIII.

LXII.

EIDEM.

PRo invitatione ad nuptias ago, habeoqve gratias, et, cum tempus eſt, exiguo munere animum teſtabor. De cetero tibi precor, voveoqve, ut annus hic et bene incipiat, et optime, feliciſſimeqve exeat. Ex publico ſaepe affulget ſpes pacis, et ſubita iterum tegitur nube. Svedi fovent conſilia Monaſterienſis: Pomeraniae imminet forſan irruptio ab iratis, irritatisqve in Polonia Ordinibus. Brandenburgicus vigilat. Aut creſcet his rebus, aut minuetur. Haſſo Darmſtatinus ob ſtu-

ſtudia partium Svedicarum maximo damno affe-ctus eſt. Adeo variavit ſuperior ſtatus, *nec citra periculum eſt, facere hodie cum Svedis.* Felix, qvi medium praeſtare ſe poteſt his rebus, et neutram ſeqvi partem ſine dignitatis iactura. Brandenburgicus in comitiis et qvaeſivit Cliviae reſtitutionem, et, nomine damni dati, ſatisfactionem. Vtramqve iure armato recuperandam obtinuit. Neſcio, an ex re Saxonicae domus, cuius auxilia, et foedus ambiebat Pozdami, ob ſpecioſum huius cauſae titulum. Sed, vel procedente executionis opere, contra obteſtando ſervari noſtrum ius, et neutrae partes poſſunt. At vero haec ultra privati hominis captum ſunt, et te iudicem, Domine, expectant. Ita vale, et ſignifica illuſtriſſimo fratri, *me bene precari recuperatae valetudini*, et novo filiae connubio. Mea alioqvin opinio eſt, aut hieme hac componi pacem, aut vere inſtante conflari certum civile bellum. Nonis Ianuar. cIↄ Iↄc LXXIII.

LXIII.

EIDEM.

NVnc ſerio tandem in Veſtphalia incipiunt velitationes, et mutuo damno, cladibusqve penſantur adhuc. Monaſterienſem nihil tam male habuit, qvam iactura Coverdae, ex qva erumpere Friſii, et fines Antiſtitis populari poſſunt. Hollandi ſegnius rem gerunt, ductoribusqve belli parum aptis utuntur, ac ſaepe, aemulatione laudis diſſidentibus. Auriaco aliud hic, aliud ille

ſvadet: qvo ſtatu parum proſpere res eunt. *Comites* plerique Vurzium propter imagines deſpiciunt: hic manum, velut alter Marius, intuetur. Valdeccius confectus annis eſt, et conſilio, qvam manu, paratior, ac ſaepe propter corporis dolores lecto affixus. Verlam, Veſtphaliae opidum, et munitum valida arce, Brandenburgicus corona circundedit. Quod niſi Electori Colonienſi ereptum fuerit, in perpetuo periculo verſabitur Comitatus Marcanus. Interim ille, et Monaſterienſis, auxilia, qvanta poſſunt contrahunt, Gallorum opera preſſuri Brandenburgicos. Ego credo, brevi fore, ut ſub clypeo pax coaleſcat, et Svedorum, qvi ſe Hagae interponunt, beneficio pax reddatur. Si alioqvin, ut omnia futura dubia ſunt, creſceret in dies bellum, et traiiceretur, velut incendium, ad noſtros fines, nihil perinde vererer, qvam ne qvid ſiniſtri eveniat iis, qvi generali pace Osnabrugenſi non ſunt comprehenſi, qvantum ad omnes res ſuas. Sed ſpero, proviſuros Svedos, ne magis a Catholicis qvam Reformatis timeamus, ut prudentiſſime timebat Io. Georgius I. cum Palatinus Fridericus V. et vicinus ſibi, et potens nimis fieret. DEVM vero obteſtor, ut ſervet Saxonicam domum, aſſeratqve ab omnium hoſtium inſultu, ut qvae in *Proteſtantium* ordine in Germania praecipuam dignitatem gerat. Ita DEVS velit, et te ſoſpitem eſſe iubeat, et conſilia comitiorum provincialium fortunet. d. XIII. Ian. cIↄ Iↄc LXXIII.

LXIV

LXIV.
EIDEM.

Literas tuas Lipſia ad me miſſas accepi, et ad eas copioſe reſcripſi, nec ſcio, qvid ſit, cur non curaverit auriga, niſi forte eius negligentiam accuſem. Ceteroqvin *diploma* Karolingicum, qvod edidit Daniel Heiderus, non prae ſe fert ingenium Karolingici aevi; ſed, ut ſe mihi prodit, dictiones habet XII. ſeculi, et, ſi illius qvaſi articulos, et intervalla puto, demum confectum eſt tempore Friderici Aenobarbi. Ex publicis memorant, Brandenburgicum ab una parte Gallos valde intercluſiſſe commeatu: hos vero Vltraiecto, ſi excedendum ſit, ignem ſubiecturos. In Polonia facta pax eſt, Podoliae iactura, non reluctante Moſcho, qvi Polonos illinc metuebat olim, cum florerent. Nihil addo, niſi erga te, Domine, pii humillimiqve animi ſymbolum. d. XIV. Ian. cIɔ Iɔc LXXIII.

LXV.
IO. GEORG. BOERNERO,
IC. Dresd.

Adhuc tui ſimilis es, et benevolentia, qva me dudum complexus es, etiamnum ſic devincis, ut nihil perinde mihi gaudio ſit, qvam cognoſcere de florenti rerum tuarum ſtatu. Qvod ad me pertinet, mediocriter habeo, et, poſtqvam a ſuperiori morbo convalui, libens accipio prolixiſſimum affectum tuum, atqve oro DEVM, ut,

qvicqvid valetudini, honoriqve expedit, cumulatiſſime tibi impertiatur. Zieglero, ut voluiſti, ſalutem dixi, cum aſſideremus invicem, et mutuo loqveremur ſuper menſa. Iuſſit, reſalutarem te, et, qvam nominis tui cupidus eſſet, ſignificarem. De cetero mitto tibi aliqvid meae lucubrationis, ac veluti hiſtoriae meae Germanicae leve praeludium. Qvaeſo, ne moleſte feras, ſi forte impolitum aliqvid occurrat. *Nam ita diurnis recitationum operis diſtrictus ſum, ut, qvam vellem diligentiam ſemper ponere non poſſim.* Ita vale, et feliciſſima omnia precanti amorem ſingularem, atqve patrocinium ſerva. d. XIV. Ianuar. cIɔ Iɔc LXXIII.

LXVI.

N. N.

EGregium candoris tui indicium eſt, qvod cum liberali homine agis liberaliter, et non damnas cenſuram, aut refugis; ſed qvoqve expetis privatim, ac moderationem ingenii tui probas. Ego in tuis nihil deſideravi unqvam, niſi uberiorem *Nomothecicae* expoſitionem, qvam vellem cuiqve regno et reipubl. ſubieciſſes. Id autem, ſi otium fuerat, praeſtare facillime potuiſti, ut qvidem id praeſtitiſti in recenſione rerum Svedicarum, ubi noviſſimam Carolo-Guſtavianam ſanctionem et recte adducis, et diligenter examinas. Optarem, id latius executus eſſes, et ſimiliter in Hiſpaniae regno feciſſes, et ſtylum non tam ad hodiernas iureconſultorum dictiones, qvae a puritarita-

ritate civilis cultus longe abeunt, qvam ad virilem Romani aevi prudentiam accommodaſſes. Sed, qvo minus id fieret, haud dubie occupationes tuae, qvibus, velut reipubl. tuae Papinianus, diſtineris, prohibuerunt. Vnum vero abs te peto, libertatem hanc nolis interpretari in peiorem partem, qvin tibi de me perſvadeas, nihil praetermiſſurum, qvod aut tuo, aut reipubl. cui conſilio ades, honori expediat. Ita ſervet te DEVS, et tueatur Vlmam veſtram his difficilimis, ac periculi plenis temporibus, qvibus Chriſtiani Chriſtianos invadunt, cum nobis ex propinqvo metuendus Turca eſt, dives Podoliae meridianae praeda. Interim Vngaria civili conſumitur bello: Haſſia, Veſtphaliaqve exhauſtae trepidant: Saxones adhuc medios partibus ſe praeſtant: Svedi, magno in Pomerania apparatu, oſtendunt ſpem pacis ad Rhenum, ſub clypeo componendae. Interim vale, ac fave mihi, et Muſis meis. d. XIV. Ian. cIↄ Iↄc LXXIII.

LXVII.

AMICO DRESDENSI.

Mitto, qvod promiſi, exiguum munus; ſed carmen, aut epiſtolam, non mitto. Nam nec hora nunc ſinit, me eſſe otioſum; neqve literas, qvarum facilis amiſſio eſt. Sed leve donum offerre volui, ut ſenſus mei, atqve officioſiſſimi animi teſtimonium eſſet. Qvaeſo, id benevole accipiatur a iuniore Loeſero, qvi ad vos commeat, et forte aderit ornandis ſolemnibus

 veſtris.

veſtris. Faxit interim DEVS, ut ſponſo, ſponſaeqve eveniant omnia proſpera, et qvaecunqve nuptiis fauſta eſſe poſſunt. Batavi in dies melius ſperant: in Veſtphalia mutuis cladibus penſantur. Carolus Rabenhauptius ſtrenuam rem gerit in Friſia. Svedi officio conciliandi Hagae Comitum funguntur. An res ſucceſſura ſit, anceps ſum, et inclino tamen non nihil in meliorem partem. Ita vale, et me ſolito amore proſeqvere, qvi ſcias, me tibi obſtrictiſſimum. d. XVI. Ian. cIↄ Iↄc LXXIII.

LXIIX.

CAROLO, L. B. A FRISEN.

Recenſui illuſtriſſimo fratri tuo numum, a Ioanne Palatio expreſſum; ſed plane falſum, et ſive ab auctore, ſive a Gallo qvodam, qvi auctorem decepit, confictum. Nunc tibi, Domine, *diploma* exhibebo pari cenſura dignum, illudqve ex eodem aevo, qvod vulgo attribuitur Ludovico, Ludovici P. filio: ſed qvot verba, tot naevi, tot falſi argumenta. Ludovicus ille nunqvam fuit Imperator, et tamen Imperator in diplomate appellatur, et numeri inſeruntur, illi ſeculo ignoti: dictiones adhibentur plane inuſitatae, ac ſic certe affectae, ut et uſui civili, et indoli ſeculi prorſus repugnent. Sed non rarae ſunt tales impoſturae, et per ſe facile agnoſcuntur. Mihi vero id nunc eſt agendum, Domine, ut, qvam notam habes, repetito exemplo noſcendam tibi praebeam pietatem, ac ſupplicem DEO immortali, qvo perpetua, et conſtanti valetudine utaris, fama, conſilio-

ſiliorumqve dexteritate floreas, ac difficilimo hoc tempore ea Principi tuo ſvadeas, qvae faciant ſervandae paci, et fovendis literis, qvarum ſtatores veneratur Saxonia Friſios, et venerabitur, qvam ſperamus, poſteritas. Ita precor: ita DEVS evenire iubeat, qvem iterum ſerio oro, qvi me ad aeternam tuarum virtutum admirationem devincio. d. XVII. Ian. cIↃ IↃcLXXIII.

LXIX.

ADAMO CHRISTOPH. IACOBI, IC. DRESD.

ITerum appello te, rogoqve auxilium ſtipendii, qvod mihi reſtat, perſolvendi cauſa, nec dubito, qvin pro auctoritate efficias, ut intelligam, tibi et omnem honorem meum, et commoda me debere. De diplomate Ludovici Germanici, qvod Lindavienſe coenobium produxit, nuper vidiſſe me aſſero, et plurima reperiſſe contra indolem aevi, ut facile ſit arguere vitii, et convincere falſitatis. In chronico Neurſpergenſi, qvod apud te evolviſſe memini, obſervo ſtudium in Hohenſtauffios Imperatores, et colligo exinde, ſcriptorem vixiſſe XII. ſec. De chronico Montiſſereni, Engelhuſiiqve qvid ſentiam, alibi explicabo. Interim perge, vir ſumme, fovere noſtras Muſas, et per eas tibi nominis aeternitatem ſpera, ac nova neceſſitudine Meieri fruere feliciter. Vale, idem et iurisprudentiae, et ſtudiorum meorum maximum decus, ac me apud illuſtrisſimum Carolum a Friſen commenda, Zieglerumqve ſaluta. Nunc

abs te peto inſuper, Maecenas. Eſt apud vos qvidam Georgius Noemer, diligens homo, et permultos annos in Academia mecum verſatus, qvi ſacerdotium rogat, et ſtudium, atqve gratum animum offert, ſi ſumma tua ope conſeqvatur. d. XX. Ian. clɔ Iɔc LXXIII.

LXX.
HENRICO, L. B. A FRISEN.

Foederati tripartito diviſerunt copias. Pars Lupiam defendent: pars Monaſterium petent: alii ad Viſurgim properabunt. At his Principes Lunaeburgici aegre concedent tranſitum, memores damni, in ſuperiore Haſſia dati. Coverdam, munitiſſimum occidentalis Friſiae propugnaculum, receperunt Friſii. Batavi interim parum feliciter rem geſſerunt: Caroli caſtrum, qvod, pace Aqvisgranenſi, A. clɔ Iɔ CLXIIX. facta, conceſſum Gallo eſt, iuncti Hiſpanis infelici obſidione tentarunt, ac proxime non ſatis fortiter ſteterunt apud Bodegravam. De Svedis, qvantus qvantus rumor eſt, bene ſperamus, et confictis paene rumuſculis tribuo, qvod niti contra Imperatorem, et fallere data Brandenburgico promiſſa penitus velint. Sed haec, et talia, ut omnia bene nobis reiqve publicae eveniant, tu, Domine, allaborabis, et de conſervanda Germaniae pace ſalutariter providebis Ita DEVS velit, teqve Romano orbi ſervet. d. XXII. Ian. clɔ Iɔc LXXIII.

LXXI.

LXXI.
CHRISTIANO DAVMIO,
Scholae Cygneae Rectori.

QVae me flagitas, curabit Iacobus tuus, et faciet, ut intelligas, qvae de Dieterichio meo voluiſti, viro egregio, et cui multum debere me fateor. Is, dum Gieſſae eſſem, filii loco me habuit, et convictu, atqve inſtitutione ſua dignatus eſt, et ea demum officia praeſtitit, qvorum nunqvam oblivifcar. Tibi autem et de finito luctu, et de alterius nuptiis gratulor, ac opto, ut rectiſſime omnia tibi eveniant.: Illud etiam abs te peto, ut, ſi qva in poſterum edas, mihi ne invideas ingenii tui monumenta. d. XXV. Ian. cIↄ Iↄc LXXIII.

LXXII.
CAROLO, L. B. A FRISEN.

CIrcumagit fortunam hic annus, et partibus Gallicis magis, qvam antehac, malum minatur. Verla, oppidum *Comitatus* Arſpergenſis, idemqve ad Colonienſem pertinens, paulo adhuc moratur Brandenburgici aditum: Lune, qvod Brandenburgici eſt, et tranſitum praebet in interiora *Epiſcopatus* Monaſterienſis, omni ope recuperabitur, niſi Tureniana forte auxilia negotium faceſſant. Recklinghuſium in ea parte, qva *im Heſt* vocant, ceteraeqve ad limitem aedificatae arces non id habebunt momenti, ut multum retardent Foederatos. Svedi, Saxonesqve iam aeqviore animo ſunt in Brandenburgicum, et qvanqvam Courtinius machi-

natus enixe eſt, ut abalienaret Svedos, et ingeminaret ſuperioris temporis conſilium, a Brandenburgico, ut Svedis fraudi eſſet, ſuſceptum: tamen efficere non potuit, ut Svedi ſe compararent ad vim hoſtilem erga foederatos: qvanqvam non obſcura indicia ſunt, ſubvereri Svedos, ne, ſi ſe immiſceant, tot iterum hoſtes ſolicitent, qvot A. cIↄ Iↄc LIX. Ex Gallia plus gloriationis afſertur, qvam veri, tametſi Turenius non ita pridem intenderit dolum militarem ad Coloniam Agrippinam callidisſimo praetextu intercipiendam. De Coverda, a Monaſterienſibus recepta velut poſt liminio, nugae ſunt, et inepte disſipatus rumor, ut bene ſperemus omnes, et ſinguli, brevi redituram pacem, experrectis pasſim Principibus, et eo nunc advigilantibus, ut *Circuli*, qvos vocant, qvibus publica ſecuritas praecipue continetur, inſtaurentur probe, et caveantur. De Svevico res nota eſt, de Francico orientali perinde laboratur: nec neſcire poſſumus, Saxoniam noſtram in idem illud opus intentam: optamusqve univerſi, ut illuſtrisſimo fratri tuo omnia conſulta recte, atqve ex animi ſententia ſuccedant, tibiqve, Domine, honos ſervetur ſervatae in Saxonia tranqvillitatis d. XXXI. Ian. cIↄ IↄcLXXIII.

LXXIII.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

MVltus hic ſermo eſt de praelio ad Lupiam commiſſo, et heri literis Berolino misſis, confirmatur fere *in hanc ſententiam*, qvod, niſi

Ture-

Turenius ſe recepiſſet trans flumen, una omnes clade periiſſent. Id ſaltem ego pro certo habeo, copias hoſtiles infra tertium lapidem ab ſe invicem conſtitiſſe, Tureniumqve Vnnam, qvod Brandenburgici opidum eſt, iniectis pyrobolis, in cineres redegiſſe: Brandenburgicum vero Varendorfium, qvod Monaſterienſis caſtrum eſt, intercepiſſe; inde Monaſterio appropinqvare apud animum ſtatuiſſe. Lunaeburgici circumſpecti ſunt, neqve negotio ſe immiſcent, finium ſecuritati advigilantes, usqve eo, ut parati ſint diſtinere Svedos, ſi qvid contra, qvam ſperent, moliantur. Sed et hi cauti ſunt, et ſimulant amicitiam, qvam rumpere non audent. Monaſterienſis res ferme deſperatae ſunt: Maximilianus Henricus, placidus ingenio Princeps, a Franciſco Egone ad militaria conſilia abreptus eſt. Interim Veſtphalia noſtra luit, et conſumitur civili bello. Vngari Petrozium Regem deſtinant, qvi a Rege iniuria ſe affectos conqveruntur: exul Toekelius a Principe Tranſſylvano in ſucceſſionis ſpem aſcitus dicitur. In Polonia turbarum finis ſperatur. Speramus fore, ut Caeſar veniam det rebellibus, ne deſperatione incenſi, ultima experiantur. Vale. d. VII. Febr. cIɔ Iɔc LXXIII.

LXXIV.
EIDEM.

AD Lupiam, et Rhenum, rumor eſt ceſſationem armorum ſex hebdomadis fore. Proxime Monaſterienſes, a tergo non felici impreſſione

one facta, paulo receſſerunt. Turenius tergiverſatur, et dolo elabitur non praeliaturus, licet foederati prae ſe ferant ardorem praeliandi. *Batavi*, qvoties armant, toties cunctantur, arguuntqve nihilominus *Brandenburgicum*, ſed hic viciſſim ipſos. *Svedorum* conciliatio diſplicet adhuc *Auriaco*, qvia nimis propendet in Gallos. Anglia cupit pacem ſalva opinione honoris, potentiaeqve ſuae. Nec recuſat Gallus, ſi caſtra finitima, quibus frenum iniiciat, Batavi ceſſerint. Nam provincias haud aegre reddet, ſi arces acceperit, unde perpetuo provincias infeſtare poſſit. In Vngaria nondum ſopiuntur motus; Abaffius Toekelium iuniorem, praeter meritum nunc exulem, adoptaſſe pariter, et aſciviſſe ſucceſſorem, perhibetur. Rebelles Petrozium deſtinant, et, niſi Caeſar in omnibus ſatisfactionem offerat, ultima pro hoc, et fortunis ſuis experiri ſe velle, minantur. Sed ſine capite turba haud multum efficiet, niſi Turcae occaſione uti, et negotio ſe immiſcere parati ſint. d. XIV. Febr. cIↃ IↃc LXXIII.

LXXV.
AFFINI CVIDAM.

ESto memor conſvetudinis noſtrae, et, ut antea ſolebas, literas mihi redde. Ero teſtis ingenii, laudisqve tuae. Si qvo etiam adiutore egeas, commendationis munus tua cauſa non omittam. Scis enim, qvam tibi bene cupiam, immo, qvod tibi me totum, et ſtudia mea deferam. De loco ſtudiorum non diſvadeo Gieſſam. Illa enim

et

et habet ornamenta literarum, et princeps Haſſiae urbium eſt. Vnum vero te hortor, ut eos tibi doctores eligas, qvi maxime iuvare conatus tuos, et ornare tuam dignitatem poſſunt. Vale d. XV. Febr. cIↄ Iↄc LXXIII.

LXXVI.
SAMVELI HVNDIO,
IC. Dresd.

PEtrum Rigenſem, ſcriptorem ex barbaro aevo, et, qvod miremur, ſtupendae eruditionis, percontor uſque adhuc, nec reperio usqvam, et dubito ferme, an editus fuerit. Rigordus diverſus ab illo eſt, et nuper, ſi recte memini, conſpectus in bibliotheca Barthiana, auctor idem diſertus, et verax, qvem commendat hiſtoria Philippi, Gallorum Regis. In rebus Longobardicis deſidero Bernhardum Saccum, cuius accipiendi ſpes facta eſt apud Haſſos. Ticinum enim, ubi Longobardorum qvondam regia erat, diligenter perſeqvitur: neqve tamen recordor, vel ſemel ab Herm. Conringio allegatum. E Veſtphalia afferunt partim ancipites, partim triſtes rumores. Status Auſtriae prudentiſſimus Baro, Iſola, Tottium, Svedorum legatum, Auſtrio Hiſpanicis conſiliis trahit. Brandenburgicus interim inter ſacrum, et ſaxum haeret. Anglia cuperet pacem, ſi ita ferret ambitio Anglica. Emergunt tamen ſubinde aemulationes, et ſeverae audiuntur expoſtulationes qvaedam. Trompius iterum fiet Propraetor Batavus, inſtaurata inter eum, et Reuterum concordia.

Vſqve

Vſqve adeo omnia comparantur ad bellum, et certe tempora conclamata inſtant. Vale. d. VII. Mart. clↃ IↃcLXXIII.

LXXVII.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

Elnothus, Cantuarienſis monachus, Hafniae a Io. Meurſio editus, Knuti, qvi poſtea Kanutus dictus eſt, vitam ſcripſit, Adamo Bremenſi proximus, et poſt eum in rebus Danicis ex XI. ſeculo legendus. Stylus valde inconditus, atqve dubius eſt: iudicium, qvale *monachorum:* hiſtoria verax, et pertinens ad notitiam ſtatus ſeptentrionalis. Per *Romanos Francigenas* denotat Carolovingos, non veteres illos, et Aborigines, qvippe qvorum imperium V. ſeculo defierat apud Britannos, qvorum meminit. Daniam ſemper Daciam vocat, et, communi cum Anglis ſuperiorum temporum uſu regni tunc liberam electionem fuiſſe, ſat manifeſte indicat, et, qvo regnum *uſufructuarium*, qvod Grotio noſtro dicitur, innuat, reges interdum *Regni Proviſores* ſolum vocat. Habita nihilominus eſt ſtirpis ratio, et maioris progeniei, qvam primogenituram docendi cauſa appellamus, Sed id omne prorſus mutatum eſt ab A. clↃ IↃc LX. d. VIII. Octobr. ratione Daniae, cum Norvegia iam ante hereditarii iuris fuerit, qvod vel ex ſolo Arngrimo Iona, ſi tempus ſineret, conficere poſſem. Valet et ad Norvegicas antiqvitates Chr. Sturleſonii chronicon; ſed, dici non poteſt, qvantis fabulis immixtum. De hodiernis ex Veſtphalia undi-

undiqve nunciatur ſpes pacis, et ſerio optat Brandenburgicus, vellet etiam Gallus hoc ſtatu, qvo Foederati Belgae adhuc medii ſunt inter contumaciam, et langvorem: ſed, ſi fruantur pace, paucis abhinc annis Hiſpani alent bellum. De coaleſcente inter Polonos concordia, neſcio, an ſatis bene ſperem. Senatores enim A clɔ Iɔc LIX. Oſtorovskium, qvam Michaelem Vieſnovicium malebant: ſed praevalebat Ordo eqveſtris, et Michaelem, vel muſſante Antiſtite Gneſnienſi, extorqvebant. Hinc tot odia, diſſidiaqve, qvae Poloniam ex libera tributariam fecerunt, qvanqvam Gneſnenſis primas, et imperator militiae Sobieskius, Gallo uxoris, et ſumptuum cauſa alioqvin obaeratus, nonnihil pacatiora conſilia praeferunt. Sed Caeſar clementius nunc excipit qvosdam Vngaros, nominatimEperienſem urbem, qvod duco egregium, et Caeſari profuturum conſilium, ac prudentiſſime a Lobkovizio Principe ſuppeditatum. Io. Philippo, *Electori* Moguntino, ſuccedet Metternichius, Antiſtes Spirenſis, et cui optem vere animum Germanum. Eid. Mart. clɔ Iɔc LXXIII.

LXXIIX.

EIDEM.

NOn exiguus moeror conficit Monaſterienſem, qvod temeritas ipſius nunc vel ab ipſo Gallo coarguatur: ſed inprimis indigne fert Turenius ab Svedis acerbas literas ad ſe ſcriptas, qvibus iubetur exire Veſtphalia, et abſtinere vi a finitimis ditionibus. Ita tandem evigilant Svedi, et, qvod ipſi

ipſi prae omnibus terra poſſunt, Galli potentiam moderantur, ſerioqve cogitant, unam Batavorum, et libertatis ſuorum commerciorum ruinam eſſe. Brandenburgicus, ut huius Principis Vlyſſea ſagacitas eſt, conſulto ceſſit *Epiſcopis*, ut Svedorum, qvoad his imperii ſecuritas curae eſt, iram magis accendat, iunctisqve horum, ſi opus ſit, auxiliis utatur. Batavi cruentum bellum optant, modo privatorum concordia in ſolidum inſtaurari poſſet. De Principe male exiſtimant, et nihil effeciſſe vociferantur, argumento ſtudii in Anglos, Ordines tamen Generales his ſermonibus nihil moventur. Inferior Regni Anglici curia a Rege poſcit ſatisfactionem omnium damnorum, mari acceptorum, exprobratqve negligentiam diſſolvendi aeris alieni. Brevi, opinor, diſcedet a Galli ſocietate. De Pace, Aqvisgrani coitura, incerta ſpes eſt. Prudentes aiunt, Batavis certum bellum prae dubia pace eligendum. In Polonia res melius, qvam ante, eunt, cuius et nomine apud vos legatus fuit, omnium Chriſtianorumqve Principum auxilia ſolicitat adverſus Turcam. Zieglerus noſter foeda ſaepe cum inſectatione confutatus eſt a qvodam, qvi ſe appellat Henricum Henninges. Adeo nihil ibi neqve Grotii ingenio, nec moderatione dignum inveni. Tantum in epiſtolis, atqve ex trivio ſcholae qvaeſitis ſubtilitatibus virum, in rebus gravioribus occupatum, exagitat. d. XIIX. April. CIↃ IↃC LXXIII.

LXXIX.

LXXIX.

EIDEM.

ANtiſtes Monaſterienſis aegre adduci eo potuit, ut Hervordia, qvam inepti qvidam iuris publici doctores *Imperialem* vocant, cum revera in ditione Brandenburgica ſit, excederet, qvod affirmaret, ſe, cum conventio facta ſuper ceſſatione armorum eſſet, ea comprehenſum non fuiſſe. Interim, dum haec diſceptatio animos diſtinuit invicem, valde foedatum Marcarum, et Ravensburgenſe territorium eſt. Illud vero in primis miror, cedentibus Foederatis Turenium finibus Haſſiae appropinqvaviſſe, et XVII. Martii vix qvarto lapide Caſellis abfuiſſe. Indignantur Veſtphali, et latrocinia Foederatorum, non excuſando licentiae more „ appellant. Hiſpani adhuc lactant Batavos, pollicentes, ſi Auriacus ſerium qvid effecerit, ſi claſſis Indica fuerit in portu, ut nunc qvidem eſt, ſi Foederati efficax auxilium tulerint, Gallum laceſſituros. At vero ſpecioſe dicuntur haec, neqve forſan comprobantur unqvam eventu, Hiſpanis ſatis habentibus, ſi defenſionem ſuam curent, et dolos, qvos Condaeus intendit, circumſpecte evitent. Vrangelius, cuius proxime coniux obiit, iter differt, prius exeqvias facturus, qvam bellum ad Viſurgim. Ad Viſtulam, ac Danubium omnia plena ſunt metus, qvi ex Thracia impendet. Henricus Breverus hiſtoriam Brachelii, et Thuldeni ab anno LX. usqve ad LXXIII. continuavit; ſed praeter ſtylum in veritate, et

iudicio multa erunt, qvae deſiderabis, Domine. Vna credes, me eſſe tuum. d. XXV. April. cIↄIↄc LXXIII.

LXXX.
N. IACOBI,
IVNIORI.

DE animo, qvem mihi declaraſti, cognoſco, qvid viciſſim tibi debeam: modo titulos, ut meam modeſtiam noſti, deprecor, petoqve in poſterum commutes, praeſertim excellentiſſimi. Ad dubitationes qvod pertinet, ſcias, Vernerum Rolevincium ſcriptorem eſſe ſeculi XV. eqvitemqve, dum viveret, Veſtphalum, ac poſtea in collegium Colonienſe Sacrorum Praeſulum aſcitum. *Domicellos* vocat Dynaſtas ſtylo ſeculi XIV. qvem ex diplomatis colligo: commodumqve ſuccurrit Principes Brunovicenſes hoc modo appellatos. Qvanqvam his raptorum crimen non tribuam; neqve tamen diffiteri velim, veteris Saxoniae, id eſt, Veſtphaliae Oſtphaliaeqve cives praedationibus ſtuduiſſe, Holſatos etiam furandi licentiam in laude poſuiſſe, ut prodidit hiſtoricus Bozovienſis, Helmoldus. De iudicibus Saxoniae recordaberis, Carolingico aevo non *Scabinos*, ſed ſerius ita dictos: prius autem *Graviones*, qvos vulgo *Comites*, imitatione Romanorum, licet ſignificatione diſpari, nominant, vocari ſolitos. Illud vero fabuloſum eſt, qvod de iudicibus commemoras a Carolo M. eo inſtitutis, ut Saxones, ſi qva ſacra deſererent, ad occulta ſupplicia raperent, ac tam indi-

indignis modis excarnificarent. Nec moror, ſi mihi obvertas Rolevincii auctoritatem, qvae in hoc genere probandi nullum apud me momentum habet: qvandoqvidem ſeculo IIX. IX. X. ſcriptores nec verbo huius iudicii capitalis meminerunt. Nec alia nunc addam, qvae contrarium evincunt, qvaeqve proſeqvi vetat tempus, qvod mihi ad diverſas operas ſervandum eſt. Interim vale, et bene interpretare ſubitum reſponſum, et excuſa me ob moram, qva in reſcribendo uſus ſum propter valetudinem adverſam. d. XXVII. April. cIↄ Iↄc LXXIII.

LXXXI.

N. N.

CVm multa apud me animo reputarem, tum ſaepe in eam cogitationem veni, ſeculum eſſe nunc de omnibus, et, qvod una tecum doleo, de religione dubitare, aut qvamvis religionem, ut ſe occaſio dederit, amplecti: at mihi longe alia ſemper mens fuit. Tum vero ſunt, qvi Pomponatio, atheorum principi, et Lucilii Vanini, de qvo apud Gramondum eſt, magiſtro, nimis indulgent, ludibrio habentes, qvicqvid ſancta religio docet. Religio Medici qvanqvam caute legenda eſt, longe tamen eſt infra Pomponatii impietatem. Hugo Grotius, cuius de veritate religionis Chriſtianae liber eruditisſimum auctoris ingenium praefert, Socini imitatione ſuas foedavit laudes. Qvid de Lipſio ſcribam? Ter mutavit religionem: tandem nullam credidit. De Italis:

Bonamico, Politiano ipſe noſti, qvae circumferantur. Infelices vero eruditos, ſi haec eſt religio eruditorum tam temere DEVM deſerere, aut non cognoſcere! Eqvidem malo de DEO reverentius credere, qvam ſcire, et, ſi omnia etiam peſſum iverint, ſolari me lege mortalitatis, et ſpe vitae melioris: indicia, ſermones, opiniones, qvi cultum, ſcientiamqve DEI procul habent, nihil morabor, qvin dicam cum Seneca: *primum eſſe Deorum cultum Deos credere; deinde reddere illis maieſtatem ſuam, reddere bonitatem, ſine qva nulla maieſtas eſt:* tametſi id deſidero in Seneca, qvod numero plurium loqvatur de DEO, qvod condonandum eſt experti doctrinae divinioris. Nam, qvi ex eo Chriſtianum faciunt, et literas ad Paulum ſcriptas pro veris habent, digni ſunt, qvi derideantur. Ceterum de iis, qvae tranſmiſiſti, ago gratias, et refero vicem exigua diſſertatione, ac demum oro te, qvaeſoqve, Viro CL. ſtudia mea, atqve obſervantiam, ut tu dexterrime potes, approbare velis. Non. Mai.

LXXXII.

HENRICO, L.B. A FRISEN.

Eſt nonnemo, cui nomen Henrico Cocceio eſt, qvi edidit diſſertationem de Lege Salica, in qva pleraqve ad interregnum, ſive *vicariatum* imperii pertinentia complectitur. Miror, qvid homini in mentem venerit, qvod per latus ſaepe petat *vicariatum* Saxonicum, forte odio erga Saxonicam domum, qvae ab exceſſu Ferdinandi III. Ba-

Bavaro addictior, aeqviorqve fuit. Sed pauca ibi ſolida, pleraqve etiam ieiune ſcripta deprehendo. De Pufendorfio vereor, ne in bellum Theologorum incidat, ſiqvidem proxime vulgatus index ſit, qvi prae ſe fert armatum Theologum. Vinſtrupium audio qvoqve indignari, et communem agere ſuorum cauſam, qvin imo dicam *haeretici* ſcribere. Sed tuentur virum Proceres Holmienſes, et Londino, ubi nunc Carolina Academia eſt, amplo ſtipendio ſervant, *cui nuper in Heidelbergenſi ſucceſſor datus eſt* Henr. Cocceius, *a qvo auſpicatus ſum epiſtolam.* De bello Gallo-Belgico commentarios promittit Alexander Iulius Torqvatus, L. B. et Conſiliarius bellicus Caeſareus, auctorqve libri, qvi A. clɔ Iɔ CLXX. in lucem exiit, cuius titulus eſt: Fatidici ad Dolabellam Mercurius. Ex publicis affertur Viennae Lobkovitii gratiam ancipiti loco eſſe, contra pollere Mullerum ac Epiſcopum Collonitſchium obtundere aures Caeſaris violentis conſiliis: praeterea magnum eſſe metum belli in Vngariam transferendi. Marchicos poenitet conſiliorum militarium: Brunovicenſes temperant neceſſitate. De Svedis multi ſermones ſunt, et una omnium opinio, velle, et poſſe metiri nimium creſcentem potentiam Gallorum. Rex adeo tumidus eſt, ut Germanos vecordis timiditatis poſtulaſſe dicatur, ſaepe etiam abiecte loqvatur de Svedis, in primis de rege, ut qvem appellaverit regem lapidum, et petrarum. Auſtriorum conſilia ſpecioſiora erga Batavos ſunt, qvam efficaciora. De Vittenio

affirmem, Gallum, ſi coniuratio ſucceſſiſſet, Pro-Regis Hollandici dignitatem promiſiſſe, et filiae eius ſpem matrimonii Principalis. Cum ſuperiore anno Kaminicia dedita eſſet Turcis, auctori famae dono dedit Iↄ *coronatos*, tanqvam ſuperioris proditionis, in Polonia excitatae, auctoramentum, qvod qvantum eſt, ut certe maximum eſt, malum, ita derivatur a reginae Mariae Aloyſiae cum Gallis, unde orta eſt, conſpiratione: qvam inſigni ſatyra perſtrinxit Torqvatus. Batavi nunc paulo magis intenti ſunt, et Gandavum Hiſpani obſervant, ac cuſtodiunt. Brevi pugna navalis aut addet animum Batavis, aut demet. d. XXIV. Mai. cIↄ Iↄc LXXIII.

LXXXIII.
EIDEM.

REddam de Hamburgo, idqve ut et pietatem teſter erga florentiſſimam hanc Rempublicam, et ſtudia mea tibi probem. Scilicet initium celeberrima haec urbs Karolo M. incrementa Ludovico Pio, ſucceſſus Adelberto, *Archiepiſcopo* Bremenſi debet. Vt incrementa, ita nomina eius fuerunt diverſa. Abbas Stadenſis, Helmoldi compilator, memorat, prius *Hogburgum*, poſtea *Hammaeburgum* dictam. Ceteroqvin qvietem optavit: habere non potuit. Primo enim occupata a Slavis, mox a Danis, rurſus a Slavis, poſtea a Vagriis, et deinde iterum a Danis. Duravit hoc malum tamdiu, qvamdiu felicitas Daniae Regis. Hoc victo, et ad obſeqvium Imperii redacto, ipſa infor-

fortunium vicit. Nimirum, ut omnia, ita et Hamburgum habuit ſuas vices. Affectavit olim libertatem: obtinere haud potuit. Tandem obtinuit, qvod deſideravit anxie, vocari ſe Imperatoris, vocari Imperii civitatem. Alioqvin ſacramentum hodieqve dicit Daniae Regi ſalvo ſuo iure, ſalva libertate, hoc eſt, fidem promittit, ſubiectionem nunqvam. Legatos ad comitia non mittit, cum iure mittere poſſit. Alii id modeſtiam interpretantur, ne aegre faciat Daniae Regi: alii vero dubiae libertatis ſignum eſſe volunt; ſed revera volunt. Meminerint hi, Sabaudiae Principem ad comitia Germanica venire poſſe, ſemper tamen non venire. Qvod indicio eſt ius adeſſe, abſentia non tolli. Obſcura nomina ſunt, et parum ab ineptiis aliena, qvae nugantur, civitatem eſſe municipalem. Opinio illa eſt cuiusdam Geographi, etiam dudum manifeſta falſi. Prid. Kal. Iun. cIↄ Iↄc LXXIII.

LXXXIV.

EIDEM.

ITa tandem finem habet Gallica felicitas, cum ſe ipſam non capit. Valcheram, Seelandiamqve iam ſuam eſſe gloriabantur, dum nondum occupaverant. Sed fovebant hanc ambitionem Angli, tunc maxime, cum ſuam, Gallorumqve claſſem iunxerant victores, priusqvam vicerant, ſi gloriari ſufficiat. Minabantur utriqve, in terram exſcenſuri, niſi Reuterus, ac Trompius, navalis belli Praetores, et, qvi in partem gloriae venit, Ban-

ckertus, impetum ſuſtinuiſſent. Tres dies hi proſecuti ſunt victoriam. Angli Rupertum Palatinum deſiderant, Galli, praeter ſuperiores, Caronſii, atqve Octeringi nunc irritas deſtinationes, tantum furioſi, et, qvum mari certatum eſt, inuſitati clamoris gloriam tulerunt. Neqve Condaeo, ut olim, fortuna indulget. Accuſatur Dux Luxemburgius interim negligentiae: abit vero alter menſis, ex qvo nihil audet Condaeus, caſtello, qvod nova Sluſa dicitur, obiecto, ac ſingulari prudentia, ad tuendos verſus Hollandiam aditus, excitato. Iterum hic ſuperioris felicitatis converſio apparet, ſiqvidem anno abhinc elapſo, vel uno menſe Iunio, confectum eſt, qvod duobus menſibus his ne auſum qvidem, ac ſuſceptum fuit. Interea ſimulat morbum Condaeus, et huc, illuc diverſis conſiliis trahitur, iam perculſus plane, cum de victoria navali Batavorum audivit. Svedi qvoqve, audaciores facti, palam profiteri incipiunt ſtudium partium Batavarum. Hiſpani magis volunt iuvare, qvam poſſunt. Caeſar Trevirenſem, et Moguntiuum invitat ad ſocietatem foederis. Brunſvicenſes qvoqve ſolicitat adulta auctoritate Principes, et potentiae fama validos apud ipſum Gallorum Regem. Brandenburgicus cum hoc ſic pacem faciet, ut ſimul cum Imperatore non negligat Imperii defenſionem. Pleriqve Batavorum excuſant Principem, qvod ſi contra Turenium pugnaſſet, iniqvo loco pugnaturus fuiſſet: qvod Turenius ſemper opportuniora itinera obſediſſet, et dubio Marte, aut forte ad-

adverſo, tutius ſe recipere potuiſſet: qvanqvam multa ſcio in vulgus ſparſa alia, qvorum tamen qvaedam ex trivio dicuntur. Caeſar Auguſtus, ut creditur, Oenopontanam Ducem Claudiam Felicitatem ſervabit ſibi, repulſam paſſuro Eboracenſi, niſi obſtent conſilia Hiſpanorum. d. XIII. Iun. cIɔ Iɔc LXXIII.

LXXXV.
AMICO DRESDENSI.

TOſmarus tibi mittet qvaedam eorum, qvae deſideraſti. Reliqva, ſi tempus, qvod tibi breve erit, ſinat, ſeqvuntur. Vnum te oro, ut tu, et pater tuus oretis meo nomine Caium de pecunia perſolvenda. Numos, ſi habes pretioſiores, permutabo vulgaribus. Luxenburgicus elapſus eſt: in Catalaunia nihil efficiunt memorabile Hiſpani. Iis rebus fit, ut qvoqve Caeſareani ceſſent, et Batavi timeant. Svedi vulgabunt literas publicas, qvibus oſtendant, ſibi non poſſe adſcribi culpam non reconciliatae pacis, qvam omnes ſperant. Vale. d. XV. Iun. cIɔ Iɔc LXXIII.

LXXXVI.
HENRICO, L. B. A FRISEN.

QVod repetito navali praelio res Batava ſuperior fuerit, nunc omni dubitatione vacat: ſed error eſt, qvi ſpargi coepit de Anglico Praefecto maris, Roberto: nec verius eſt, qvod de Eſtreo, claſſis Gallicae Praetore, allatum. Nempe ita ſub initium plerumqve aguntur rumores,

et ſtudio partium minus trahunt ex vero: quanqvam ſufficit libertati Batavae viciſſe mari. Reuterus, Trompius remiſerunt publico bono privatas offenſas, et uterqve ſubveriti ſunt tumultum in aedes ſuas graſſaturae plebis, niſi utramqve hoſtilem claſſem profligaſſent. Documento fuit ſuperiori anno Reuterus, qvi, qvod ſe paulo citius recepiſſet, ferme totam ſuam familiam in diſcrimen adduxit. Erat enim ſuſpectus partium Vitteniarum, qvod eo tempore curandae claſſis negotium Cornelio Vittenio datum fuiſſet. Traiectum ad Moſam fortiter reſiſtit, ſupplicio qvibusdam e ſenatu affectis, qvi prodendae urbis conſilium agitaverant. Rex ipſe in caſtris eſt, et noctu obeqvitat, interdiu qvieti ſe tradit. Optat vulnus, et ideo ſaepe audax eſt, ut pignus habeat, aut veſtigium ſaltem ſuſceptae expeditionis. De pace alioqvin, Coloniae Vbiorum componenda, prope omnes bene ſperant, Rege Galliae ob cladem navalem turbato, et, ut eius animus rebus adverſis valde conſternari ſolet, in aeqviores conditiones propenſo. d. XVII. Iun. cIↄ Iↄc LXXIII.

LXXXVII.

IO. GEORG. BOERNERO,

IC. Dresd.

Ex legatione Totiana accepi, vix ſperandam eſſe compoſitionem inter Gallos, Batavosqve. Illi imperare pacem, hi ex veteri gloria paciſci volunt, praeſertim qvia nunc erecti animi ſunt, et

et magis concordes. Ter mari vicerunt duos Reges, aut, ſi mavis, duorum Regum claſſes profligarunt. Varius nobilis, exiguis clientelis, at magno animo praeditus, Traiectum ad Moſam egregie defendit. Svedi, ut Proteſtantium Patroni ſunt, et dici geſtiunt: ita hoc bello et horum utilitatem, et publicam Europae tranqvillitatem curabunt. Infra eorum prudentiam eſt committere, ut turbidi Antiſtites creſcant, qvi malunt eſſe peregrini dominatus inſtrumenta, qvam verae, ac Germanicae libertatis. Tu interim, Patrone, fac, ut valeas. Sufficit nobis patriam noſtram pace florere. d. XIIX. Iun. cIↃ IↃc LXXIII.

LXXXIIX.

ADAMO CHRISTOPH. IACOBI, IC. DRESD.

TRaiectum ad Moſam, qvod Praefectus urbis ad ultimum usqve ſpiritum defenſurus erat, ſi idem civibus, qvi ipſi animus fuiſſet, Regi Galliae deditum eſt. Expugnatio fere IX. millibus hominum impendio ſtetit, Rege ſic accenſo, ut nullam hominum iacturam aeſtimaret. Monmuthius, Caroli, Regis Angliae, nothus, in primis fortiter ſe geſſit. Interim Batavi ſtrenue agunt mari, praeſertim in utraqve India. Nec Svedi ſinent, ut iniqviora et poſtulent Galli, et conſeqvantur. Prope XVI. millia egregiorum militum in Germaniam eduxerunt. Vienna et literarum, et belli negotia pari ardore curat. Petrus Lambecius

decem

decem novem codices, manu exaratos, in bibliotheca Auguſta reperit, qvin et Lutheri pleraqve, qvae nec in Germania haberi, certus ſum. Cetera ſi in publicum exibunt, faciam, ut ad te qvam primum perveniant. Vale. d. XX. Iun. cIↄ Iↄc LXXIII.

LXXXIX.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

SVedi Bataviam, Poloniamqve reſpiciunt. Ibi Gallum, hic Turcam ſuſpectum habent. Caeſar, ex ſuprema ſalutis imperii lege, utilitati ſuae pacta conventa poſtponere cogitur. Diſſentiunt vero Electores et comitia dehortantur: nec ſcio an contrarium inſtitutum expediat. Fateor qvidem, in rebus morum ſic comparatum eſſe, ut obligatio de praeſtanda omnium tranqvillitate validior, efficaciorqve ſit ea, qvae ſingulorum privilegia ſpectat. Qvanqvam alioqvi ſuffragium omnium optandum eſſet, cum de ſalute omnium agitur. Sed haec, et talia ad tuam prudentiam pertinent: mihi qvid ſentiam, explicare ſatis ſit. d. XXV. Iun. cIↄ Iↄc LXXIII.

XC.

EIDEM.

AB exteris varii rumores huc perferuntur: nec ſcio, an tempeſtates ita varient, ut animi Principum. Caeſar, Auguſtorum more, conſtans eſt, et, qvia dolet, tam indigne haberi Ordines, bel-
lum

lum decrevit adverſus Gallos, qvanqvam Bavaros, et qvi Gallo dediti ſunt, hoc diſſvadeant, et, velut omnium veterum beneficiorum obliti, negent officia qvaevis, atqve tranſitum militarem. Nobis interim precibus orandus DEVS eſt, ut Germaniam reſpiciat benigne, ac tot afflictorum hominum, ac civium in tempore miſereatur. d. XXVII. Iun. cIↄ Iↄc LXXIII.

XCI.
TOBIAE PEVCERO.

PErgratae mihi tuae literae fuerunt, cum qvod in dies magis ſtylo aeqvali ſtudes, tum qvod in laudanda curioſitate proficias in primis. De Lambecio ſcio, hiſtoriae peritiſſimum eſſe. De iure publico nihil temere ſcribam, nec coarguam ſtylum, qvi tamen ſaepe aſperior videri poteſt. De Lutheri diſputatione diſtingve primum exemplum ab expreſſo. Illud, ſub forma maioris ordinis, affixum valvis templi omnium ſanctorum eſt, et, ſi recte ſcio, Ferdinandi I. cura tabulis Viennenſibus illatum. In re numaria Itali, praeſertim Purpurati Romani, et reliqvos, et una nos vincunt. In Gallia proxime Carolus Patinius fuit, in qvo tamen ante me multum deſideravit doctiſſimus Reineſius noſter. Ego apud me conſtitui publice recitare rationes ſtudii hiſtorici numarii, qvas ita teneo, ut praeſidia me vix ulla deſtituant. Vnum abs te peto, ut Viennae mihi emas Laurentium Loppethium de Medgyſis, Lugduni Gallorum cIↄ CCCC LXXI. editum. Faciam, ut pretii nomine

mine tibi ſatisfiat. Demum ſciſciteris ex Lambecio, qvod primum, atqve germanum *diploma* ſit conceſſi Auſtriis *Archi-Ducum* tituli. Vulgo enim hiſtorici Auſtrii haeſitant hic, errantqve. Alia futura occaſione. Interim bene vale. Prid. Kal. Iul. cIↄ Iↄc LXXIII.

XCII.
SAMVELI HVNDIO,
IC. Dresd.

CVm res Auſtriorum hoc tempore conſidero, tum praecipue miror egregia conſilia, et prudentem moderationem erga Gallos, et Svedos. Sane in Vngaria dominatum, qvem nemo antea potuit, Leopoldus fundavit. In Polonia inter Ordines Regni, et Eqvites concordiam ſtabilivit: in Germaniam, ad diſtinendum Gallum, exercitum miſit, ceteris, ut ſolent, ſive per imprudentiam ſecuris, ſive recuſantibus ob ſtudia in Gallum. Nec eſt, ut exponam amorem in literatos, ac liberalitatem ad poſteros praedicandam. Rationes inſuper regendae domus, ac curandorum redituum, nemo Principum melius perſpectas habet, aut nemo fidelius effectui dat, qvam Auſtrii, a qvibus ceteri accipere exempla iure poſſunt. Lobkovizius, Legatorum Magiſter, et inſolentiae Gremovillianae feliciſſimus domitor eſt. Lambecius in tabulis, atqve omni antiqvitatis ſtudio admirationem excitat hiſtoricorum vulgo. Galli conſilia in vi conſiſtunt, atqve raptu: Auſtriorum mora,

ra, et iudicio perficiuntur. Illi Turcam concitarunt in perniciem Imperatoris: iſti, exhibita periculi, qvod a Galli dominatu immineat, magnitudine, apud Turcarum Imperatorem effecerunt, ut Tronſcharius, ſub poena exauctorationis, rebus Vngarorum ne ſe immiſceat. Vale. Kalend. Iul. clɔ Iɔc LXXIII.

XCIII.
HENRICO, L. B. A FRISEN.

SVmunt arma Hiſpani, atqve ex convento foedere in Gallos hoſtiliter ducunt, omnem curam, diligentiamqve adhibentes, ut ad moderatum, atqve innocens regnandi officium redeat Ludovicus, nec tam imperioſe in poſterum ſe gerat. Recipiunt interim ſe Turenius, et Condaeus: ille Caeſareanorum, iſte Hiſpanorum metu: ſpesqve eſt, fore, ut coniunctae Foederatorum copiae proficiſcantur in hoſtem, aut itinera impediant claudantqve exercitibus. Eodem conſilio Batavi Iuliacenſem, Vbiorumqve agrum intrabunt, qvod moleſte ferre Svedos cognitum eſt, qvorum iam dudum in Gallos immoderatum ſtudium apparet. Nec infreqventes minae, atqve a bello dehortationes audiuntur, praetextu qvidem pacis, revera, ne Gallici nominis auctoritas prorſus convellatur. Et forte hoc praecipuum eſt, qvod intendere Foederatorum curam debet contra magnitudinem periculi. Et qvanqvam affirmant multi, Svedos haec terrori augendo dicere, et, qvo compoſitionis Colonienſis tandem, ac

ac conſiliorum ſuorum optatus ſit ſucceſſus: credo tamen, in hoc temporum motu, ac perturbatione, circumſpectionis eſſe habere arma in promptu, et ſero, nec, niſi ſpectato tot militarium conatuum eventu, uti. Sane enim, qvod periculum a Gallo, ſociatisqve Anglis, et Svedis Reipublicae, idem ab Auſtriis Hiſpanisqve forſan impendet. Nam utcunqve nunc rationes mere civiles, atqve defenſio allegentur, ac merito momentum habeant: tamen, qvia nimia potentia raro capit ſeipſam, et, ut ſuperioribus rebus exploratum eſt, ſpes longius porrigit, ac primum credi ſolet, conſtitutum eſſe debet plerisqve Ordinibus cunctari, atqve ſic mittere auxilia, ut domi ne iis deſtituantur. Qvae tu, Domine, ſic ordinas prudenter, ac moderaris, ut officii cauſa, non ex foedere, et numero modico mittenda recte, ſapienterqve ſvaſeris, cuius laboris, atqve conſilii optimi praemium DEVS tibi, ac poſteritas, rependent. Non. Iul. cIↃ IↃc LXXIII.

P S. Hiſpani, Dendermonda eruptione facta, centum Gallos captivos abduxerunt. Auriacus in Colonienſem, Comes Valdeccius in Monaſterienſem ditionem graſſabitur. Caeſareani Francos imitari, et tranſire Rhenum meditantur cum Hiſpanis. Galli qvoqve Coloniae poſtulata nunc mitiora ſunt, atqve olim: Belgarum contra vehementiores obteſtationes pro omnium ereptorum reſtitutione, etiam Ducatus Lotharingiae, ut cuius ex novo foedere ratio ſit habenda.

XCIV.

XCIV.

EIDEM.

IAm Galliae fines Hiſpani hoſtiliter ingreſſi ſunt, resqve ex voto ſuccedunt. Tantum a Svedis metus eſt, qvi copias ſuas conducent in unum locum, tranſitum poſtulaturi, non ut impetrent, ſed ut cauſam bello, diſtinendoqve Caeſari qvaerant. Bavarus, adhuc deterritus, occaſionem expectat, et, ut fortuna eſt, ita ſpiritus ſumit. Svedi et verentur Auſtriacam potentiam, et credunt, qvod Gallo iure accidit, ſibi etiam accidere poſſe, praeſertim oppreſſo Gallo, qvi huc usqve Proteſtantium cauſam egit, fovitqve, ſi Auſtrii, altius evecti, aliqvid hoſtile molirentur. Franciſcus I. pecunia iuvit, Henricus II. foedere ſuſtinuit Saxonicas res: Ludovicus XIII. potentiam Auſtriorum, cum nimium a praelio Nordlingenſi formidoloſa eſſet, ſtitit, qvanqvam nihil deeſt excuſationi Caeſaris, qvi non Galli ruinam, ſed moderationem intendit. Atqve ei domus Saxonica iuſtum officium praeſtat, tum ob vetera pacta, et foedus hereditarium eius cum Regno Bohemiae, tum ob propinqvos fines, tum ob fidem erga Imperatorem, et maiorum exempla, qvae Saxonibus recte ſemper, atqve ex ſententia evenerunt, ſi in cauſa iuſta hoſtes Auſtriorum pro hoſtibus habuerunt. Sed haec excedunt meum ingenium: tuum enim eſt, Domine, providere, ne res noſtrae accipiant detrimentum. Qvod ut conſeqvaris feliciter, et gloria conſiliorum tuorum ad

omnes poſteros duret, deprecator ero apud Deum immortalem. Eidib. Iul. cIↄ Iↄc LXXIII.

XCV.

N. N.

Forſan haud abs re credas, me huc usqve aut mei oblitum, aut erga te iniqvum fuiſſe, qvi nihil reſponderim ad tuas mihi alioqvin gratiſſimas literas. Sed, qvae meae hic occupationes ſunt, ita diſtineor, ut vix, ac ne vix qvidem otium ſuppetat, ſi vel maxime amicis approbare officium velim. Atqve haec cauſa fuit, cur identidem ad vos commeantibus te ſalutandi negotium darem. Qvi an curaverint, neſcio eqvidem: nec tamen temere ſuſpicor. Vnam tantum nunc tibi animi mei ſignificationem dabo, et, qvod nuper a me flagitaſti, opportuniſſime communicabo. Tu, qvaeſo, fac, ut primo qvoqve tempore reſciſcam, placeatne tibi, qvod miſi, an ſecus. Cognoſces enim, me tui cauſſa nihil neqve defugere, nec praetermittere unqvam velle. Qvod ad Francos pertinet, haud neſcire debes, ex priſcis Romanorum monumentis deſumi oportere: nec tu ipſe mihi ſcriptorem nominaveris, qvi Francorum meminerit ante Probum, ſeculo III. Ineptiunt, qvi, nomen hoc reperiri apud Ciceronem, putant, falſa lectione decepti. Tritenhemius, XV. ſeculi ſcriptor, novus eſt, et, cum ad ultima retro ſecula ſe porrigit, perqvam fabuloſus. Nec Sicambri, qvorum mentionem fecit Strabo, Franci dicuntur antiqviſſimis temporibus. Cum nondum

cogni-

cognitum eſſet hoc nomen, appellati ſunt Catti, non Sicambri, ut vulgus tradit. Ceterum de literis, qvas tibi nunc mitto, ut curare velis, magnopere te oro, ac, ut de me tibi perſvadeas, fore honoris tui cupidiſſimum, iubeo. d. XXV. Iul. clɔ Iɔc LXXIII.

XCVI.
SAMVELI HVNDIO,
IC. Dresd.

Literae tuae ad me perlatae ſunt, qvibus feciſti, ut intelligerem de viciſſitudine Greiffenbergii fortunae, non modo honorifice, ſed etiam ſolenniter reſtituti in priſtinam dignitatem. Miror ſane ea temporum, et hominum fata. Cogita, Vhlenfeldium et Vittenios, miſerabili morte defunctos. Illius uxor hodieqve cuſtodia Hafnienſi aſſervatur: horum qvoqve cineres exoſi ſunt, nec parum abfuit, qvin refoderentur. De aliis referrem multis, niſi me modeſtia retineret. Nunc ſatis tibi factum putes, ſi ſcias, externos nihil contra Imperium auſuros. De Polonia nihil temere ſuſpicabor, ſiqvidem ii, dummodo diſcordiarum remedium habeant ſub Rege, qvem a Lotharingia forſan aſciſcent, florebunt. d. XXVII. Iul clɔ Iɔc LXXIII.

XCVII.
AMICO IVVENI.

Curtius, de qvo meam ſententiam rogas, ſe ad ſcribendum compoſuit ingenio pariter apto,

et dum ſcriptores ſeqveretur ante ſe optimos, laudando. Is Veſpaſiani forſan aevo, qvod optimum fuit, et elegantiae Latini ſermonis conveniens, vixit, diſertus admodum, et nitidus ſtylo: illo etiam admirabilis, qvod, dum imitaretur aſſidue oratores optimos, vix imitari animadverteretur. Qvod cultores bonarum artium admonet, nec recte ſcribere qvenqvam ſine imitatione poſſe, nec ſerviliter tamen adornandam eſſe imitationem. Vale d. XXIIX. Iul. cIↃIↃc LXXIII.

XCIIX.
ADAMO CHRISTOPH. IACOBI, IC. Dresd.

Admodum ſero mihi redditae ſunt literae tuae, ex qvibus, qvid me velis, intellexi. Ac de rebus Hiſpanicis, et Luſitanicis recentioribus haud abs re feceris, ſi Victorium Siri, Io. Bapt. Birodum evolvas. Nec alieni ab inſtituto tuo erunt codices, atqve exempla foederum, Legationumqve noviſſimarum Hiſpanicarum, in primis ab an. cIↃ IↃc XLVIII. numeratarum. Ioannis Makle *Itinerarium* Hiſpaniae ſaltem legas, licet, iucunditatis cauſſa: in primis, ut magna iudicii tui vis eſt, eruas ſelecta qvaedam ex Gallo-Hiſpanicis pactis, ut Mauritiano an. cIↃ IↃ XXVI. Cameracenſi, cIↃ IↃ XXIX. Bononienſi, cIↃ IↃ XXXVII. Nizenſi, cIↃ IↃ XXXIX. Creſpienſi, cIↃ IↃ XLIV. Vancellenſi, cIↃ IↃ XLV. Cambreſiano, cIↃ IↃ XLIX. Verviniano, cIↃ IↃ LIIX. Pyrenaeo,

naeo, clↄ Iↄc LIX. Aqvisgranenſi, clↄ Iↄc LXIIX. Ioannes Mariana, Nicolaus de Oliveira, opinor, in manibus tuis ſunt: qvin et bibliotheca Elzeviriana, ſummatim, Hiſpania illuſtrata, qvae iam ſub tribus editionibus vidit lucem, ut Toleti in Hiſpania, Francofurti ad Moenum, et Moguntiae. Ad haec qvaedam, ad hodiernum Hiſpaniae ſtatum pertinentia, colligere in proclive eſt ex Diarii Europaei continuatione XXV. praeſertim illud, qvod peccaverint Foederati Belgae, cum nimis diuturnum bellum cum Hiſpanis, de conſilio Gallorum, geſſerint, eoqve ex ruinis, atqve miſeria horum magna incrementa fecerint Gallorum. De forma regni Hiſpanici ſentio, eſſe Monarchiam temperatam, qvatenus conſideratur erga Hiſpanos ſubiectos, in primis Caſtellanos: erga reliqvos autem herile aliqvid prae ſe ferre, nec facile aliter Regem intendere horum utilitatem, qvam qvatenus Regi, Regnoqve Caſtellano expediat: tametſi nec negare velim, Philippum II. etiam in Caſtellae regnum induxiſſe dominatus partem, et in primis vires, opesqve Ordinis eqveſtris, ac Procerum Caſtellanorum, qvorum libertas ferme in licentiam abierat, deminuiſſe, ac praeterea Aragoniae frenos inieciſſe: ut error recentiorum ſit, qvi putant, Regnum Aragoniae, qvod cum ceteris Hiſpaniae coniunctum eſt, hodieqve liberrimum eſſe. De Luſitanico cenſeo perinde, temperatum eſſe, et ad Regis, Regniqve utilitatem aeqvaliter comparatum. Licet ab An. clↄ Iↄ LXXX. usqve ad An. clↄ Iↄc XL. prope herile Hiſpano-

Google

rum imperium recipere coacta ſit, tamen auſpiciis Ioannis IV. libertatem, priſtinumqve decus recuperavit, et an. cIↄ Iↄc LXIIX. interpoſita Regis Angliae conciliatione, legitimum Regni titulum, ſupremumqve ius belli, huc usqve aſſertum, poſtliminio, Regis Hiſpanorum conſenſu, accepit. Atqve huic inſtituto inſerviet Birodus, literae feciales Luſitanorum, et acta publica Hiſpano-Luſitanica. In notitia Franciae egregiam operam navavit Io. Limnaeus edito volumine in forma qvarti ordinis Argentorati an. cIↄ Iↄc LV. cum qvo coniungas Baſognii L'Eſtat de la France, an. cIↄ Iↄc LXIII. Pariſiis editum, unde in compendio ſingularia qvaedam, et praecipue arma gentilia Regis, Procerumqve innoteſcunt. Addere hic potes de argumento *Miniſtriſſimi*, ut barbare dicitur, qvo titulo primus uſus eſt Mazarinius, licet rem ipſam iam ante eum complexus qvoqve fuerit Richelius. Lexicon, qvod obiter inſero, veteris Franciae Teutonicae (a qva Gallica, ſeu occidentalis maxime diverſa eſt) edet Petrus Lambecius, ut hac veſpera ad me Vienna Auſtriorum perſcriptum eſt. In Polonorum iure publico expedit perluſtrare Andream Lipski a Lipe Dantiſci an. cIↄ Iↄc XLVIII. evulgatum. Nec pigebit, qvantum ad acta publica, inſpicere Commentarios rerum Lubomirskianarum, raros alioqvin, et an. cIↄ Iↄc LXVI. editos. Pauli Piaſecii hiſtoriam ſcio tibi eſſe in promptu, et ſuſpicor, vidiſſe te Cenſuram Poloniae candidatorum, in qva pleraqve docte ſcripta ſunt: et, ſi recte calculum pono,

pono, liber iſte prodiit opera Oſterovskii, *Procancellarii* Polonici, de qvo prudentes iudicant, tamdiu florere Michaelem Viesnivicium, qvamdiu florebit Oſterovskius. In Dania pro Lege Regni eſt Receſſus Hafnienſis de an. cIↄ Iↄc LX. Cum Rege, aut pacto rectius Carolo-Guſtaviano, conferatur in Svedicis Receſſus Gothenburgicus, eodem an. cIↄ Iↄc LX. initus. Articuli Vngarorum, Pottendorfii editi, ſi qvaeſtio iuris eſt, valere debent, licet Caeſarei nolint valere, et, ut ipſi loqvuntur, *in Dominatum reſolutos* dicant. Sed turbato Vngariae ſtatu exſpectandum eſt tempus, qvo ex transactione nova forma Reipubl. iſtius iudicari poſſit. De Anglia certum habeo, ſummam Regni poteſtatem ſimul eſſe penes Regem, et utramqve Regni Curiam, nec ferri legem, aut promulgari poſſe ſine conſenſu *Parlamenti*, neqve id Regi, nec Regem ei ſubiectum eſſe; ſed utrumqve utriqve ex fide pactorum conventorum, et regni conſtitutionibus teneri: ut merito ſuo caſtigetur Cl. Salmaſius, et ferme ineptiat, cum per ſe conſtet, ſtatum Angliae ex tribus mixtum eſſe, Rege, *Monarchiam*, Domo, qvam vocant, Maiori, *Ariſtocratiam*, inferiore, *Democratiam* exhibente. Batavi bis mari vicerunt, et fortiſſime eruptiones fecerunt ex urbe Traiectenſi ad Moſam. Turenius per Thuringiam in confinia noſtra, et Bohemiam penetraturus fuiſſet, niſi, accepto nuncio cladium, revocatus fuiſſet. Brandenburgicum poenitet togatae expeditionis, et Martiorum, ſive fervidorum conſiliorum. Svedos

dos demerentur Batavi; ſed ambigue ſe gerunt, et metiri tamen nimiam potentiam volunt. Brema in primis periclitabitur. Brunſvigae habetur conventus *Circularis*. Draudii Bibliotheca apud me nullo numero eſt: brevi, ut audio, augebitur. Eizingerus plane ineptit, nec dignus eſt, ut conferatur cum Reidano, qvi ſolus aperuit occultas rerum Belgicarum cauſſas. De cetero, qvod mea curaveris recte, ſtudioſiſſimum mei nominis te teſtaris, et iis rebus efficis, ut nihil tua cauſſa defugere velim. His nunc acqvieſce, Maecenas, et bene vale. Kal. Aug. cIↄ Iↄc LXXIII.

XCIX.

IO. GEORG. BOERNERO.

IC. Dresd.

QVid de itinere ſentias, accepi. Inprimis Vienna me trahit, tum propter ſelectiſſimam bibliothecam Caeſaream: tum propter Lambecium, et Schrimpſium, qvorum ille *ex Rectore Ludi Hamburgenſis* factus eſt Auguſtisſimi Caeſaris hiſtoriographus, atqve conſiliarius, hic numos curat. In rebus bellicis Svedi occupatiſſimi ſunt. Carolus Guſtavus Vrangelius ex nephritide mortuus eſt: in Praefectura generali ſuccedet Helmſeldius. Caeſaris qvoqve, et Saxonis conventus magna omnes expectatione ſuſpenſos tenet. Aut Leopoldus emerget, aut Bavarus fiet moderatior. Cauta ſatis Auſtriaca domus eſt, et minas aſpernatur. Batavi ſatis ſecuri ſua defendunt, hoſte, propter aqvas, et tempeſtates pergere non auſo. De maritimo prae-

praelio iterum auditum eſt; ſed fama adhuc incerta affertur. Svedi cum Danis paulum reconciliati, omni ope, apparatuqve in Veſtphaliam contendunt: certusqve ſum, pro inſtauranda Europae tranqvillitate, conſilio, armisqve ſtare decreviſſe. Vale, et ſaluta magnificum Maecenatem, et nobiliſſimum tuum Parentem. d. VIII. Aug. cIↃ IↃc LXXIII.

C.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

PRimo, reditum ex Boiemia tibi fauſtum feliceſmqve eſſe, opto: tum precor, ut conſulta, actaqve bene vertant. Svedi ſane mirati ſunt, cum de novo iſto foedere inaudiverunt, ut qvi cupiant, *Proteſtantes* neutri parti ſtudere, uſqve dum tempus magis prodat conſilia Auſtriorum, qvos credunt, non tam Imperatoris, qvam utilitatis ſuae, Hiſpanorumqve cauſſa ſuſcipere novam expeditionem. Interea Auſtrii commodum allegant XIII. caput Imperatoriae ſanctionis, qvo iuraverit Caeſar, atqve ſe obſtrinxerit perpetuo ad exteros exercitus ex Imperio depellendos, qvocunqve etiam praetextu, et colore cauſſae eo venerint. Acceditqve ſecretus, ut dicitur, *receſſus* pacti inter Auſtrios, Gallosqve, A. cIↃ IↃc LXXI. I. Novembr. inſciis fere ceteris ordinibus, ſancti, qvo Caeſar duo excepit, ſi Gallus adoriretur Belgas, qvorum alterum fuit, ut Pax Veſtphalica, Olivenſis, Clevenſis, Aqvisgranenſis ſancte haberetur: alterum, ne eo bello gravarentur Ordines, neqve ex

circulis, aut ditionibus Imperii beneficiariis ſubſidia conſtituerentur. Alioqvin extra hunc caſum omnino eſt, certum, Caeſarem nullum, belli defenſionis cauſa ſuſcipiendi, ius habere, in quantum Caeſaris, aut potius nunc Regis Germaniae perſonam ſuſtinet, niſi minimum de ſententia Electorum. Pertinetqve huc ſanctio, aut, ut hodie loqvimur *Capitulatio Leopoldina* ibidem a principio. Sed, qvicqvid eius ſit, malunt plures Ordinum intueri Caeſarem, iuri ſuo inſiſtentem, qvam nimis fidere hoc rerum ſtatu, exiſtimantes, aeqve formidoloſum ab utraqve parte periculum imminere, *Proteſtantesqve* habere, qvo etiam ad futura convertant ſuas cogitationes. Faxit vero DEVS, ut omnia conſilia ſpectent ad domus Saxonicae gloriam, atqve aeternitatem. d. XIX. Aug. cIↄ Iↄc LXXIII.

CI.

EIDEM.

INter Caeſarem, et Bavarum acerbae literae commeant, darumqve Turenio negotium creditur, ut pedem retro referat, et, Bavaro non abnuente aditum, fines Bohemiae invadat. Nec vanus Viennae metus eſt. Clamat Bavarus, vim fieri Principibus, ſtabiliri etiam in occulto Auſtriorum dominatum. Ceteri Europae Reges ſaltem incrementa huius domus aegre ferunt, ſi non ex iuſta cauſſa, tamen velut gentilitio odio erga Hiſpanos, qvibus nimis indulgere putant: eſſe coecutientium ad conſilia, et captiones, ut olim loqvi ſolebat Bongarſius. Sed valde commutatae ſunt ſuperiorum

orum temporum rationes, et alia adeo] omnia, qvam olim eligenda, cum non de opprimendis, ſed moderandis Galliae viribus agitur, et male cogitata a turbulentis ingeniis recidunt in perniciem ipſorum, reddente vicem Dei ultione, qvod experta eſt Batavia primo, dum inſoleſceret; deinde Gallus, cum felicitatem ſuam non caperet; tum ad Chocimum Turcae, qvi ab infirma Republica Polonorum caeſi ſunt. Ego hanc ob cauſam Auſtriis precor, ut in praeſenti fortuna moderatos animos gerant, Principumqve offenſorum animos non armis magis, qvam aeqvitate flectant. Kal. Novemb. clↄ Iↄc LXXIII.

CII.

EIDEM.

SCiſcitatus nuper ſum, qvid P. Lambecius ſentiret de primo auctore tituli *Archiducis*, et qvo tempore idem familiae Auſtriorum illatus fuiſſet, non, qvod neſcirem; ſed, qvia aliorum ſententias colligere placeret. Reſponſum accepi aliud, qvam expectabam. *Diploma* nominari, poſtulabam, qvod non extare recte eſt confeſſus. Illud vero non conſentit cum vera hiſtoria, qvod ſcripſit, niſi forſan erravit, qvi ex mente eius ſcripſit, freqventisſime uſurpaſſe *Archiducis* titulum Fridericum III. Ipſe Fridericum IV. numero extulit, nec refragor, qvia in ſerie Caeſarum ponit Fridericum Brunſvicenſem, qvem tamen pleriqve expungunt, qvod, ab electione rediturus, prope Fritislariam, qvae qvarto lapide a patria mea diſtat, occiſus, nul-

nullam Imperii adminiſtrationem ſuſcepiſſet. Illud vero perperam traditur, qvod freqventiſſime hoc titulo uſus fuerit Fridericus. Vidi varia, et multa *diplomata*, in qvibus Ducis ſolum nomine effertur, extatqve eo ſanctio publica, Anno cIↄ Iↄc XLII. promulgata in Comitiis Francofurtenſibus, ubi ſine adiectione titulus Ducis commemoratur. Tum vero extra controverſiam eſt, Maximilianum I. qvi meo iudicio primus adhibuit titulum hunc, non ſemper adhibuiſſe, metu invidiae: qvam rationem tamen haud recte accommodat Pontus Heuterus. Qvod ad hodiernas Auſtriorum res attinet, varia prudentium iudicia ſunt de inuſitatis fortunae ſucceſſibus. De Turenio affertur, Regis ab eo alienatum animum eſſe, qvod aditus itineraqve Moeni, et Rheni haud circumſpectius cuſtodiviſſet. Illud autem pungit Svedos, qvod Caeſar cum qvibusdam Principibus dictatoria poteſtate agat, qveritantibus Bavaro, et Neoburgico, invadi ſe occultis artibus et convelli. Eid. Nov. cIↄ Iↄc LXXIII.

CIII.

ADAMO CHRISTOPH. IACOBI, IC. DRESD.

Vix obſignaveram priores literas, cum Chriſtianus Mochla, veteris amicitiae, conſvetudinisqve meae conſcius, ad me venit, obſecrans, velim ſe tibi commendare, praeſertim hoc tempore, qvo in Senatu veſtro de optione Groſtrepnitiana con-

conſilium capiatis. Ego, qvantum in me eſt, tribuere officium debui cum induſtriae, tum pietati iuvenis, uſqve eo conqverentis adverſam fortunam, atqve tenues res, ut, non habere, affirmet, unde vitae ſubſidia in poſterum conſtituat. Oro itaqve te, Maecenas, per probitatem, qvae in eo egregia eſt, et ſtudii ſacri, cui ſe addixit, amorem, atqve venerationem, iuves auctoritate tua Mochlam, efficiasqve, ut non magis ille, qvam ego, collatum beneficium agnoſcam. d. XXIII. Nov. cIↄ Iↄc LXXIII.

CIV.
HENRICO, L. B. A FRISEN,
IVNIORI.

Vicit tua benignitas obſeqvia mea, atqve effecit, ut prorſus erubeſcerem, cum mitteres non expectatum, ac nullo meo merito donum, et una ſignificares, meminiſſe te mei, et ſervare perclementis patrocinii morem. Qvod, cum alias ſciam, facere te ſolere, tum nunc oblivisci minime debeo, qvod eius ſplendidiſſimi muneris, qvo me ornandum curaviſti, teſtem pariter, ac interpretem Zieglerum eſſe voluiſti, et virum hunc iuris peritiſſimum, et memorem in te ſtudiorum, maxime elegiſti, cui perferendum ad me dares. Nec facile dictu eſt, qvod gaudium, qvantas item animo ſpes, ac fiduciam perceperim, cum viderem ſchedulam, ſigillo annuli tui impreſſam. Nam et haec ſola excitabat ingenitam mihi erga te, gentilesqve

que tuos venerationem, et ſimul renovabat memoriam beneficiorum omnium, qvae a te, a tuo nomine in me extant. Itaqve ſum animo bono, Domine, et, ut redditum tibi pietate mea qvalecunqve officium, putes, oro, qvaeſoqve, ac tandem de me confirmo, fore in tua pietate, dum vivam, et manere velle in hac voluntate parendi tibi. Illud vero ad privatam, et nunqvam in eo ſtudio ceſſaturi clientis tui religionem pertinebit, qvod a Deo petere, precariqve tibi velim vitam, fortunamqve tuam in eodem ſtatu ſiſtat, et Henricos, patrem, filiumqve, Reipublicae ſoſpitet, noſtris, et omnium gentium monumentis celebrandos. Ad poſtremum, et velut in ſumma, haec vota facio, ut Kalenbergianae necesſitudines fauſte, ac feliciter tibi eveniant, et non magis nova gaudia, qvam novum familiae tuae robur afferant. d. XXIV. Novemb. cIↃ IↃc LXXIII.

CV.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

* * * Nec illud placet omnibus, qvod Hiſpanorum Proceres, atqve Beneficiarii, Bournevillius, et Montereius, foederatas copias, qvarum nunc formidoloſa potentia eſt, cum ſummo imperio regendas accipiant. Nempe ita mortales, praeſentium haud certi, futurorum nimis anxii ſumus, et erga eos ſuſpiciones concipimus, qvi, qvamvis nocere nolint, nocere tamen aliqvando poſſunt. Bonna intercepta non affecit modo, ſed perculit animum Galliae Regis. Si Noveſium, ubi belli horreum

reum eſt, eripiatur, res eius conclamatae ſunt, nec alia cauſa fuit deferendi ditionem Vltraiectenſem, qvam ut defenſioni huius urbis, ac vicinorum caſtrorum invigilet, qvanqvam iam incertus rumor tulit, Noveſium ab milite Gallico qvoqve vacuum relictum eſſe. In Polonia, Dux belli Sobieskius non pugnaturus, ſi Rex affuiſſet, altero poſt die, qvam magna Turcarum ſtrages edita fuerat, mortuus eſt, magno qvidem Regni incommodo, ſi morte naturali defunctus fuiſſet. Omne vincendi momentum penes Huſſaros fuit, qvi, repetito ſaepius impetu, hoſtem adorti egerunt in fugam: tametſi ego nondum a Turcis Germaniae timeo, et ſcio, non velle oppugnatione Germanici Imperii, Septentrionis, Germaniaeqve gentium arma commovere. Id unum vereor, ne, ſi irrita fuerit compoſitio Colonienſis, ex fomite belli Belgici incendium in Germaniam traiiciatur. Ita precor, ut fauſta tua conſilia ſint, et omnes res tuae, Domine. d. XXVII. Nov. cIↄ Iↄc LXXIII.

CVI.

N. RVMMELIO.

SIc te commendavi Spenero, ut mihi collatum beneficium interpretari velim, ſi te inſinuet in amicitiam Procerum Argentoratenſium. Credo, eo minus defuturum, qvod multis candorem ipſius, atqve in me ſtudia cognita, ac perſpecta habeo. Te interim rogo, ac pro fide mea hortor, felicitatem itineris tui in pietate, et prudentia ponas, et, qvae alioqvin fallere iuventutem incau-

cautam, cum nondum *exaeſtuavit*, ſolent, tu maturo, ac ſupra aetatem iudicio fugias, ac devites: demum tibi de me perſvadeas, dum vivam, tuorum fore beneficiorum debitorem. Hic indicem vides Rumelianorum librorum, qvorum nullus prae ſe fert oppugnatorem Machiavelli. Ita fac ut recipiam librum, cui praeſertim inſcriptum eſt de meo aliqvid, et honeſte age, et libera fidem tuam. Ego ſane, niſi fiat aliter, literas, qvas Tibi in teſtimonii vicem dedi, fretus bona ingenii tui ſpe, retractare poſſum. Haec te neſcire nolui, et qvia te decet, et, qvia mihi convenit te admonere. Kal. Dec. cIↃ IↃc LXXIII.

CVII.

N. N.

ITerum ad me ſcribis, ſimul et gaudio me afficis, ac, ut inter varias occupationes tibi reſpondeam, qvodam tuo merito inducis. Gratulor vero de aeqviore fortuna, qvam, Deo auctore, commutaſti. Crede enim mihi, cum priores literas ſcriberes, doluiſſe admodum, et tacita a Deo precatum fuiſſe, fortunaret tua coepta, annueretqve honeſtiſſimo inſtituto. Sempronii lites nihil grave habent, nec mihi vacat legere, qvia cum diſpendio temporis, et vanitate coniunctae ſunt. De epiſtola, ad Senatum Hamburgenſem ſcripta, vellem, allegaſſes ſcriptores multo antiqviores. Cetera enim non diſplicent, et tuam mihi privatam diligentiam confirmant. Germaniae facies mira: Galli exercitus valde attritus eſt, pudetqve Regem tot amiſſo-

ſorum in Batavia caſtellorum. De Hiſpanis affertur, profligaſſe Gallum in limite, damnum autem ingens in Burgundia accepiſſe. Tu qvaeſo recte agas, et mihi, ut ſoles, bene in poſterum cupias. Eid. Decembr. cIↄ Iↄc LXXIII.

CIIX.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

QVod ab eo tempore, qvo me in admirationem tuarum virtutum convertiſti, conſtitutum habui, ut qvotannis tibi felices Kalendas Ianuarias precarer, id ne nunc qvidem intermiſſum volo, cum ut obſeqvia mea perſpicias, tum ut intelligas, non remitti, ſed augeri pietatem meam, cuius ſumma eſt, ut, qvia per te omnia conſecutus ſum, DEI beneficio viciſſim conſeqvaris, qvae gloriae, ac felicitati tuae expediunt, qvaeqve te praeſtare immortalem poſſunt: demum ita floreas dignitate, ac meritis, ut Germaniae de te expectationem ſuſtineas, et, qvicqvid in te magnum, ac inuſitatum eſt, retineas tibi, et transferas ſaltem in Henricum, filium tuum, decus noſtrum, immo orbis terrarum. Kal. Ian. cIↄ Iↄc LXXIV.

CIX.

CAROLO, L. B. A FRISEN.

RAtiones Gallorum valde ſunt perturbatae, et ideo ſiniſtri de Germanis ſermones afferuntur. Gravelius dolet, ſibi ab obaeratis ſuis illuſum eſſe. Turenius, propoſito periculo, Regi moderationem ſvaſit; ſed illius dicta nullo aſſenſu

H acce-

accepta ſunt, Rege in ſpeciem recuſante, qvod, aſtu Hiſpanorum victus, nunc pro lubitu ſuo conſeqvi non poſſit. Fallunt enim, qvi opinantur, fidele ſimulatum eſſe Hiſpanorum Batavorumqve foedus: cum his maxime ignarum vulgus qvorundam ſacerdotum, qvi ex ſuggeſto clamant, peti religionem *Proteſtantium*. Sed his optanda melior mens eſt, et, ſi cuiqvam, certe illi, qvem Gedanenſes loco moverunt, ſervaturi virum, ſi moderatius ſe geſſiſſet. Cum autem his locum non daret, et Reſp. a Burggravio, qvi dicitur, admonita, qvam impotenti, dicaciqve animo eſſet, haec civitati denunciavit, aut dimitteret virum, aut amitteret partem Privilegiorum. Factum eſt, ut miſſionem acceperit, qvi, apud nos cum eſſet, Principes Luneburgicos ferme abalienaverat a nobis, Brandenburgico alias ſat irritato: qvanqvam nunc ea qvorundam ſimplicitas eſt, ut credant Marchicis redeundi ad nos poteſtatem fore. Compertum aliud habeo, et literas, ex Pomerania ſcriptas, vidi, qvae contrarium docent. Nec alia huius irae cauſa eſt, qvam qvod, literae in Pruſſiam perferendae, venerint in Berolinenſium manus, plenae earum caſtigationum, qvae Ordines cum ſupremo Duce committere potuiſſent. Sed *demagogi*, et concitatores iſti ſunt, de qvibus alibi ad te ſcripſi. De Svedis nunciatur, ampliſſimam legationem ad Ruthenos miſiſſe Moſcuam, qvae occaſionem dedit rumori de matrimonio Caroli XI. et filiae Alexii Michalovizii. Aliam cauſam norint ſapientiores, ſiqvidem controverſiae finium,

ratio-

ratione Livoniae, Svedos potiſſimum ad hanc legationem induxerunt. Praeter verum ſentiunt ii etiam, qvi, Svedos pro Gallo qvid auſuros, affirmant, praeſertim hoc tempore, qvo Moſchus formidoloſus, Danus potens, Saxoniaqve omnis conſentiens eſt. Nam, qvod Brandenburgicum ſolicitant, id nec ad Caeſarem offendendum, neqve ad turbandum imperium pertinet, cum ſciant Svedi, foederibus, qvae ſecus ineuntur, pacis fractae reos agi, et, qvatenus iuris qvaeſtio eſt, iudicio Maieſtatis teneri. Sed vero illud prorſus vanum eſt, ac ineptum, qvod incerta fama tulit, Pitſodelſium, cum Moſchici legati munus obiret, adduxiſſe in has terras Czaris filium ignotum. Nam id non ſinunt mores Moſchorum, nec ingenium Czaris. In Polonia ſane Auſtriorum conſilia multam expectationem habent: Regis mortem aeqvo animo ferunt: Reginam ſic intuentur, ut non tam doloris, qvam orbitatis remedium qvaerant. Eſt enim huic genti iucunda miſericordia, et amor multo maximus in Reginas, et iudicium, ac reſpectus familiae Regiae. De Anglia, et Scotia afferunt Belgarum literae, male affectos Ordinum animos, praeſertim Scotorum, qvi tamen an. cIↃ IↃC LX. plenius Regi imperium edicto publico ſanxerunt. Hiſpanus aut pacem cum Batavis flagitat, aut, bellum indicere velle, minatur. Necdum Luxenburgicus extra periculi aleam eſt: impedimenta iam tum direpta eſſe, pro vero affirmant. Certe in caſtris eius tantae ſunt annonae difficultates, ut qvidam ſponſionem facere auſi ſint, fame

debellari poſſe. Scriptum Kal. Ian. cIↄ Iↄc LXXIV. qvem feliciter tibi, et illuſtriſſimae familiae illuceſcere opto.

CX.
HENRICO, L. B. A FRISEN.
IVNIORI.

DVdum tibi reſpondiſſem, niſi qvaedam occupationes, nec opinantem abſtraxiſſent, qvarum ut alia ſeqvuntur alias, ita pro gentili facilitate tua condonabis, ſi qvid peccatum eſt forſan, aut iuſto officio non ſatisfactum. Miror autem valde, cur de itinere Dresdenſi nihil ad me perſcripſeris, et qvid ibi tecum actum fuerit. Sed haec odii plena ſunt, et mihi ipſi bilem movent. De iis, qvae petis, minime negabo tibi qvicqvam, aut invidebo. Amicus notus Viadrinae nomen dedit, noſtramqve repetere in animo habet, et ſolvendae mulctae XII. numos unciales offert, nihil effecturus, ſi vetera conſilia valent. Maior ſpreta iniectione manus relegatus eſt praeter multorum expectationem, et meam ipſiusmet. De publicis ſcis, qvi ſint rumores. Czaris filium ignotum hic tranſiiſſe, credit vulgus, et, ut ſolet, tunc ſibi placet, cum ineptit. Principatus Altenburgicus, et Coburgicus, ſine omni difficultate, ac diſceptatione, titulo beneficiario collati ſunt in Gothanum, contra, qvam ſparſus rumor eſt, inepto ſane auctore. Nec ignoras, qvae emanaverint de Erfurto, vana prorſus, et nunc qvoqve exoleta, ab initio autem ple-

plebeiis ſermonibus et dicta ſic, et recepta paſſim, ut, qvi reiicerent, illo ipſo facerent, qvo magis approbarentur. Res Gallicae valde turbidae ſunt, Caeſare opibus, ac foedere nixo. Turenius, eo rerum ſtatu, Regi pacem ſvaſit, et, qvanqvam iratiſſimo, propoſuit rationes finiendi belli. Luxenburgii res conclamatae ſunt, ſi *Comes* Valdeccius contra hunc gnaviter eſt cautus. Danum Luneburgicosqve foedere Auſtriis conciliatos vera fama tulit, nihil auſuris Svedis. Non. Ianuar. cIↄ Iↄc LXXIV.

CXI.
IO. ADOLPHO KIRCHBACHIO.

LIterae tuae altera vice mihi redditae ſunt, ex qvibus, qvid velles, intellexi. De amico ipſe triſtitiam concepi primo: tum miratus ſum, qvod ſerio mihi non indicaſſet, qvid ſecum fuiſſet actum. Nam contra iuſſum, ac leges abiiſſe affirmant, ſpretis omnibus, et Magiſtratu ipſo, qvi manum inieciſſet: neqve verbo, nec epiſtola deprecatum fuiſſe. Sed ea nunc ſunt inter ſimulacra ſeculi plerisqve, et conſtat, incitamenta fuiſſe multis demendi contemptus. De me alioqvin certum habeas, non aliter tibi cupere, et inſervire velle, qvam praeſens affirmaverim. De ſtudiorum ratione Tubingam ſvadeo, et muto conſilium ob multas cauſas. Vale. d. IIX. Ianuar. cIↄ Iↄc LXXIV.

CXII.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

STrauchius, de qvo ſcripſi, loco motum fuiſſe, reſtitutus eſt, ut vitaretur tumultus plebis. Qvippe ea tanto concurſu Podeckum Conſulis domum cinxerat, ut videretur oppugnatura, niſi reſtitutio feſtinata fuiſſet. Sed interea indignantur Poloniae Praeſules, qvorum, ut alias, ita hoc interregno, maxime auctoritas valet. Agitur certe de privilegiis, atqve ſecuritate urbis. Tantum vero abeſt, ut his rebus ingenium emendaverit Strauchius, ut, altero poſt die in ſuggeſtum aſcendens, per latus qvoqve collegas Eccleſiaſticos petere coeperit, veluti deſides, et praeter officium plurima reticentes. Alioqvi in Polonia ſpes eſt, ſi concors conſilium, iunctaeqve vires manſerint, et idonea, ac tempeſtiva electio proceſſerit, Caminieciam recuperatum iri. Ad Rhenum ferme omnia lenta ſunt, non tam diffidentia partium, qvam prudentia, et opportuna moderatione, ne Caeſareani, qvi, defenſuros Imperium veniſſe ſe, affirmant, et per interpretem Starenbergium repetunt apud Svedos, offendendi cauſa veniſſe, exiſtimentur. Propterea Montecuculi, in ſanctiore foederatae militiae conſilio, expugnandae Bonnae auctor fuit, cum ceteri, ipſosmet Galliae fines tentandos eſſe, ſvaderent. Luxenburgium modica impedimentorum iactura ſenſim elabi, nuncius ex Belgico affertur. Colonienſis adhuc ſtudii Gallici tenax: Anglus etiam contra

minas

minas Hiſpanici Legati, cui nomen Freſneo conſtans eſt. Nihilo melius agitur cum Neoburgico, de qvo vanus rumor eſt, conſtituiſſe Caeſarem iudicio maieſtatis agere cum ipſo: qvod ſane, hoc rerum ſtatu, eſſet claſſicum canere civili bello, et velut repente invecti dominatus ſuſpicionem dare. Iamdum enim grave eſt Svedis, Haſſis Caſſellanis, qvod cum Colonienſi tam inclementer actum fuerit: qvod huic evenerit, aliis metuendum eſſe: tum vero praeter ius et mores Germanicos efficere Caeſarem, ſi de rebellione Principis per ſe ipſe tantum, ac ſine inveterato iudicio Principum cognoſcat. Palatinus, morte Principis Palatini Simerenſis, cernit hereditatem, tanqvam agnati. Alſatia ſub militis Gallici licentia perit, dubium, an perditur: tractus Saraepontanus, et qvicqvid fines Palatinatus contingit, conſumitur, velut ſeneſcente Germaniae ſuperioris felicitate, et ſolum ruinis Belgicae, Germaniaeqve inferioris ſe ſolante. Baro Liſola Leodium, qvod Belgium invadentibus opportunum, cum Caeſare in gratiam redegit. d.IX. Ian. cIↄ Iↄc LXXIV.

CXIII.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

VLtraiectum in Ordinis foederati Belgii dignitatem reſtitutum eſt, tum, qvia ſuo ſumptu, atqve opera ſe liberavit a milite Gallico: tum, qvia, haud auſpicatum fore, videbatur, eos privare iure ordinis, apud qvos prima initia, ac fundamenta libertatis Belgicae iacta fuiſſent. In An-

glia res turbantur, et pleriqve Gallicae ſactionis Proceres proxime a periculo abſunt. Caeſareanos Philippiburgum obſeſſuros, rumor ex Alſatia affertur. In Polonia novus imminet metus a Turcis, ac de Regis electione diſſidentia, diverſaqve ſunt conſilia. Si quibusdam religio obſtare videatur, exemplum ſuppetit Iagellonis, Stephani, et Sigismundi, qvi Pontificia ſacra primo non ſunt amplexi, neqve tamen ad regnum aditus intercluſus fuit. Sunt, qvi credant, indigenam, qvem Piaſtum vocant, ſuffragiis ſuis nominaturos, nominatim militiae Polonicae *Proimperatorem.* Nam Sobieſcio obeſt matrimonium. Batavi cupiunt, pacem Bredanam eſſe fundamentum compoſitionis Colonienſis, et Anglo offerunt ſatisfactionem pecuniariam, etſi nullam iniuriam attulerint ipſi, atqve Regno Angliae. Tum affirmant, omnia extra Europam arrepta reſtituturos eſſe: praeterea non gravaturos, qvantum ad commercia Indiae Orientalis: adhaec apluſtria, et vela dimiſſuros: iure autem piſcationis halecum, qvod ducentis abhinc annis habuerint, atqve in eius certa, ac ſecura poſſeſſione fuerint, abdicare ſe non poſſe; dare autem velle ſemel, ut eo modo ſemper ſatisfactum ſibi cenſeant Rex, et Regnum, definitam pecuniae ſummam. Aubertus Miraeus multam diligentiam, laboremqve impendit optimis tabulis, qvas magno numero habuit, eruendis: nec ſcio, an facile eius ſimilis fuerit in Belgio Hiſpanico: neqve exiſtimo, veteres Belgicae antiqvitates qvenqvam melius cognitas habuiſſe. In rebus

bus tamen externis ſeqvi exteros perneceſſarium duxit: ſiqvidem, in Karolingicis deprehendo familiarius eſſe uſum Iacobo Sirmondo, et in Lothatingicis ante oculos poſuiſſe Io. Iac. Chiffletium, utrosqve doctos viros; hunc vero alias a Davide Blondello, et ſaepe praeter meritum, caſtigatum. Nam tametſi huic multum tribuo, et, bene, ampliterqve de antiqvitate promerendo, magnam laudem conſecutum fuiſſe, intelligo: tamen in rebus civilibus interdum prodit ſtudium partium, nec eam, qvam debebat, operam adhibet. Interim iucunda mihi eſt memoria Miraei, et non dubito, eum abs te diligi, Domine, qvi ſtudiis, atqve laboribus pulcherrimis effecit, ut diligi pariter, atqve commendari debeat, praeſertim iis, qvi *diplomatum* perſpectas ſibi rationes eſſe volunt. Sed, cum longe rectius perſpicias, Domine, et magnopere ipſe collaudes Miraei Notitiam Eccleſiarum Belgii, item Annales, et huiusmodi monumenta alia, qvae ſemper divino tuo, atqve capaciſſimo ingenio praeſentia ſunt, deſino in fide, atqve cultu tui nominis, qvod, dum literae erunt, omni ſtudio, atqve diligentia, celebrabitur. d. X. Ian. cIↄ Iↄc LXXIV.

CXIV.

N. a LEIPZIG,

Viro Nobili.

Si qvid eſt, qvod dignum putem, ut legas in re militari, velim, tibi ad manum eſſe Henrici

 Ran-

Ranzovii commentarium bellicum. Nec pigebit evolviſſe Vegetium, qvi libris qvatuor complexus eſt artes bellicas. Frontinus ſtrategematum rationes expoſuit: Aelianus de inſtruendis aciebus erudite, et pro captu militari eſt commentatus. Nihil de Onoſandro, atqve aliis addam, ne te obtundam forſan moleſta iſta antiqvitate, niſi tamen cupiditas te inceſſat Salmaſii de re militari librum legendi. Corpus, qvod dicitur, iuris militaris Petro Pappo Franzbergio acceptum ferimus. Cetera, qvae ad Architecturam militarem ſpectant, reperies apud Freitagium, et Schildknechtum: ne nunc de Schola militari Boederi te admoneam, de qva forſan iam antea tibi conſtat, nec ipſe neſcio, ea velut rudimenta ſtudii militaris contineri. Tum vero non faceres praeter rem, ſi hoc tempore, qvo tibi vacat, Ioannis Gvilelmi Neumaieri libellum exiguum qvidem, ſed iſti inſtituto, de qvo me appellas, non inutilem, perlegeres. Sed perge in hoc gloriae curſu, ac exemplo tuo oſtende, Nobilibus nusqvam deeſſe declarandae diligentiae, amplificandaeqve laudis occaſionem: de me autem tibi perſvade, fore tuis ſtudiis, honoriqve, dum vivam, addictiſſimum. d. XII. Ian. cIↄ Iↄc LXXIV.

CXV.

HENRICO, L.B. A FRISEN.

DVm in eo res ſunt, ut nihil amplius ſibi metuat Luxemburgicus, haud qvicqvam memorabile affertur a Rheno, niſi qvod compertum ſit

ſit Palatino, quatenus Principis Simmerenſis hereditatem adit, oriri litem ratione Monzingen, et Boekelheim, in qvorum poſſeſſione iſte fuit, ſaltem titulo pignoris olim obligata Palatino. Qvod ſi renuat Moguntinus iſte, gravari non poterit, aut ſi gravetur, hic ex ea cauſa actionem intendet, licet Palatinus non tantundem ſibi nunc timeat a Lothario Friderico, atqve olim a Ioanne Philippo, comperto prudentiae Principe. Sed optandum eſſet, ſinceram inter utrosqve Principes amicitiam inſtaurari, qvam tamen ut ſperem, nulla civili ratione adduci poſſum. Tam alte in Moguntinorum animum deſcendit controverſia *Vildfangiſtica*, ut illas taceam, qvae leguntur magis, qvam ſopiuntur. De Gvelfis iſtud prorſus ſingulare eſt, qvod dum Caeſari tam fidi ſunt, eius militi hiberna denegent apud Hildeſienſes: qvanqvam ea concedat Moguntinus etiam iis in locis, qvae iurisdictioni iſtius in inferiore Haſſia ſubſunt, praeſertim Frizlariae, cuius iam memoria exſtat in Karolingorum monumentis, et qvae iam antiqviſſimo tempore pertinuit ad Eccleſiam Moguntinam, cui nuper inhiabant Haſſi, dum coaleſceret pax Oſnabrugenſis, ſed, obſtinatis ad poſtulata Moguntinis, minime acceperant. Sed, dum Gvelfi gratiam ſacerdotibus Colonienſibus praebent, una praeſtant *Epiſcopatui* Hildeſienſi patrocinium, et conſulunt terris ſuis. Princeps Deſſavienſis iterum ſuſcepit filiam, non vano omine redituri ad Anhaltinos Principatus, ſi poſt hac qvoqve filiae naſcantur. Vnum mihi hic reliqvum eſt, Domine,

ne, qvod abs te humilime, meo, et alius nomine, petam. Eſt hic qvidam nomine Stempelii, iuvenis iuris egregie ſciens, et valde gnavus in iuridicis, qvas habet, ſcholis, qvi primarii ſcribae munus, qvod nunc vacat, modeſte, ac virtute ambit, et per me, humilima fiducia fretus, interpretem te rogat, Domine, velis ſibi dare efficaciſſimum ſuffragium tuum. d. XIV. Ian. cIɔ Iɔc LXXIV.

CXVI.
N. MAIO.
Sacerdoti In Svevis.

MArtinus Cruſius, qvi tuo beneficio ad me venit, magnam ſuorum Annalium partem Caſpari Pruſchio debet. Simul exploratum habeo, Io. Aventino diligentiſſime uſum fuiſſe. Tum vero certum eſt multa accepiſſe a Laurentio Friſaeo, conſiliario, dum viveret, Vurcenburgico. Sed contumelioſus in merita viri optimi ſim, ſi negem, eius qvoqve opera, ac labore indefeſſo plurima ex Svevicis monumentitis eruta extare. Nam et illo ipſo Aventinum imitari voluit, qvi, uti res Boiicas, primis tabulis deſcriptas, inſpexit, ita Cruſio idem conandi exemplum prodidit. Ille tamen felicius, qvippe qvi maiori *diplomatum* copia inſtructus fuit. Praeterea non neſciunt eruditi, ſtudium civilis hiſtoriae ita attigiſſe Cruſium, ut multa in eo deſiderentur. Qvanqvam nec a Svevis veſtris eam, qvam voluit, gratiam iniverit, dum pleraqve protulit in publicum conſpectum,

qvae

qvae illi mallent ſilentio praeterita fuiſſe. Nihil addo, niſi de Filio tuo, cuius et induſtriam, et optimos mores probo, et adiutorem futurum in omnibus me recipio. d. XXI. Ian. cIↄ Iↄc LXXIV.

CXVII.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

DE rebus, ad Germaniam pertinentibus, conſtat, Svedos, et Brandenburgicum defenſionis cauſa foedus iniviſſe, et credunt, Batavos, Haſſosqve Caſſellanos acceſſuros eſſe. Illi enim Iuliacum et Cliviam reſpiciunt, Saxoniae ius, et cum Caeſare amicitiam, et armorum ſocietatem, cumqve Danis necesſitudinem, ſecreto metu penſitantes. Interim creſcit Saxoniae noſtrae gloria, et in herede Principali augetur qvotidie; nec maius apud nos, qvam in Vaticano gaudium parit, qvod his rebus potentia Galliae refrenetur. Angli adhuc, inſtigantibus occulte Svedis, libera, et communia Indiae orientalis commercia poſtulant, non magis, ut Regum iſtorum commodo, qvam, ut ſuo inſerviant. d. XXIII. Ianuar. cIↄ Iↄc LXXIV.

CXIIX.

AMICO CVIDAM.

MIraeus multam diligentiam, laboremqve impendit ſcriptoribus, qvos in Belgio habuit, optimis; nec ſcio, an facile ei laudem induſtriae praeripuerit qvisqvam. In rebus tamen externis ſeqvi externos perneceſſarium duxit: in Belgica, non dubito, cum optimis conferendum eſſe, qvi per-

perſpexerint qvidem tabularia, atqve cognitas habuerint optimas, ſeleċtiſſimasqve hiſtoriae rationes. Fuit enim ingenio idoneo, atqve capaci, cuius memoria facile omnibus iucunda eſſe debet, et lectio utiliſſima haberi. Qvaeſo itaqve te, familiariter utaris hoc auctore, qvi bene, ampliterqve de antiqvitate meritus fuit. Vale. d. XXV. Ian. cIɔ Iɔc LXXIV.

CXIX.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

NVnc multa ſunt, qvae Batavos bono eſſe animo iubent, poſtqvam opera Hiſpanorum effectum eſt, ut pax inter ipſos, atqve Anglos honeſtis conditionibus inſtauraretur. Qvod ſicuti opportune ipſis accidit, ita ſpem facit reſtituendae communis pacis, atqve tranqvillitatis: ſiqvidem nunc enixius inſtabunt conciliatores, qvam ante, et non in ſpeciem, ſed ſerio animum intendent bello componendo, qvandoqvidem omni ope, amicitiaqve externorum Regum deſtitutus eſt Ludovicus. Nam, qvod fama tulit, maiores, atqve antea, copias contracturum, id ſane infirmum telum eſt contra tot coniunctos hoſtes. Svedi, utcunqve ſint inimico animo: tamen nihil audent, conſilia pro re, ac tempore capientes. Dani Caeſaris ſocietatem amplexi ſunt: Luſitani, niſi laceſſiti, ac tuendi regni cauſa, non ſuſcipient bellum: Hiſpani, Bataviqve, coniunctis cum Caeſare armis, fidam, firmamqve pacem poſcunt, ad qvam conficiendam multum pertinet amicitia *Proteſtantium*

Prin-

Principum, ſicet pleriqve, praeſertim Epiſcopi, tumultuantes aliter factum optent. Brandenburgicus brevi in poſſeſſione Cliviae erit, deducturis praeſidia ſua Gallis, et omnes copias in ultionem Hiſpanorum excire iam paratis. Gvilelmi Principis exemplum habet aliqvid ex iniqvo; ſed neceſſitate factum toleratur, modo id non in conſvetudinem dominatus abeat, et dignitatem iudicii Principum periculo obiiciat, ac tollat. Qvae cauſa eſt, cur Svedi pro tuenda Pacis Oſnabrugenſis ſanctitate foedus ſolicitent, rati, nec minimum contemni debere, unde vel ſuſpicio ſit futurae Reip. converſionis. Atqvi haec ad tuam curam ſpectant, Domine, qvi ea conſilia huc usqve dediſti, qvorum te nunqvam posſit poenitere, et providiſti, ne Caeſaris auctoritas caperet detrimentum, utqve ceteri Ordines ſeqverentur fidei Saxonicae exemplum. Ita DEVS ſolicitudini tuae curisqve adſit. d. XXVII. Febr. cIↃ IↃcLXXIV.

CXX.

IO. ADOLPHO KIRCHBACHIO.

Qvae mittenda petis, dubito, an mitti per rhedarium poſſint. Mea opinio fuit, ea, qvae tibi debentur, curare optime poſſe fratrem. Te enim reverti huc ad tempus, neſcio, an ſit conſultum. De Tubinga adeunda nondum ſententiam muto. Alſatia veluti ludus Martis eſt. Caeſareani lente agunt, defendere Imperium contenti, ſpecioſo titulo adverſus Svedos, revera tamen,

men, ut ſentiant cum Hiſpanis, et Belgis. Vale. Prid. Kal. Mart. cIↄ Iↄc LXXIV.

CXXI.
IODOCO SLAFIO.

Recte omnia curaſti, et melius non poſſes: neqve committam, ut ulla oblivione collocatum mihi beneficium deleatur. Illud vero abs te peto, ut mecum communices, annon in ſcribendo erraveris, cum Angriae titulum omiſiſti. Nam illum in ceteris eius *diplomatis*, qvae mihi qvidem videre licuit, inveni. Venceslai literas perenixe cupio legere: et cumulabis officium, ſi faciãs, ut eius copia mihi fiat. *Vittati*, ſtylo ſeqviorum temporum, non alii, qvam *clauſtrales*, et qvi ordini hominum religioſorum ſe addixerunt, intelligi poſſunt. A poetis ſumpta eſt illa appellatio, qvi Veſtales ſacerdotes nominarunt *Vittatas*. Aliena enim eſt *Vitrici* notio, qvae ad oram ſcripta eſt. Cum autem me ita devinxeris, tum non patiar, te ignorare, accepiſſe me Bedam, in antiqviſſimo codice exaratum: ſupplementum tamen in eo deſideratur. Qvi tanto mihi eſt gratior, qvod primus fuerit, qvi inter Anglo-Saxones hiſtoriam ſuae gentis condidit, et Franco-Karolingis ſcriptoribus, et ipſi Vitechindo, Monacho Corbeiae, facem praetulit, cum de originibus Saxonicis commentaretur. Ceterum eius ſcriptum exemplar aſſervatur in bibliotheca Oxonienſi, qvae codicum multitudine non cedit Vaticanae. Si huc redieris, oculis aſpicies, et ſenties, vicis-

viciſſim tibi me inſervire velle. Nam id fas eſt, qvi exploraverim, non te ſtudere tantum utilitati meae; ſed etiam ultro excitare Menzerum, ut nolit mihi deeſſe in ſuppeditandis ſubſidiis ad eruendam hiſtoriam veterum ordinis ſacri Praefecturarum, qvae *Commendae* appellantur. Ego ſane certus ſum, earum ante Friderici II. aevum nullum veſtigium extare. De ſtatu publico, omnes ſpes componendae pacis tenent. Nam et Galli apparatus eſt longe maximus, et horrea belli plurima, et Svedorum vires qvotidie augentur. Batavi tamen cohortantur Caeſarem ad perſeqvendum bellum, auctore Auriaco, cuius auctoritas bello corroboratur. Praefecti foederatorum copiarum Argentorati ſecuri ſunt, pleriqve etiam choreas agunt. Vale. d. II. Mart. cIↄ Iↄc LXXIV.

CXXII.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

PEr occupationes itineris, qvod Zadelam deſtinabam, factum eſt, ut impedirer, qvo minus haec epiſtola tempeſtive ad te perferretur. Itaqve oro, ne id inclementer accipias, nedum illud, qvod, in Miſniam profectus officii cauſa, ad te non venirem. Nam id multa nunc non ſinunt, praeſertim civium Academicorum, qvi velociorem reditum flagitabant, expectationes. Ita ſoſpitem te DEVS praeſtet. Eid. Mart. cIↄ Iↄc LXXIV.

CXXIII.
IO. HENRICO HORBIO.

MVltum gaudii attulerunt mihi literae tuae, tum, qvod ſalvus ex itinere rediiſti: tum, qvod illi muneri, cuius permagna auctoritas eſt, impoſitus fuiſti, atqve virtutum, qvas ſemper amavi, fructum cepiſti. Ego, qvicqvid me vis, tua cauſa faciam, et pro honore tuo nitar indefeſſa opera. Illud etiam tuae laudi meritisqve tribuam, ut intelligas, non excidiſſe animo meo officia, qvae mihi navaſti. Periculum, qvod ab Hiſpanis metuis, pietas, ac prudentia tua vincent. Scio, moderatum tibi eſſe animum, et odiſſe impetus, ac lingvae procacitatem, qvae nuper magnum Theologum in periculum, ac diſcrimen adduxit, commota Gedani turba, qvae vim ſenatui minari auſa eſt. Qvis exitus ſit futurus, omnes expectatione ſuſpenſi herent. Alioqvi non arbitrabor, tibi aliqvid ab Hiſpanorum armis impendere, ſiqvidem cauſa defenſionis civilis agitur contra Gallum: nec Auſtrii ſinent, ut nunc prudentes, ſuperiorum temporum memoria, facti ſunt, ut cuipiam vis, ex cauſa religionis, afferatur, praeſertim, qvod nemo magis, atqve Epiſcopi Pontificii, Caeſari debitam fidem, obſeqviumqve violarint. Montecuculius magnam ſibi famam conciliavit, qvod, ſuperiori anno, in conſilio militari, auctor fuiſſet expugnandae Bonnae. Gvil. Furſtenbergii exemplum neceſſitate excuſatur: qvi evexit, deprimet. Interim vale, et mihi, ut ſoles,

ſoles, benevolentiam tuam porro teſtare. d. XX. Mart. cIↃ IↃc LXXIV.

CXXIV.
PHIL. IAC. SPENERO,

QVod mihi officium tribuiſti, et Curlandum, in qvo magna mihi ſpes eſt, commendaſti, impenſe gaudeo, atqve abs te peto, honeſtae meae audaciae concedas, ſi in poſterum qvendam Dresdenſem Patritium, Kirchbachium, in amicitiam tuam inſinuem, qvi Tubingam commeabit. Ceterum, qvod negotia publica ſpectat, praeclare meminiſti, hoc rerum ſtatu ab Auſtriis nihil metuendum eſſe. Tum vero ipſe non neſcio, fidum, ſincerumqve, et nunc ſolum ad civilem defenſionem pertinens foedus dici oportere. Svedi tamen ea conſilia aulae noſtrae ſuggeſſerunt, ut medium ſe partibus Saxo praeſtaret: qvod nec voluit, nec potuit iure, tum ob cauſam defenſionis Imperii: tum ob pactum ſocietatis cum Regibus Bohemiae antiqviſſimum: tum alias ob cauſas, qvibus fides eius obligata erat. Sed illud tamen noſtri Saxones, proxime miſſi in ſupplementum, conqveſti ſunt, Caeſareanos malle aliorum, qvam ſuas vires conſumi. Sed ea Auſtriorum circumſpectio eſt: incruento Marte, ac lenta providentia, qvam praecipites, mobilesqve Gallorum animi non ferunt, debellare hoſtem volunt. Furſtenbergii Principis exemplum multis modis excuſatur, licet habeat aliqvid ex iniqvo, ſi reputo modum ex-

ercendi iuris. Gedani diſſidium eſt inter Senatum, et Strauchium, cuius vehemens ingenium omues reprehendunt: et iudicio Theologorum improbatur iſte impetus, qvo turba commota vim ſenatui minari coepit. Sed haec dolenda ſunt, dum corrigi non poſſunt. Affini tuo, viro mihi amiciſſimo, literas ſcripſi: precor, ut cures. d. XX. Mart. cIↄ Iↄc LXXIV.

CXXV.

HENRICO, L.B. A FRISEN.

THeodorus Grasvinckelius, anno qvarto, et trigeſimo huius ſeculi, librum, qvi Libertas Veneta dicitur, ſcripſit, nec ingratam iſti Reipublicae operam navavit: literatis autem non ſatisfecit. Nam, qvi aeqvos ſe iudices praebent, et procul amore, odioqve rem penſitant, diffiteri non poſſunt, plenam Venetae Civitatis libertatem non coepiſſe cum Republica, ſed multis poſt ſeculis acceſſiſſe. Multo circumſpectior in eo genere fuit H. Conringius, qvi diſputationem hanc à temporibus Rudolfi I. Habsburgii orditur, qvod non ignoraret, plurimum laborare narrationes Grasvinckelianas, et multis indiciis cognoſceret, plerumqve incertas, ſaepe etiam falſas eſſe. Mihi conſtat, A. cIↄ CC LXI. nondum plena libertate praeditam fuiſſe Rempublicam hanc, et colligo id ex Monacho Paduano, qvem nec vidit qvidem diligens ille libertatis Venetae defenſor. Nec illi ſuſtinent, ac tuentur meam expectationem, qvi, tempore Friderici Aenobarbi plenum maris domi-

dominium acqviſiviſſe, approbant: qvanqvam haud neſcio, ſcriptores Venetos omnes ad haec tempora referre initium illius ritus, qvo Duces Veneti mare ſuo dominio obnoxium declarant, et, *Bucentauro* vecti, veluti Reipublicae deſponſant. Auctor inſtituti traditur Alexander III. Pontifex; ſed ius, ac dominium non conceſſit: neqve concedere potuit, qvod in eius poteſtate non fuit. Adhaec nondum eo ſtatu tunc res Venetae erant, ut, ante everſum a Latinis, ductu Balduini Flandri, Imperium Graecorum, auderent tantum ſibi ſumere. Et ſane neceſſe haberent reſpicere Imperatores Germanorum, qvos ab Ottonibus inde plus, qvam comiter habuerunt, ut mihi *diploma* eſt in eam rem Ottonis III. qvod nec Grasvinckelium fugit, neqve piguit Goldaſtum annumerare conſtitutionibus Imperii. Itaqve non uno momento, ſed paulatim crevit Reſpublica ad eam potentiam, qva poſtea adepta eſt dominium maris, et plenam libertatem. De rebus hodiernis, credam, fatis ſuis admoveri Galliam, ſi Foederati ſint aeqve pertinaces, ac Galli mobiles. Nam aut nunc prement Galliam, aut in poſterum deſinent, ſi qvidem haud ſcio, an melior occaſio futura ſit, atqve hoc tempore, qvo ab omnibus Regibus auxilio deſtituitur. Sed, ut nunciis accepi, Auſtrii ita debellare volunt Gallos, ut milites ne conſumant ſuos, qvae gloria eſt Auſtriacae manſuetudinis, qvam iure in ſaevitiam mutare poſſet impetus in Palatinatum factus, et alia, qvae poſteritas mirabitur, tam iniqve, et indecore a Rege facta.

Illud demum nunc falſum comperimus, qvod mendax rumor attulit, Palatinum abdicaſſe ſe dignitate: ſed verum eſt, dolore maximo affectum fuiſſe, cum de occupato Germersheimio audiviſſet. Itaqve e re imperii eſt Philippiburgum e Palatinatu aggredi, et praeſidium Gallicum exturbare. Neqve enim prius ſecurae erunt ditiones Palatini. Sed haec iudicare tuum eſt, Domine: mihi obſeqvii gloria relicta eſt. d. XXIV. Mart. cIↄ Iↄc LXXIV.

CXXVI.

IO. ADOLPHO KIRCHBACHIO.

COmmendationem tuam curavi, et Speneri qvi non eſt nullo numero apud Tubingenſes, amicitiam tibi conciliavi: cuius beneficio aditus tibi ad optimos qvosqve patefiet, ac communietur. Illud vero non conſultum duxi, ut formulam ab Aulae Proceribus reqviras, qvam ſervabis occaſioni alii, et fortunae altiori. Nam, dum in ſchola verſaris, et commilitonibus aſſides diſcendi cauſa, ſupervacuum eſt commendari. Sed ſi te itineri committere, et externa regna adire, ac conſeqvi honorem in republica ſtudes, tum demum Aulae patrocinium opportunum erit. Numos illos, de qvibus ſcribis, alias vidi: et credo, horum ſimiles Romae, Pariſiis, et Viennae reperiri. Interim laudo diligentiam tuam, et peto abs te, ſi qvid in Germania deprehendas, qvod ad me pertinere putes, ac perrarum ſit, id mecum communicare haud graveris. Fratrem tuum haud

haud ſecus mihi commendatum eſſe volo, qvam a me poſtulas, et ego tuo nomine debeo. Vale. d. XXIV. Mart. cIɔIɔc LXXIV.

CXXVII.
PHIL. IAC. SPENERO,

VEnit ad te, cuius nuper memini, Kirchbachius, mea commendatione adductus, qvem ut officiis tuis complecti, et literis ornare velis, abs te peto. Collocabis ſane optimo iuveni beneficium, qvi, ſi qvisqvam alius, mihi carus eſt, tum propter natales egregios, et bonos mores: tum propter induſtriam, qvam mihi approbavit. Parentem habet virum gravem, et Saxonis noſtri Praefectum, qvi omnem in eo ſpem ſuam, et delicium habet. Tu, qvaeſo, fac, ut intelligam, non tibi moleſtum eſſe, qvod te tot commendationibus obtundam, qvas amor publici boni, et officii conſcientia mihi expreſſit. De impetu, qvem Gallus fecit in Palatinatum, ſcias, omnium Principum Imperii animos valde commotos eſſe. Gvilelmus ille Egram perductus eſt: brevi in cuſtodiam dabitur Viennae: benigne tamen Caeſaris iuſſu tractatur. Fratris literae, qvatenus eius intercesſionem ſpectant, non recipientur, ut certis nunciis Vienna accepi. De cetero pacem omnes optant, et ſapientes ſperant. Vale, d. XXVII. Mart. cIɔIɔc LXXIV.

CXXIIX.
ERNESTO GOCKELIO.

Literas tuas multo gratiſſimas accepi, et una cum iis munus, qvo me ornaſti. Tui vero nominis dignitatem amplificaſti tantopere, ut unus tu rerum Svevicarum peritisſimus, ac merito habearis. Diſſertationes, qvas flagitas, auſpicii cauſa habitas, paulatim conqviram, et faciam, ut intelligas, longe plura me tibi debere velle, qvam exiguum hoc officium. De meis recipe vile aliqvid, et parum elaboratum. Neqve enim aliam nunc grati animi ſignificationem dare poſſum, et placere tibi, ſcio, ſaltem dantis animum. Ad Rhenum conſilia Gallica valde conturbata ſunt, commotis omnium animis, qvod Gallus, nulla data cauſa, armis infeſtarit Palatinum. Mari, diſceſſione Angli facta, nihil auſurus eſt: terra diſtractus coniunctis minor erit. Occupatas Belgii Foederati urbes deſtituit ipſe, et veretur, ut defenſioni ſuae ſufficiat. Ego ſane iſto rerum ſtatu, ac temporibus difficilimis, multis coniecturis adductus credo, brevi pacem inſtauratum iri. Nam neqve hanc aeqvis conditionibus abnuent Batavi, et vehementer poſtulant. Svedi, tam dici non poteſt, qvam difficultates pecuniariae ſint apud Belgas Hiſpanosqve. Sed tu, qvaeſo, perge mihi ſervare veterem benevolentiam, et perſvaſum de me habe, fore tui amplisſimi nominis ſtudioſiſſimum. d. XXVII. Mart. cIↄ Iↄc LXXIV.

CXXIX.

CXXIX.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

RVmoris auctor mihi fuit Laurentius Rennhuberus, qvi affirmavit, ſe, Pragam tranſeuntem, ex qvodam religioſo Pragae intellexiſſe, Heinſium ibi ignotum velle commorari. Bis, fateor, ſcripſi Viennam eam ob cauſam, et qvanqvam bis reſponſum tuli, tamen de iſto Heinſiano inſtituto nihil ſciſcitari potui. Illud etiam auxit credulitatem meam, qvod ille ipſe Rennhuberus Heinſium, dum Moſcoviae Ruthenorum legationem obiit, vidiſſet, atqve inſuper eo indicio confirmaſſet, non eſſe errorem nominis, qvem ſubverebar. Addebantur qvaedam adiuncta, et prope ſingularia, qvibus non plane nihil tribuebam: et tametſi auctori narrationis diffidebam, tamen cupiebam ſaltem huius rei famam ad te pervenire. Alioqvin haud neſcio, Domine, id omne, de qvo ego ambigo, tibi longe exploratiſſimum eſſe, ac mihi ſufficere, ut ſtudium meum, officiumqve perſpicias. Sed ex morbo tuo magnum dolorem accepi, et prope me perculit iſte nuncius, qvi de adverſa tua valetudine venit, optoqve, ut qvamprimum recipias omnes priſtinas vires, et, qvicqvid proſperum, ac fortunatum eſt, firmo corpore ac tranqvillo animo, praeſertim hac affecta aetate, conſeqvaris. Nam ſane tua ſalus ad ſalutem noſtrarum literarum pertinet, nec ſcio an qviſqvam ſit, praeter te, qvi ea aggreſſus ſit, qvae tu perfeciſti. Qvanqvam enim non ignoro divinam modeſtiam

tuam : tamen pace tua dicam , tantam ineſſe in epiſtolis tuis ſuavitatem , ut, qvi docendo vitam agunt, tibi libentiſſime concedant. Ego ipſe, Henrice illuſtriſſime, a te exempla cepi, et qvotidie meo animo tuas nativas, et ſponte venientes elegantias propono. Seqvi volo, aemulari non poſſum. Tantum precor, ut bene valeas, Domine. d. III. Apr. clɔ Iɔc LXXIV.

CXXX.
TOBIAE PEVCERO.

NOn neſcis, Peucere optime, occupationes meas, qvae efficiunt, ut tardius reſcribam. De inſtituto Prudentiae civilis, facile credo, te memoria tenere, qvae dixi praeſens. Nam et ſcriptores, et delectum una opera tibi ſuppeditabam. In Scholaſticis illis, qvae *Metaphyſica* vocantur, ſufficit tum perſpicuitatis, tum exemplorum ratione, certus Auctor. Nam captiones vulpecularum te non decent, nec dignae ſunt, ut iis diſtrahas generoſum adoleſcentem. Si tamen a Philoſophia, qvae in contemplando ſita eſt, incipias, et communes cum aliis diſciplinis notiones ante doceas, non peccabis. Inprimis elabora, ut hiſtoriam civilem, prudentiae matrem, omni diligentia addiſcat diſcipulus: tum ad Grotii doctrinas, *diplomatumqve* notitiam excolatur. Qvod de Friderico III. alii IV. efferunt, ad me curaviſti, nihil habet ex vero, et prorſus id a XII. ſeculi ingenio abhorret, qvod mecum communicaſti. Sed ego duo abs te peto, primo, ut de novis aliqvid perſcribas; deinde ut de Nicolao

colao Heinſio, qvi Pragam diſceſſiſſe dicitur non rediturus ad ſuos, me certum facias. Nos hic Caeſaris arma felicia fore, ſperamus omnes in tanta Principum *Proteſtantium* cum Caeſare conſenſione. Gvilelmus F. a te coram, opinor, nunc videtur exemplum mutatae fortunae. Vngariae ſtatum ingemiſco. Vale. Non. April. cIɔ Iɔc LXXIV.

CXXXI.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

VTrum probanda ſit ea docendi ratio, qvae morem Mathematicorum imitatur, praeſertim in ea Philoſophiae parte, qvae mores ſpectat, fecit exemplo ſuo Thomas Hobbeſius, vir in recondita hac, ſubtiliqve ſcientia apprime verſatus, ut reqvirerent harum rerum periti. Ego, qvanqvam adeo neminem puto eſſe ſine mente, et ſenſu, ut non aliqvid Hobbeſio tribuat: tamen omne eius inſtitutum mihi non placet. Scio alioqvin, Samuelem Pufendorfium plurima ex eius fontibus derivaſſe, et, diſpari ductu licet, illuc qvoqve Grotii rivulos deduxiſſe. Nam, ſi interdum acutius forſan videat Hobbeſius, tamen conceptiones ſunt, et contemplationi magis, qvam uſui inſerviunt: proboqve conſilium Conringii, diſſvadentis nimiam Hobbeſii admirationem, ac multum praeponentis Grotii doctrinas, qvae non magis ad Philoſophiam, qvam ad omnes bonas literas, et qvodlibet ius erudiunt. Tum eo magis mihi in deliciis ſunt, qvod tuo qvoqve iudicio ceteris

teris praeferuntur. Ita te Deus ſoſpitet, et vires, valetudinemqve firmet! d. X. Apr. cIↄ Iↄc LXXIV.

CXXXII.
ERNESTO GOCKELIO,
IC. VLM.

FOrſan reprehendes negligentiam meam, qvod, qvae me volebas, nondum curavi. Sed exiſtimare debes, me, qvantamcunqve etiam in conqvirendo operam poſui, nondum omnia, nedum ea, qvae te oblectare poſſint, praeſertim a iurisconſultorum Ordine emiſſa, conqvirere potuiſſe. Idcirco magnopere te oro, nunc accipias epiſtolam de rebus Belgicis, teſtificandi amoris mei cauſa M. Bittelmaiero, Lindavienſi, traditam, ut tibi dono daret. Ex Belgio affertur, Galli fortunam eſſe commutatam, et Foederatos cum Condaeo pugnam cruentiſſimam commiſiſſe, ac victoriae momentum fuiſſe penes Caeſaris militem. Noſtri Principes, Saxo, Brandenburgicus, et Gvelfi, amiciſſimi invicem ſunt, non paſſuri, ut Erfurtum, qvod hypothecae nomine Gallo, ob impenſas, in ſuperiorem obſidionem factas, obligatum eſt, a praeſidio Gallico inſideatur. Heidelbergici fides, et conſtantia Viennae celebratur admodum, Bavaro veterum beneficiorum prope oblito. Liberationis Guilelmi nondum ſpes affulget, et verentur prudentes, ne idem ei, qvod coniuratis Vngaris, qvippe qvos inflammavit, eveniat. Fama hic eſt, Bournevillianas copias, ſi ſubſidiis auctae fue-

fuerint, Philippiburgum occupaturas. Nam aut nunqvam ſecurus erit Palatinatus, aut Philippiburgo deducendum erit praeſidium Gallicum. Id ut fiat, opto, et tibi precor, ut agas feliciter. Eid. April. cIↄ Iↄc LXXIV.

CXXXIII.

SAMVELI HVNDIO,

IC. DRESD.

ANglus haud dubie in fide foederis perſeverabit; nec eſt, qvod Batavi hinc metuant. Monaſterienſis Antiſtes Caeſari reconciliatus eſt, illo ipſo felix, qvod Rabenhaupti aliqvot cohortes paulo ante delevit. De Svedis certum eſt nolle ſe immiſcere: Brandenburgicus, et Luneburgicus terrere apparatu ſuo malunt, qvam deſcendere in campum, Caeſari tamen fidem ſervaturi. De Guilelmo nemo nunc amplius dubitat, in iudicium capitis vocatum iri. Nam, praeterqvam qvod Colonienſem incendit ad factionem Gallicam, alia qvoqve beneficiario, ac cliente Caeſaris indigna, admiſit. Qvin et Bavarum impuliſſe ad res novas creditur: nec levis ſuſpicio eſt turbida Vngarorum conſilia foviſſe: demum talia patraſſe, qvae oſtenderent nominis Germanici perpetuum hoſtem. Regia Monacenſis, qvae cum ſplendidiſſimis Europae certare poterat, nono, eodemqve fatali die, arſit, et maiorem partem conflagravit, foedo Bavari, ſi Gallo ſtudeat, omine; culpa autem alicuius puellae ex Gynaeceo Henriettae Adelheidae, forſan,

ſan, ut iuſto Dei iudicio monitum hoc Gallici cultus, et odii Germanorum eſſet. Ceterum, qvod de Carlſtroemio ante hunc diem ſcripſi, error eſt. Vnus eorum *Baro* eſt, alter Antiſtitis Svediae filius. Illius proſapia a Guſtavo Adolpho evecta eſt, magno Procerum favore, atqve ſuis opibus innixa. d. XXIII. April. cIↃ IↃc LXXIV.

CXXXIV.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

Nicolaus Heinſius, Danielis filius, adhuc in Belgio ſalvus eſt, et ingenio floret, ac facultate pangendi carminis facile aeqvales ſuos vincit. Accepi fragmentum Petronii Tragurianum, multo emendatius, atqve antehac, editum. Ab illo autem viro omnes imitandi exemplum petant, et dignum aliqvid Romano lepore fingant. Vulgus enim Poetarum temere has partes capeſſit, nec habet, qvo glorietur. Carlſtroemii Thulen, vellem, legiſſes. Cui ſi de eodem argumento adiungeres Iſaaci Pontani, et Arngrimi Ionae Islandi eruditas diſceptationes, non parum curioſitatem tuam exaturares. Colonienſis cum Caeſare in gratiam rediit, exemplum Monaſterienſis ſecutus: ſane opportune ſibi, pernicioſe Gallis, qvorum inſolentia tandem aliqvando caſtigatur. Kal. Mai. cIↃ IↃc LXXIV.

CXXXV.

CXXXV.
IO. VIETORI.

Doleo vicem tuam, qvod chariſſimae uxoris iacturam feciſti; et laetor, qvod Bataviam, tanqvam curarum tuarum portum, tenes. De me autem rogo te, ſerves veteris patrocinii famam, et illuſtriſſimo *Comiti*, meo nomine, hanc diſſertationem offeras, et, ut tu potes, optime commendes, ex qva de pietate mea cognoſcet. Galli hic nobis admodum minantur: Svedorum priſtinae obteſtationes refrixerunt: nos fide obnoxii iuſtum bellum gerimus, ac miramur, Leopoldum, potentiae Caroli V. aemulum, et precamur illi in poſterum hanc piam, moderatamqve mentem. d. IX. Mai. cIɔ Iɔc LXXIV.

CXXXVI.
CHRISTIANO NIFANIO.

Tantundem tibi gratulor, qvantum tu mihi: ego ſane praeceptori veteri diſcipulus, idemqve ſtudioſiſſimus dignitatis tuae. De Schatenio indocto pariter, et imprudenti homine miror, qvod tam audax ſit, et usqve eo proiectae frontis, ut ſine ratione neget, qvae tu praeclare affirmaſti. Scio, nec tu id ignoras, facile ἀντιστοργηνσίας coargui poſſe, et convinci. Itaqve cape animum, et ini certamen, et diſſipa cohortes ineptiſſimarum rationum. Erit penes te victoria, dedecus apud Schatenium et propter veritatem turpis fuga. Vale. Eidib. Mai. cIɔ Iɔc LXXIV.

CXXXVII.

CXXXVII.
N. N.

CVra has commentationes ad Proceres, atqve Patres Vrbis veſtrae perferendas. Additus eſt index, ut ſcias, ad qvos pertineant. In Burgundiae *Comitatu* libero, et Belgio Hiſpanico, Gallus pleraqve caſtra occupavit: nec multum obſiſtunt huc usqve Hiſpani. Caeſaris Tribuni Capraram non valde laudant. Batavi ſatis habent bellum tranſtuliſſe in alienum ſolum, qvanqvam ſine Hiſpanis bellum non finient. Auſtrios valde pungit, qvod Poloni amicum Galli elegerunt. Inde Vngari bene ſperant, et turbidum optant, ſociis Turcis, inita pace cum Polonis, qvam ominantur auctore Gremovillio. Vale. d. XVII. Mai. cIↃ IↃcLXXIV.

CXXXIIX.
N. IACOBI,
IVNIORI.

QVod eum praeceptorem nactus es, qvem tecum optavi dudum, gaudio afficior, et ſpem de ſtudiis tuis concipio, fore, ut evadas vir iuris conſultiſſimus. De Lauterbachio qvod ſcribis, ita verum eſt, ut univerſa Germania confiteatur, omnibus, qvi hodieqve ſuperſunt, praeferendum eſſe. Frommanni diligentia etiam valde celebratur, et hic pariter, ac Dresdae innoteſcit. Amicus notus Argentoratum diſcedet, qvanqvam ego maluiſſem,

eum

eum ad vos commeare. De tabulis, atqve codicibus veſtrae Academiae qvod me ſcire voluiſti, valde me delectat. Neqve ignoro iſta acta: tibi autem ſvaſor ſum, ut pleraqve colligas ſelectiora *chronica*, et ad me perferenda cures. Faciam ut tibi qvam rectiſſime ſatisfiat. Qvod adj pugnam cum Gallis commiſſam ſpectat, coarguitur praecipitati conſilii Caprara, qvod numerum Tureniani militis non exploraſſet ſatis. Multo vero maius damnum attulit rebus Auſtriacis electio Sobieſcii, qvam haec clades. Sed ea ſecreta ſunt, neqve per epiſtolam explicare auſim. Tu vale, et ſucciſivis horis ſtudia, qvae duce me coepiſti, haud intermitte. Nam et ea inſtrumenta ſunt laudis, et ornamenta qvoqve iuriſconſultorum. d. XX. Mai. cIↄIↄc LXXIV.

CXXXIX.
TOBIAE PEVCERO.

Recte mecum agis, et curas probe, qvae volo, et ſimul me tibi alias propenſum magis obligas. Acta, et formulae multum me oblectarunt, et cauſae iſtius, atqve diſceptationis, de qva ubiqve multus ſermo eſt, accuratam notitiam praebent, immo fontes, et capita ſunt, unde cetera deducuntur. Iam enim mihi conſtat, Guilelmum auctorem eſſe motuum, et fidem Caeſari fregiſſe, ut Domino beneficiario, ac territorii, praeterea ductorem copiarum Gallicarum fuiſſe, et cum Caeſaris hoſtibus conſpiraſſe. Nec literae ſecuri commeatus prodeſſe ipſi potuerunt, qvod in ſolo Im-

periali peſſima qvaeqve machinatus, atqve auſus fuiſſet. Ceſſerunt tandem his rationibus Tottius, et Sparius, ac de iis ad Regem ſuum retulerunt. Interim tibi gratulor, qvod eo loco ſis, ubi et incrementa capis qvotidie, et gaudeo, qvod mei una fideliter recorderis: demum opto, ut tibi amoris mei ſignificationem qvamprimum dare poſſim. Meae res, ut olim, ita etiamnum ſunt, et plura de me referet F. qvi ad vos commeabit, et praeſens tibi mea ſtudia nunciabit. Fratris tui Cento mihi non placet. Nam, qvantum ibi induſtriae, tantum periculi apparet, d. XXI. Mai. clↄ Iↄc LXXIV.

CXL.

ADAMO CHRISTOPH. IACOBI, IC. Dresd.

CVm omnes ſpes tenet reſtituendae pacis, tum illud vero dolore nos afficit, qvod Caprara, non ſatis explorato copiarum Tureniarum numero, pugnam conſeruerit, et haud ſcio, qvid fuerit, qvod diſſvaſerit in ſenatu bellico, et cenſebant alii exſpectanda eſſe Ducis Bournevillii auxilia. Multi ſuſpicantur: plurimi imprudentiam viri, ac nimiam credulitatem accuſant. Interim vaſtatur opima regio Palatini, et ferro, igniqve ſaevitur a male ſana Gallorum mente. Illud autem ad laudem Saxonicae fortitudinis pertinet, qvod cohortes Principis noſtri fortisſime dimicarunt, ut Turenius dixerit, talem ſe optare militem in juſtum ex-

exercitum deſcriptum d. XXV. Mai. cIↄ Iↄc LXXIV.

CXLI.

EIDEM.

VAlde Palatini curam intendunt Galli. Reſiſtunt qvidem Caeſareani, et paulo tamen diffidunt ſibi. Hiſpani, qvorum lenta ſunt conſilia, ita ſe defendunt, ut nihil, niſi certo hoſtis exitio, agere videantur. Interim Batavi recipiunt vires, ac ſub tutela Auriaci nominis refoventur. Securitas ad ipſos, ad Germanos periculum pervenit. Neqve tamen dubitaverim, Gallum, auctis qvotidie hoſtibus, et tam concordi Germanorum ſententia, faciliorem, qvam antehac, futurum, et pacem, modo aeqva offeratur, haud aſpernaturum, praeſertim eo tempore, qvo omnia maritima Gallorum commercia conqvieſcunt, ac omnis eorum navalis militia praeſentisſimum adiit diſcrimen. d. XXVII. Mai. cIↄ Iↄc LXXIV.

CXLII.

EIDEM.

REgnum Hieroſolymitanum, qvod nullo iure, et multo Chriſtiani ſangvinis impendio qvaeſitum eſt, anno cIↄ C LXXXVII. eſt amiſſum, et qvod ad Pontificis infamiam, ac Procerum Chriſtianorum probrum pertinet, a Saladino eſt occupatum. Ita vero et tot ſumptibus, et itineribus, et tot cladibus una dies finem, et rebus Chriſtianorum in oriente exitium attulit, dignum, qvod defleat

ſleat poſteritas, exemplum, qvippe tot gentium, nationumqve foedam ſtragem. Nam Saladinus, Saracenorum Princeps, gloriam, ac praedas ad veterem dignitatem adiecit: Chriſtiani autem, ut in ſuam qvisqve gentem deſcripti erant, omnis ſuae dignitatis, honoris, atqve Regni ipſiusmet, iam olim parti, iacturam fecerunt. Kalend. Iun. cIↄ Iↄc LXXIV.

CXLIII.

N. N.

Mitto literas, qvas deſideraſti, ac te hortor, ut pie, circumſpecteqve incipias omnia, et finias. Errabis, ſi praeceps fueris, et inepties, ſi credulus. De mea tamen amicitia nunqvam dubitabis, et ſenties, nihil me antiqvius habere velle, qvam, ut tibi officioſum praeſtare me poſſim. Illud vero qvaeſo te, uti mei honeſte memineris, ac demum talem te praeſtes, ut magno iam natu patrem, et fratres, ſororesqve tuas reſpicias, qvi in te ſpem, et perfugium qvaerunt. Hoc animo tuo propone, hoc age, et nunqvam peccabis. Non. Iun. cIↄ Iↄc LXXIV.

CXLIV.

AMICO CVIDAM.

EX Paulo Diacono, Adelmo, conſtat, aliam fuiſſe Karolingorum progeniem, atqve Merovingorum. Aſſentiuntur omnes medii aevi ſcriptores, et hoc ſatis eſt refutaſſe Micraelium, ſaepe alias hiſtoriae, temporumqve rationes turbantem, etiam in ipſa hiſtoria domeſtica Pomeranorum. Cha-

Charaďteres qvoqve ſuppetunt civiles, qvod non iure ſucceſſionis, ſed violentae exauctorationis titulo, deiecta legitima ſtirpe, pervenerit ad Franciae Regnum Pipinus. Vide Annales Francicos: cetera praeſens exponam. d. VI. Iun. clↄ Iↄc LXXIV.

CXLV.
HENRICO, L. B. A FRISEN.

VTrum Philippus, Friderici Aenobarbi filius, et Henrici VI. frater, legitimum, et iure valiturum imperium geſſerit, inter ſcriptores, qvi de iure *devolutionis* litigant, magna controverſia fuit. Ego accedam Petro Stockmanno, in ſenatu Brabantiae Conſiliario, qvi affirmat, ut probet, *diploma*, quod Philippus Brabantiae Ducibus conceſſit, minime irritum eſſe: ſiqvidem primo ſuffragiis vicit; deinde, reſpectu generis, propiorem gradum habuit. Nec enim, nihil ratio ſangvinis, atqve neceſſitudinum valuit, ſi maxime ſucceſſio hereditaria deſiit in Henrico V. Nam, qvae de auctoritate Pontificis afferunt qvidam, vana ſunt, ac pertinent ad Baronii commenta. Vnum vero addo, qvod ſapientes ſperant, qvamprimum fore pacem, non difficili Gallo, hoc ſtatu rerum, niſi Hiſpanus, et Lotharingus turbidum praeoptent. d. IX. Iun. clↄ Iↄc LXXIV.

CXLVI.
EIDEM.

REgnum Arelatenſe, qvod et Burgundiae dicitur, firmo, ac pervetuſto iure pertinuit

ad Germanos: a nemine, qvod ſciam, prius, atqve a Rudolpho Habsburgico pro derelicto habitum eſt. Ad cuius rei veritatem locuples mihi auctor eſt *Monachus* Colmarienſis. Tametſi enim ſub pacto reddendi traditum eſt Gallorum Regi: tamen non vindicavit Rudolphus, aliis bellis, moleſtiisqve diſtractus, praeſertim iſto ſeculo, qvod praeter longum interregnum arma civilia foedaverat. Conſtat qvidem, et ad aſſerendum Domini animum id ſatis eſt, repetere voluiſſe Adolphum Naſſovium: ſed is, viribus impar, mox ab Alberto Rudolphi I. filio, aemulo, impeditus, ab incepto deſtitit, teſte horum actorum *Monacho* Colmarienſe, XIV. ſeculi ſcriptore, et, qvia has vias, atqve rationes percalluit, impenſe laudando. Huc uſqve negligentia argui debuit: nunc prodigalitas reprehendenda eſt Caroli IV. qvi multis modis Imperii patrimonium effudit, atqve diſſipavit, nulla re utilis, niſi qvod legem condidit, *Auream* Bullam. Nec immerito in eum invehitur Io. Aventinus, et, proditam ab eo Imperii Maieſtatem, ſcribit. De hodiernis Galliae rebus tu ipſe ſcis, Domine, inter lenta Foederatorum conſilia capere incrementa, haud dubie etiam motus Vngaricos, ſi Turcas inter, Polonosqve pax coaluerit, maiorem auxilii partem averſuros. Nam ita nunc deſperati ſunt Vngari, ut nec pacem oblatam accipiant, et dare ſe Turcis in clientelam velint. Culpa in neminem, praeterqvam Epiſcopos, transferenda eſt. Mirantur ſapientes, fidelem Lobkowitzii, Schwartzenbergii Hockeriqve induſtriam

non

non potuiſſe mederi; nedum refrenare impetus Praeſulum Strigonienſis, Colacienſis, et Neoſtadienſis, qvi fervida inqviſitione, cenſuraqve totam nunc Vngariam in praeſentiſſimum diſcrimen adduxerunt. d. XVII. Iun. clↄ Iↄc LXXIV.

CXLVII.

CAROLO, L. B. A FRISEN.

IAm aliqvot hebdomades ſunt, qvod nihil ad te ſcripſi: et ſaepe mihi ipſi ideo ſuccenſui, veritus commutationem voluntatis tuae: qvanqvam fiducia patrocinii tui me erigit. Et cupio, exiſtimes, nulla officii intermiſſione, neqve negligentia id eſſe factum. Cumqve nunc non alia pietatis meae ſignificatio extet, qvam impolita haec commentatio de rebus Belgicis, qvaeſo, eam accipias perclementer, et ad meum obſeqvium pertinere cenſeas. Mihi enim ſatis eſt, ſi liceat eſſe tuo clienti. d. XXII. Iun. clↄ Iↄc LXXIV.

CXLIIX.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

EX qvo Ioannes Sobieſcius Rex Poloniae creatus eſt, dici non poteſt, qvantum immutata fuerint Auſtriorum conſilia, qvae eo pertinebant, ut, ſi Lotharingus ad eam dignitatem evectus fuiſſet, haud dubie Gallo duriores leges praeſcriberentur. Nunc vero, cum iſta ſpes praeciſa fuerit, inibunt rationes paulo moderatiores. Optandum vero eſſet anniti Caeſarem pro Imperii dignitate, et recuperando Regno Arelatenſi, qvod mala fide ad

ad hunc uſqve diem poſſident Galli, ut qvi ſciant, ſolum Imperatorem non eſſe eo loco, ut ſine Imperii aſſenſu partes Imperii abalienare poſſit. Tum vero *Comitatus* liber Burgundicus reddendus eſt Hiſpanis, cum propter Mediolanenſis Ducatus, tum ipſorummet Helvetiorum ſecuritatem: qvanqvam Salins, et caſtellum Andreanum, adhuc impetum regiarum copiarum ſuſtineant, et Helvetii tandem excitentur. Illud autem ad Germanos pertinet, ut Rhenum tranſeant, et repetant ditiones veteres, et Gallos adigant ad dedendum Philippiburgum: qvod ſi retineant Galli, Palatini regio, et qvicqvid adiacet, nunqvam ſine ſummo periculo erit. Brandenburgici apparatus militares a Gallo, (qvi in ruinam Germaniae, immo orbis dimicare velle videtur) et Svedis pariter obſervantur, qvi ut imperio bene vertant, Numen eſt orandum. Francofurto accepi, Dunevaldium tribus horis fere cum ſuis ſuſtinuiſſe Gallos, et diu victoriam ancipitem reddidiſſe. Qvin et fama ad Svevos, uti ſcriptum eſt mihi, permanavit, Turenium ſauciatum fuiſſe. Sed Svevica comitia *circularia*, ut vocantur, minus proſpera ſunt usqve huc: Rhenana contra, et Francica meliores exitus habent. Cetera excedunt forte captum meum, et tuo unius iudicio a me permittuntur. d. IV. Iul. cIↄ Iↄc LXXIV.

CXLIX.

EIDEM.

DE rebus ad Rhenum venit ſiniſter nuncius, qvandoqvidem noſtri cis Moenum recipere ſe

ſe neceſſe habuerunt. Brandenburgica auxilia expectantur, qvanqvam nondum hae copiae ſe movent verſus Albim. Luneburgici qvoqve certiſſimam ſpem faciunt ferendae opis. Souchianae legiones, cauto ubiqve Condaeo, nihil agunt, atqve moliuntur. Interim Turenio omnia fere patent in Germania prima. Qvanqvam et iſti Vlyſſi tandem Hercules Germanicus intorqvebit clavam. Interea te DEVS ſoſpitet, Domine, et privatim, publiceqve tua conſilia fortunet! d. VI. Iul. clↄ Iↄc LXXIV.

CL.
IO. CONRADO DIETERICHIO,
P. P. Giess.

QVod tam ſero ad te ſcribam, fecerunt occupationes, non magnae qvidem, ſed variae tamen, et animum ad meliora ſtudia avertentes. Nunc vero tandem vindico me mihi, et, cum ſciam, qvid tibi debeam, grati hominis officium praeſto, ac diſſertationes nuper editas offero, exhibeoqve. Qvas ut recipias, oro te, et ut res meas curae, cordiqve eſſe tibi ſinas, obſecro, deqve me tibi perſvadeas, omni ſtudio operam daturum, ut gratum diſcipulum abs te dimiſiſſe videaris. Ita te DEVS literarum nitori, mihiqve ſervet. Eid. Iul. clↄ Iↄc LXXIV.

CLI.
HENRICO, L. B. a FRISEN.

CVm in rebus Saxonicis verſor, ſaepe mirari in mentem venit, cur Aſcanii, cum Duces

Saxoniae eſſent, nunqvam uſi fuerint titulo Palatinorum Saxoniae. Id ſane dubitatione vacat, Marchiones Miſniae eo honore impertitos Caeſarum beneficio fuiſſe, et qvoqve hunc titulum ſumpſiſſe, haud dubio indicio veteris in Saxoniam iuris, et, ſi Aſcanii decesſiſſent, ſibi repetendi: qvod tunc demum accidit, cum vivis exemptus eſt Albertus III. ex gente Aſcania Septemvir. In qvo argumento qvantum poſitum ſit, praeſertim ob controverſiam cum Lauenburgicis, ſuperioribus annis ſopitam, cum reciperentur in pacti *ſucceſſorii* ſocietatem, omnes exploratum habent, qvanqvam hiſtorici id valde negligenter tractarunt. De publicis mihi qvidam narravit ex Belgio redux Svevus, Auriaci res, actaqve omnia nunc Auſtriis, nec immerito ſuſpecta eſſe: Anglum niti pro utilitate Galli, et his conſiliis conſeqvi, ut hoſtibus animi creſcant. Recipit tamen ſe Turenius, ne omnes Principes offendat, nec dici poteſt, qvam vehementer Verio exprobrata ſit oppugnatio iſta Tureniana, qvanqvam et neſcio, qvid muſſent vulgo de immutato erga nos animo Brandenburgici, de qvo tamen pleraeqve literae omnia optima nunciant, et collaudatam erga Caeſarem fidem. Moguntinus autem valde exoſus eſt, propterea qvod ſtudet neutri parti, et officia recuſat, qvae Principem amicum decent: tametſi metus direptionis illi legem ponat, et multi ſint Principes, qvi nec Gallum, nec Caeſarem optant hoſtem, et medios partibus ſe praeſtare volunt. d. XXV. Iul. cIↄ Iↄc LXXIV.

CLII.

CLII.
N. HEIDERO.
IC. LINDAV.

CVm, pro ſtudio meo erga Heiderianum nomen, ſaepe Patris tui meminiſſem, praeſente M. Bittelmaiero, tum iudicium, atqve induſtriam eius praedicavi plurimum, et, qvemadmodum rem, cauſamqve Reipublicae veſtrae defenderit, expoſui, ut facile intelligeret, qvo erga te animo eſſem. Itaqve me adduxit, ut ſe tibi commendarem, qvod cum tua, tum ipſius cauſa defugere non potui. Nam et benevolentia, et amor tuus erga bonas literas in Saxonia noſtra celebrantur, et vel id ad laudem tibi ſatis eſt, qvod Reſpublica Lindavienſis, in te patrem ſibi redditum eſſe, gratulatur. Non ſinit modeſtia tua, ut, qvae de te ſentimus, et loqvimur praeclare, ea omnia nunc ſcribam: id vero conſtat, Patri tuo, atqve tibi Lindaviam debere, qvod in rebus humanis cariſſimum habet. Qvae laus qvanta ſit, exteri qvoqve intelligunt, et omnibus bonis, qvi ſalutem veſtrae Reipublicae amant, magnae voluptati eſt, ac fiduciam petendi facit, ut eximio iuveni M. Bittelmaiero, civi tuo probo, atqve induſtria mihi cognito, ſubvenias, ſiqvidem is, tua unius auctoritate hoc aſſeqvi ſe poſſe, confidit, ac per me interpretem orat, ut et ſalutem ſtudiorum ſuorum, et fortunas tibi curae eſſe velis. Ita te DEVS, et Remp. inclutam ſervet. d. XXVII. Iul. cIↃ IↃↃ LXXIV.

CLIII.

CLIII.
HENRICO, L. B. A FRISEN.

BRandenburgici veniunt in tempore, et, cum in Flandriam deſtinati eſſent, proficiſcuntur ad Rhenum. Doerflingius, vir obſcuro fere loco natus, ſed animo magnus, corriget vitia ſuperioris expeditionis, et valeſcet adverſus Gallos. Ipſe Septemvir aderit, et veniet in curarum partem, ſibi omnia, et Doerflingio permiſſurus, et Heidelbergicum imitaturus, qvi, dum primores ſuos conſulit, iam providit, qvod ex ſuo uſu eſt. Gvelfi, qvi proxime Heimburgium ad vos dimiſerunt, animum Caeſari fidum ſervant, et non verba, ſed conſilia afferunt, ulturi noſtros, qvi nuper in Palatinatu ceciderunt. Ita tandem inter multorum pericula annorum anxii liberabimur, et Monarchia, qvae dicitur, univerſalis, amiſſo aculeo, torpebit. Rex tamen ſibi indulget Gallus: inſolens eſt: iactat: minatur. Tottius negotio reſtituendae pacis immortuus eſt. Svedi ſero aeſtimant ſecretam offenſam. Heimburgius Legatus Gvelferbytanus in primis invectus eſt Dresdae in eos, qvi pecunia a Gallo corrupti eſſent hactenus. Brandenburgicus omnia belli arcana ſibi, et Dörflingio ſervat. Palatinus ſingulari fide, qvam Caeſari approbat, memorabilis eſt, cum duo tantum caſtra habeat, Franckenthalium, et Manhemium, Princeps prudens, et conſiliorum belli intelligens, et qvi bello tricennali cohortium ductor fuit. d. XXXI. Qvinctil. cIↄ Iↄc LXXIV.

CLIV.

CLIV.
RAPHAELI ERICO,
I. V. D.

VT ad te ſcribam, fecit affinis tui Ioannis Berongii, diſceſſus. Is cum hic eſſet, mihi erat amiciſſimus, et libris, ſchedisqve meis libere utebatur, eo qvidem conſilio, ut omnia bonae eruditionis inſtrumenta ſibi compararet. Poſtqvam autem ſenſi, commutaſſe ſtudiorum rationes, et animum applicare voluiſſe ad iuris prudentiam, nec ſvaſi, nec diſſvaſi, contentus docuiſſe eas artes, qvae in omni vitae ordine ipſi inſervirent. His inſtructus dicebat, non ſibi eſſe hic manendi cauſam: placere ſibi Francofurtum: nihil autem ſine tuo, et matris conſilio facturum eſſe. Itaqve ſuſcepit iter, et, cum omnes arbitrarentur, primo qvoqve tempore elaboraturum, ut aes alienum, qvod contraxerat, diſſolvatur, poſtea cognitum eſt, nihil tale eſſe factum. Qvanqvam autem ego de fide eius, qvae multis modis mihi perſpecta eſt, non dubito: tamen abs te peto, ut, qvia hac in re honos, atqve exiſtimatio ipſius verſatur, auctoritate, hortatuqve tuo efficias, qvo nomina, qvae in tabella vides, redimantur. Ego ſane omni ſtudio eum complexus ſum, et uſu, officiis, ac conſvetudine coniunctiſſimum habui, et, qvam potui, optime conſului, meoqve munere ſum perfunctus. Ex qva cauſa mihi debet XXX. thaleros, de qvibus eo minus ambigo, qvod ſciam, impenſas in victum, atqve inſtitutionis operas omnibus rebus

rebus reliqvis praeferri oportere. Qvod pro mea erga te obſervantia, et amore erga affinem, neſcire te nolui. Non. Sextil. cIↄ Iↄc LXXIV.

CLV.

CHRIST. G. CENTGRAFIO.

NOn diſplicet mihi inſtitutum, de qvo ſcribis, et opto, ut id qvam facilime conſeqvaris: velim autem id cum cura facias, ſiqvidem in eo et honor tuus, et dignitas Procerum, ad qvos pertinet iſte labor, poſita eſt. Indiges enim magno apparatu *chronicorum*, et libris variis, qvibus origines gentilitiae continentur. Dubito vero admodum, an qvis apud vos futurus ſit, qvi eorum qvidem omnium copiam facere tibi poſſit. Meo conſilio, niſi praeſens fueris, uti non potes, cum et inſpicere identidem, qvae tractas, et conſiderare oporteat, qvae in eo genere commenteris. Praecipue in hanc cogitationem tibi incumbendum eſt, ut terſe ſcribas, et fucos illos, ac pigmenta dictionum omittas, legasqve non alios ſcriptores, qvam Romanos, ut formam latini ſermonis opus illud habeat. Ita te DEVS ſervet. Ego nunqvam deſinam eſſe tuus. d. XI. Aug. cIↄ Iↄc LXXIV.

CLVI.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

AFfertur Berolino nuncius, a Foederatis praelium ad omnem poſteritatem memorabile commiſſum fuiſſe, et Condaeum noſtris cruentam,

Bata-

Batavis etiam luctuoſam victoriam reliqviſſe. Valde ea fama erexit Brandenburgicum, ut maturandi ſui conſilii rationem inire videatur: qvanqvam ipſe in Cliviam profecturus dicitur, cura belli Doerflingio delegata. Turenius, poſtqvam de nova hac expeditione audivit, affirmavit, ut Galli ſolent inſolentes, ſe, ſi veniret, Doerflingio artem commonſtraturum, qva inſtitui, atqve erudiri poſſit, perinde ac ſi non militem, ſed ſartorem aeſtimaſſet. Varius, ordinarius legatus, comiter dimiſſus eſt, vir apprime literatus, nec prudentiae nullius; legato tamen Hiſpanico ſuſpectus, qvod ſcenam hanc callide inſtruxiſſet, cum, incautius exiens, a circumſtrepente turba parum humaniter Berolini tractaretur. Sed praeter eius ſuſpicionis vanitatem, valde eum modeſtia, Gallis perrara virtus, nobilitavit, nec ſcio, an qvenqvam licentia magis foedarit, qvam Vaubrunnium, cum Berolini commoraretur, non modo ibi ab audacia, ſed etiam nuper in Palatinatu ab iniuria notus. Tottii *Comitis* mortem ipſe Galliae Rex graviter tulit, et Svedi dolent amiſſum, qvod ſubdubitant merito, an virum, peraeqve idoneum rebus gerendis, et conciliandae paci, reperire poſſint. Id profecto mihi dicere tibi, Domine, pro certo liceat, ſi vixiſſet Tottius, pacem multo celerius coituram fuiſſe. Ego nihil magis opto, qvam ut, hoc temporum ſtatu, et tranqvillitati, et honori Saxoniae noſtrae tuo ductu conſulatur: tum fauſtum, ac felix ſit, qvod paciſcendo agetur cum Brandenburgico: demum praeſidia Gallica Erfurto exturbentur, ne olim

olim Gallus actionem hypothecae armatam intendat Moguntino, qvod qvanto periculo Saxoniae futurum eſſet, vel ex impetu, in Palatinatum facto, diſcimus, et alias exploratum habemus, nunqvam Gallorum, et Germanorum fidam fuiſſe amicitiam. Interim te DEVS ſervet, Domine, a qvo praeſidium atqve opem noſtrae Muſae ſperant. d. XIV. Aug. cIↃ IↃc LXXIV.

CLVII.

N. IACOBI,

IVNIORI.

VErnerus Rolevincius, qvi in tua manu eſt, peto, ut mihi commodato detur. Qvod ut mihi abs te pollicear, induxit me Sigfridus, qvi multa de tuo in me animo confirmavit. Ego, qvicqvid tua cauſa iterum poſſum, omni ſtudio conabor. Mihi enim nunc conſtitutum eſt aliqvid evulgare de rebus Saxonicis, et varios conferre codices. Vale d. XV. Aug. cIↃ IↃc LXXIV.

CLIIX.

EIDEM.

SErvo librum tuum, et, ſi audaci eſſe licet, abs te peto, ut mecum alio libro permutes. De me ſponſor ero, te recepturum eſſe alia forma, et magis auctum qvoqve. Illud autem ne impudentiae, ſed neceſſitati tribuas, ſiqvidem non unum exemplar ſufficit: nec celare te poſſum, plura in eo ineſſe fabuloſa. Alioqvin valde probo tuum in

in me animum, et credo fore, ut ſtudia tua praemiis, qvae te decent, ornentur. Ita vale, et mihi tui honoris cupidiſſimo fave. d. XXI. Aug. clↄ Iↄc LXXIV.

CLIX.
ADAMO CHRISTOPH. IACOBI, IC. DRESD.

VEnit ad me hodie M. Balthaſar Kretſchmarus, et vehementer rogavit, ut ſe tibi commendarem, ac abs te contenderem, ut, pro conſtantiſſima voluntate, qvam eius patri declaraſti, viam ad ſacerdotium munire ne graveris. Qvod officium ipſi negare non potui; et qvanqvam ſat multa ſunt, qvae mihi, nondum ordinariam provinciam adepto, curae eſſe debeant: tamen inſerviendum eſſe duxi, qvod calamitas eius facit, et qvia intelligo, profectus non illaudabiles feciſſe. Itaqve, Patrone magne, hoc da precibus meis, et ut primum facultas tibi data fuerit, hominem probum, doctumqve auxilio orna. Dabit is operam, ut intra paucas hebdomadas praeſenti tibi ſtudium probet. Ego vero etiam atqve etiam peto, ne hanc audaciam meam reprehendas, ſiqvidem ita Kretſchmarus noſter ſperat, qvod mea commendatio plurimum ponderis apud te habeat, et, ſi qvisqvam, tu profecto ſis literarum, atqve dignitatis meae amplificator. Sed fatum mihi hanc neceſſitudinem tribuit, ut hoc tale officium civibus noſtris collocem. Dum enim ad te ſcribo, affer-

tur epiſtola a Chriſtiano Mochla, Haynenſi, qvi me omnibus modis obteſtatus eſt, ut mea opera tibi, atqve illuſtrisſimo Praeſidi commendetur. Itaqve conſule eius rationibus, et illuſtrisſimo Friſio renova memoriam factae a me ſuperiori anno commendationis. Nam afficit me miſeriae ſenſus, etſi mihi nulla inde utilitas oſtendatur. Etiam exteri me obtundunt huiusmodi flagitationibus, et vix aliqvis a nobis diſcedit, qvi non a me poſtulet commendationem, qvam libens tribuo, ſi doctrina mihi atqve boni mores cogniti ſunt. Ex Belgio cruenta Foederatorum victoria nunciata eſt: qvanqvam diſceptantium partium qvaelibet ſibi vendicat hanc laudem. Illud tamen exploratum eſt, Condaeum ſe recepiſſe, et ita DEI beneficio *Monarchiam*, qvae dicitur *univerſalis*, non impulſam modo, ſed plane everſam fuiſſe. Ita te DEVS ſervet Patrone, ſpem literis, et mihi. d. XXV. Aug. cIↄ Iↄc LXXIV.

CLX.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

DVo ſunt, qvae gratulari tibi debeo: alterum, qvod familiae inclutae dignitatem novo connubio Schleiniziano feliciter amplificaſti, alterum qvod de illuſtriſſimo filio, qvi Francofurti ad Viadrum ſtudiorum cauſa commoratur, magna eſt omnium expectatio. Vix enim inde ad me commeant iuvenes, qvi non eius meminerint: vix perferuntur literae, qvae non decus, atqve dignitatem collaudent, qvod, non poſſum, qvin

ex

exiſtimem, gaudio tibi fore, et vehementer placere egregios conatus, praeſertim in ea aetate, qva omnes eum obſervant, ac ſperant, Friſiam gentem ſplendore ſuo ornaturum eſſe. Affirmant alii, ſingulari qvadam contentione animi conficere ſtudiorum curſum, et mente ipſa, atqve voluntate ad iuris prudentiam moveri: nec privatim neqve publice otioſum eſſe: auſcultare aſſidue, et repetere gnaviter, ac demum in congreſſus, et colloqvia Profeſſorum venire. Nihil, fateor, maius a privato reqviri poteſt, et hoc omne tamen agit, atqve perficit cum laude tuus ille filius, in qvo te id conſeqvi opto, ut dicant poſteri, gloriam ex liberis tuae gentis peculiarem, et fere hereditariam eſſe. Dat hoc precibus noſtris DEVS, qvi nunqvam DEVM appellamus, nunqvam precamur, niſi Friſiorum ſalutem, felicitatemqve eidem votis, ac precibus commendemus. Qvae laus cum tua ſit, oro te, ut in poſterum meis qvoqve ſtudiis tutelam, ac patrocinium cum fratre illuſtrisſimo praeſtes, atqve auctoritate tua efficias, ut, ſive provinciam, qvae brevi vacabit, conſeqvar, ſive, mutatione facta, Grenio iterum Poetica, mihi vero hiſtorica Profesſio attribuatur. Vtrumqve tui arbitrii eſt, Domine. Mihi ſane benignitas tua ſpem facit, qva fretus opto, ut nulla tibi, neqve poſteris tuis felicitas deſit. d. XXVII. Aug. cIↄ Iↄc LXXIV.

CLXI.
EIDEM.

FOedus, qvod vulgo, neq; vere, Chamborticum vocant, Fridenvaldae, qvod ſitum in Haſſia inferiori opidum eſt, coaluit inter Henricum II. Galliae Regem, Mauritium, Albertum Marchionem, et Philippi Haſſi filium, Gvilelmum. De cuius iuſtitia nec dubitem temere, nec celare te velim, qvasdam exaratas manu chartas, neqve inelegantes, me fuiſſe conſecutum: in qvibus id maxime deprehendo memorabile, qvod, cum Principes conſilii capiendi cauſa conſediſſent, conclave repentino fulgore illuſtratum fuerit; inde fragor auditus deliberantium animos perturbarit: qvod Ioannes Fraxianeus Baionenſis in omen melioris fortunae acceperit, et conſternatos Principes magna ſedulitate, atqve diligentia in propoſito confirmarit. Id etiam Canonherius Italus affirmat, dixiſſe Mauritium, Carolum V. ſecum agere, tanqvam Cauſidicum, non tanqvam Imperatorem. Itaqve arma ſibi corripienda eſſe, non, ut reverentiam Imperii exueret, ſed, qvo ſe contra iniurias muniret. Haec et talia certe ſingularia, et plane ſelecta in manuſcripta Scheda ibi reperi explicatius tradita, qvae tuo iudicio merito ſubmitto, Domine, et me, atqve fortunas meas tuae tutelae committo, praeſertim hoc tempore, qvo penes te, et illuſtriſſimum fratrem eſt mihi proſpicere, et vacantem Profeſſionem mihi tribuere, ut tandem ſciam, qvo loco vitae meae rationes con-

ſtituam

ſtituam. Enimvero id omne ad tuum iudicium pertinet. Ita te DEVS incolumem praeſtet, qvem Viennae Saxoniae columen iudicant. Neqve id tuis auribus do, ſed ſcribo ſincere, et qvia, ab hoſtibus ſacrorum noſtrorum tibi tributum eſſe, cognovi. Servet ita te DEVS, et Henricum filium, de qvo omnium eſt magna expectatio, d. IV. Sept. cIↄ Iↄc LXXIV.

CLXII.

N. N.

Rediit ad nos Rummelius, tui ſtudioſiſſimus, et de te multa mihi, atqve ſtudio in me praeclare eſt locutus. Cumqve eam benevolentiam aliis in rebus ſaepe perſpexerim, nolui committere, ut in poſterum officium meum deſiderares. Qvod de hiſtoria recte ordinanda a me reqviris, tale eſt, ut exiſtimem, primo migrationes gentium, deinde ſcriptores, cuiqve ſeculo reſpondentes, ac indolem ſtyli *diplomatum* per ſecula, tum viciſſitudines reipublicae in primis noſtrae, et incrementa, atqve diminutiones accuratiſſime cognoſcendas, et memoria tenendas eſſe. Vtqve rem altius ordiar, incipias ab Ammiano Marcellino, qvi ante monumenta Karolingica omnino eſt legendus. Ea vero ſic expedivit Petrus Pithaeus, ut vel hic ſolus tibi ſufficiat. Cetera in aliud tempus mihi, propter occupationes, ſunt differenda. Vale, et de animo iudica. d. XIIX. Sept. cIↄ Iↄc LXXIV.

CLXIII.

PETRO HOMFELDIO, IC.

Nihil mihi gratius accidere potuit, qvam qvod tam prolixum affectum mihi declaraſti, et meum ſtudium, atqve qvalemcunqve induſtriam probaſti. Ego viciſſim dabo operam, ut intelligas, me ingenuum eſſe hominem, et tuae laudis ſtudioſiſſimum. Illud etiam opto, ut bene cadat, qvod Henricum Henninges, qvi ſummos viros perſtrinxit, et multa temere, atqve imprudenter effutivit, veritatis, reiqve publicae literariae cauſa coarguere es aggreſſus. Aiunt, nec certo ſcio, an verus rumor ſit, iſto libro viam ſibi munire voluiſſe ad dignitatem Conſiliarii, in aula Onolsbacenſi conſeqvendam. Mores ſane eius, atqve animum produnt nuper emiſſae ſchedae, in qvibus non expectat, ſed expoſcit adverſarium, indicio ingenii valde audacis. Zieglerus certamine cupit abſtinere: mihi adhuc privata cenſura ſufficit. Nam, in hiſtoria civili hoſpitem eſſe, atqve peregrinum, totius contextus operis facile oſtendit. Interim te movebit amor in Strauchium, inter iuris prudentes Principem. Ego, ſi quid immiſceat ad hiſtoriam pertinens, commodum adero, et commonſtrabo, qvi tantos viros confutare conatus ſit, non ſimulatam iurisprudentiam, ſed veram, ſed omnes bonas literas, omnia eruditionis inſtrumenta animo complecti debuiſſe. Qvae Strauchii, Conringii, Ziegleri praecipua felicitas fuit, eadem ut tibi

tibi contingat, et vindex pariter, atqve imitator ſis tantorum nominum, precor Deum immortalem. d. XIX. Sept. cIↄ Iↄc LXXIV.

CLXIV.
SAMVELI HVNDIO,
IC. DRESD.

VAlde conturbatus ſum, cum accepi de adverſa tua valetudine: nunc vero impenſius gaudeo, qvod meliuſcule habere coepiſti. Nam et id meus in te amor, atqve ſtudium, et ornamenta, qvae abs te in rempublicam proficiſcuntur, exigunt. Ego in pulvere hoc ſatis habeo conniti ad eam laudem, quae ex literis comparatur; id vero iuxta habeo, conſeqvi poſſim, nec ne. Epiſtola Belgica ſic ſcripta eſt ingenue, ut tamen circumſpectione uſus ſim, qvod verebar, ne offenderem pleroſqve. Siqvidem ita nunc ſeculum indulget ſibi, et ſuſpicionibus, ut optime dicta interdum rapiat in malam partem. Cum de *Epiſcopis* res eſt, facile intelliges notari F. qvi dudum in civili ſchola ſectam E. fecerunt, fuitqve paucis abhinc hebdomadibus qvidam *Viennae* Praeſul Metenſis, qvi ſcriptum, cui titulus eſt Detentionis F. confutare aggreſſus eſt, ſed, cum vix manum admoviſſet, deprehenſus in conſpiratione eorum, qvi F. cuſtodia liberare propoſuerant, hodieqve, manu iniecta, retinetur. In praelio, ad vicum Senef commiſſo, turpiter fecerunt Hiſpani, qvod Batavorum impedimenta diripuerunt, atqve adeo in ma-

maximam Auriaci,Ordinumqve offenſam incurrerunt, ut credant multi, occupata Gravia, et recuperato ad Moſam Traiecto, de pace ſeparatim acturos. Qvid Saxones, Gvelfi, et, redintegratis viribus, Brandenburgici tentaturi ſint, omnes ſolicite expectamus. Nondum enim magnopere timent Galli, quando extra Galliam cladem accipiunt, Condaeus parpari retulit fere: Turenius veteri dolo vim eludet forſan. De Philippiburgo tamen, utinam et Briſaco, ſperamus, Gallos compulſum iri, ut de ea urbe praeſidia ſua deducant. Nam aut nunqvam Palatinatus erit ſecurus, aut, Philippiburgum dedi oportebit. d. XX. Sept. cIↄ Iↄc LXXIV.

CLXV.

ADAMO. CHRISTOPH. IACOBI, IC. DRESD.

STat promiſſo ſuo M. Kretſchmarus, obſeqvium tibi approbaturus. Eo conſilio iterum me exoravit, ut tuam benevolentiam ſibi conciliarem. Nec deeſſe volui, qvo meum inſerviendi ſtudium intelligas. Qvaeſo itaqve te, Patrone optime, facilem te iuveni praebeas, et aditum qvoqve ad Illuſtriſſimi Caroli Friſii gratiam communias. De me non dubitabo, qvin, ſicut omni cura, atqve cogitatione in amplificandam hanc Academiam incumbis, ita nunc maxime hoc tempore tutelam, atqve patrocinium mihi praeſtes, ut vel Carpzovio, vel Grenio ſuccedendi copia mihi fiat. Vtrumqve facere veſtro Senatui inte-

integrum eſt. Nam Grenius concionando nihil praeclare de hiſtoria meretur. Qvodſi tamen et hoc diſpliceat, Poeſis mihi propter ſtudia humanitatis, qvae dudum hic frigent, docenda mihi committatur. Id vero in veſtri illuſtriſſimi Senatus iudicio eſt ſitum: mihi ſaltem pro re ita conſilium capiendum, ut haec alea ceciderit. Conſtitutum etiam habeo ſic demum explorare, hic, an alibi metam ſtudiorum proponere mihi debeam. Ex Belgio ita ambigua afferuntur omnia, ut dici non poſſit. Illud vero pro comperto habeo, inter Batavos, et Hiſpanos gliſcere diſſidia, qvae ex Condaei uſu ſint, et Foederatorum conſilia in primis turbent. Interim te DEVS, Maecenas, tuis, et mihi ſervet, d. XXV. Sept. cIↄ Iↄc LXXIV.

CLXVI.

N. REVTERO.

DVdum eſt, qvod literas tuas accepi, et magno gaudio affectum me ſenſi, cum legerem, te eo loco eſſe, ubi et proficias indies, et mei una recorderis. Sed illud dolorem mihi attulit, qvod de Vogtio nunciaſti, cuius caſus tanto mihi triſtior accidit, qvanto amicior is mihi eſt, ad qvem pertinet. Alioqvi de me optarem, ut amoris mei ſignificationem dare tibi poſſem, nec qvicqvam tua cauſa defugerem. Peucerus mihi in deliciis eſt, et ſaepe ad me literas perſcripſit. Qvod ſi non diſpliceat officium, multum me tibi obſtringes, et facies, ut honoris

tui cupidiſſimus eſſe velim. Eid. Sept. cIↄ Iↄc LXXIV.

CLXVII.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

Animum induxi qvaedam ad hiſtoriam Saxonicam edere, et primo omnium qvidem Vitam Alberti Animoſi illuſtratam. Eo autem ſpero, tuo beneficio me conſecuturum, qvod de eo evulgavit Michael Boiemus. Nam una opera et origines Saxonum, et iura, et omnem dignitatem brevibus in Boiemum animadverſionibus complectar, ſi tuo conſenſu id fieri poſſet, ad qvem de huiusmodi inſtituto referre eſt obſeqvii mei, atqve pietatis. d. XVII. Septembr. cIↄ Iↄc LXXIV.

CLXIIX.

N. AVEMANNO.

Ioannes Iuſtus Martius, qvem tibi non ita pridem magnifice cum propter pietatem, tum doctrinam commendavi, conſcripſit diſſertationem de Stephano Razino, qvam veſtro Principi dicavit. Cuius ut negotium ſuſcipias, atqve tuo patrocinio efficias, ut, qvemadmodum apud Moſchos Principis veſtri beneficiarius fuit, ita in poſterum inter ſupplices eius clientes habeatur, per me interpretem orat. Nam et hoc exemplo Principi vere magno, atqve ſapienti pietatem teſtari voluit, et tibi obſervantiam approbare. Qvod eo minus dubito, qvin facturus ſis, qvia iam

iam dudum te fama benignitatis, et ſtudium iuvandi bonas literas longe, lateqve illuſtrarunt. Ita DEVS Principem, vita, fortuna, dotibus maximum, teqve ſervet. d. XIIX. Septembr. cIɔ Iɔc LXXIV.

CLXIX.

AMICO IENENSI.

Altera vice rem mihi facis multo iucundiſſimam, qvod una opera duos Patronos mihi paraſti, qvorum alter iam diu primas tenet in Germania, alter et ordinis ſui, et aulae veſtrae ornamentum eſt. Strauchium dico, atqve Schilterum, ſummos viros, et omni cura pro republica, et amplificandis bonis literis nitentes. Habuit ſane ſingulare, et proprium Iena veſtra, ut ante omnes Academias horum virorum gloria eniteſceret: neqve invideo felicitatem hanc, et pro tenuitate mea gratulor. De cetero, ſi qva nova habes, noli me celare. Res ſane Gallicae in eum devenere ſtatum, ut non magnopere ſibi timeant ab expeditionibus, verſus Rhenum ſuſceptis. In Brabantia cladem cladi reddiderunt, praeterea id conſecuti, ut Batavi, Hiſpaniqve ab ſe diffidant, magno fortunae Condaeanae incremento. De veſtra Academia, velim, mihi animum, atqve ſententiam tuam explanes. Ita enim multa hic narrantur, confiɗa haud dubie, et cum invidia coniunɗa. Tu vero ſcias, me tuum eſſe, et honori tuo toto animo deditiſſimum. d. XXX. Sept. cIɔ Iɔc LXXIV.

CLXX.

CLXX.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

ETſi magna vis militum eſt apud Rhenum: tamen vereor, ut Turenianae copiae profligentur, qvia aeqviore loco conſiſtunt, et opportuniſſimos ad elabendum aditus habent: noſtros autem annona militaris deficit, et, ſi maxime diffidentia, ac diſſenſiones plane ſublatae eſſent, multa produntur conſilia hoſtibus, ut nuper dixerit Pompone, mirari ſe deſtinationes Auſtriacas, qvae multis ante hebdomadis cognoſci poſſent. Cuius vero culpa id factum fuerit, hoc rerum Viennenſi ſtatu facile intelligamus, et vicem Caeſaris merito doleamus, qvi intra neceſſitudines vix ſalvus, atqve incolumis eſſe potuit: gratulemur autem DEI, et fortunae beneficia, qvod inſidias in ſe comparatas reſciſcat, et fide Imperii Principum, qvaſi ſcuto, muniatur. In cuius parte conſilii ipſe tu, Domine, operam egregiam, cum Egrae eſſes, poſuiſti, et poſteritati qvoqve hoc magnae prudentiae momento admirabilem te feciſti. De Svedis falſus rumor eſt, qvi in has regiones permanavit, Caeſaris, atqve Brandenburgici hoſtes futuros: qvanqvam cohortantur enixiſſime Caeſarem, et ex longinqvo oſtendunt robur ſuum, ut conciliatio ſua pondus habeat, et pax qvamprimum reſtituatur. Militem tanto numero advexerunt propter lites cum urbe Cisbalthiana, Stralſundo, qvas a vicino Dano foveri poſſe ſuſpicabantur. Alioqvin pro certo habui, ab initio belli Gal-

Gallici Svedos minari contentos, nec velle arma corripere, nec poſſe, ut nunc res ſunt Germanorum. Vnum te precor, qvaeſoqve, Domine, ut, qvia me tuendum, ornandumqve perclementer ſuſcepiſti, cum illuſtriſſimo fratre ne deſtituas, qvando de Profeſſione inſtauranda conſultabitur. Qvanqvam enim turpe cenſeo prenſare, tibi tamen exponere neceſſitates nec dedecori neqve probro erit. Sane utcunqve res meas ſuſtento, nec ſcirem, qvemadmodum mihi conſulerem, niſi Frinſinger, aerarii Principalis praefectus, tua auctoritate, atqve commendatione adductus, mihi de ſolvenda ſalarii parte provideret. Noſter ſcriba Praefecturae Vitembergenſis, nec obulum mihi praebet, neqve tamen indignor, ſed qveror ſaltem, ſed tibi, qvi movere posſis Illuſtriſſimum Fratrem, ut hoc fortunae vitium ordinario beneficio corrigatur. Reddet tibi vicem DEVS, et mirabitur poſteritas, Friſios, his longe afflictisſimis temporibus ſaluti ſtudiorum a DEO datos, hoc agere, hoc cogitare asſidue, ut praemia, atqve nervi Academiae conſerventur, et virtus, ac meliores literae qvotidie magis, et magis excitentur. d. VI. Octobr. cIↄ Iↄc LXXIV.

CLXXI.

EIDEM.

Annus eſt, et plus aliqvanto, cum ad te ſcripſi, Lobkovicium gratia Caeſaris excidiſſe. Clam enim, in ſuſpiciones vocatum fuiſſe, acceperam. Nunc vero id apertiſſime conſtat eveniſſe viro alioqvin

qvin praeclare merito de Auſtriaca domo. Qvi caſus valde me affecit, et doleo, magnum Caeſaris adminiſtrum, ſpreta fide, *cum Gallis arcana literarum commercia habuiſſe.* Fuit qvintus decimus Octobris dies, cum, hora circiter octava, ad ſanctiorem curiam ſe comparans, a Barone Hochero interpellatus, ac nomine Caeſaris iuſſus eſt continere ſe domi, ac intra triduum Vienna excedere, ſcireqve, *omnibus dignitatibus ſe privatum eſſe.* Mox Hiſpanicus Legatus Spinola aureum Vellus detraxit, atqve hoc honore ſane ampliſſimo exuit. Souchius *in eadem navi eſt*, et accuſatur *Gallicae conſpirationis*, vel hoc qvoqve argumento, qvod apud Senef Batavos nimis deſtituiſſet, hinc Viennam vocatus *ad dicendam cauſam.* Etiam conſtat, qvid Burnevellio nuper in os dixerit Elector Brandenburgicus, et exprobraverit, qvod Luneburgicis, inſtructa acie pugnantibus, in tempore non affuiſſet. Qvin et ſuperioribus menſibus in ſermone omnium erat, qvod iis qvoqve, qvi a noſtro Saxone *in ſupplementum Caeſareanis miſſi fuerant*, cladis cauſa extitiſſet, aut, ſi hac culpa vacuus dicendus eſſet, propter alia indicia purgare innocentiam ſuam non potuiſſet. Sed videbunt Imperii Principes, ut pius ille, atqve rerum ſuarum ſatagens Leopoldus, ne in periculum, ac difficultates, perfidia qvorundam coniiciatur, cum hoc demum tempus ſit, qvo recuperari Germanicus honos, et reddi brevi pax Europae poſſit. Nam et huc omnes tuae curae, atqve cogitationes ſpectant, Domine, et gloria fidelis conſilii te

dudum

dudum aeternitate donavit. d. XXIII. Octobr. cIↄ Iↄc LXXIV.

CLXXII.

PETRO HOMFELDIO.

Viciſti me officiis tuis, et luculentiſſimis ingenii tui monumentis bibliothecam auxiſti, dignumqve me putaſti, ut perfruerer elaboratiſſimis Schilteri diſſertationibus, qvas ſi in concurſu occupationum aulicarum continuaret, rem non foro tantum utiliſſimam; ſed mihi qvoqve iucundiſſimam faceret. Ita enim recte, eleganterqve ſelegit omnia, qvae in republica, atqve curia momentum habent, ut nihil magis ex uſu ſcribi, nihil impenſius a me deſiderari potuerit. Qvanqvam enim mihi hoc non ſumo, ut videri velim peritus iuris, ac verſari in iudiciis: tamen a prudentia iuris nolim eſſe plane alienus, nec ignorare inſtituta tribunalium, et mores. Qvid reddam tibi pro eo munere, animi pendeo: hoc tantum abs te peto, ut de me ſtatuas, tibi, dum vivam, omni ſtudio addictum, Schilteri etiam, Strauchiiqve, virorum maximorum, perpetuum clientem futurum. Kal. Nov. cIↄ Iↄc LXXIV.

CLXXIII.

N. N.

Vocavi ad me, ut iuſſiſti, filios tuos, percontatusqve ſtudiorum rationes parum reperi, qvod laudarem. De maiori natu ſuſpicor, negligentiſſime feciſſe officium hic, et praetermiſiſſe omnia,

omnia, qvibus fundamenta lingvae Latinae continentur. Interroganti mihi inſcite reſpondebat, et prima elementa ignorabat. Doleo tuam vicem, nec, ut multi ſolent, adulor; ſed indignor ob tam male collocatum tempus, operamqve, niſi corrigatur, fere perditam. Sed nolo exaggerare tibi domeſticum dolorem, ſcripſiſſe contentus, qvod praeter omnem ſpem deprehendi. De minori melius ominor, et praeſentio ſpem bonae frugis, ſi affuerit, qvi inſtet acriter, et hortatu pariter, ac ductu indolem excitet magis. Videt, audivitqve omnia natu maximus, nec credo, vanam fore admonitionem, qvam abeuntibus impertivi. Alioqvin de Gallis accepimus, recipere ſe, ac ſubvereri, ne Rheni, Moſellaeqve itinera a foederatis Germanis claudantur. Batavia ſine ordine adhuc, ſine capite eſt. Oppugnatio VVoerdenſis plurimum ſalis aſperſit Auriaci Principis famae. Eo redierunt res Proteſtantium Ordinum, qvod neſciverunt recte uti potentia ſua. Vale. d. XI. Novemb. cIↃ IↃc LXXIV.

CLXXIV.

HENRICO, L.B. A FRISEN.

LObkovizius procul aula deliteſcit in Bohemia, caſu ſuo perturbatus, et incertus futuri. Falſum de eo circumfertur carmen, qvod, Vienna ad me miſſum, cum his literis ad te perveniet, Domine. Miror fortunae vices, et paene ingemiſco, Principem fide, et prudentia aulica innixum, pecunia mutari potuiſſe, ut alienae miniſter potentiae

Digitized by Google

tiae fieret, aut ſaltem literas de iis rebus, qvas taceri oportuit, ad Gallos, ad hoſtes, et publici exitii machinatores mitteret, qvi illibatam nominis magnitudinem ſervare potuiſſet. Alſatiae foedus nunc eſt ſtatus: omnia deſerta iacent: regio ampla, ac florens, plane perditur. In ſuperiori eius parte, et Sundgovia, hiberna ſibi deſtinant foederatae copiae, qvas prohibere omni ope ſtudet Turenius, Creqvii ſubſidiis adiutus. Eum aggreſſuri erant Foederati; ſed vix conſilium ceperant, qvum proditur, et Turenio elabendi, ac periculum evitandi occaſio datur. Qvod cum iniqviſſimo animo ferant Brandenburgicus, et Palatinus, inqvirunt in proditorem, nec qvisqvam alius, qvam Burnevillius Dux enunciati conſilii eſt ſuſpectus. Sigillatim cupit, ut Philippiburgum obſideatur, qvippe ex qvo Galli ſubinde eruptionem faciunt, agrumqve, et vicum innoxii Principis exurunt. Haec illi gratia rependitur pro ſuperiori amicitia, et tot lapidibus ad muniendum hoc caſtrum miſſis. De animo qvoqve leviſſimae gentis cognovit, cum nuper Bethunius, Heidelbergae Legati munere perſungens, multa egregia de Regis ſui animo diceret. Nondum mandata perfecerat, cum in regionem Palatinam impetus eſt factus. In Polonia Sobieskius Caminieciam, culpa ſua, dum privatus, et Vieſniviciis Regis inimicus eſſet, amiſſam, tentare velle dicitur: recepturum nunqvam credam, nec ſtabiliturum dignitatem ſuam. A Svedis nihil eſt, qvod timeamus, niſi qvod timeri velint, et gloriae ſuae ſervire;

vire; plus tamen ſe, qvam Gallum, amare. Zieglerus iterum differt iter, et valetudini adhuc diffidit, illuſtriſſimo Senatui veſtro, in qvo Princeps es, abſentiam purgaturus. Qvod ſcribendi officium meum feſtinatio aurigae proxime conturbavit, precor, qvaeſoqve te, ne iniqve accipias. Interim feliciter agas, Domine, et hunc qvoqve pietatis noſtrae fructum percipias, ut qvam diutiſſime valeas, et floreas. d. XIII. Novembr. cIↄIↄc LXXIV.

CLXXV.

CAROLO, L.B. A FRISEN.

ESt qvidam ſcriptor novus apud Gallos, cognomine Mezeray, qvi, Chaſanum imitatus, omni ope probare ſtudet, reges Capentingos, ex qvibus propagine Burbonia deſcendit hodiernus Galliae Rex, Karolingorum ſtirpe ortos eſſe. Qvod tam ſpecioſe dicit, ut facile imponat vulgo: mihi tamen id nunqvam perſvadere potuit. Revera autem id Gallorum conſilium eo pertinet, ut regibus ſuis dent materiam amplificandae dignitatis, et moliendi dominatus. Nam ita ſaepe impudentes ſunt, ut praefracte ſcribant, et nomen, et omne ius Karoli M. naſcendi ſorte, atqve ſucceſſione perveniſſe ad Capetingos. Sed commenta ſunt, nec vacat ea mihi refellere, qvae tibi taedium afferre poſſent, Illuſtrisſime Domine. Vnum qvaeſo, precorqve, uti clementer mei memineris, et hoc unum ſummae in me benignitati addas, ut tandem mihi Ordinarium docendi munus con-

contingat. Qvod ſi velis, Domine, non minorem ex mea pietate, qvam induſtria fructum capies. Haec enim vota ſunt, ut qvam diutiſſime vivas, et perpetuo floreas, ac dignos te, et ſtirpe tua poſteros habeas. d. XIII. Novembr. cIↄ Iↄc LXXIV.

CLXXVI.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

ETſi hic omnium animos vehementer adhuc perturbat apparatus: tamen in mea ſententia perſto, Svedos contra imperium nihil auſuros eſſe. Qvid Viennae factum fuerit, ex reſponſione ad ea, qvae Ochſenſtirna in ſanctiori ſenatu propoſuit, perſpectum habeo. Poſtulat Pacem, a Caeſare, et Batavis reſtituendam, et ſanctionem, qvae in Veſtphalia coaluit, ſancte cuſtodiendam monet. Neqve gravabitur Caeſar, et Imperium aſſentiri, ſi Galli aeqvis poſtulatis ſatisfaciant. Galli enim prius in imperio, qvam Belgio, bellum ceperunt, ac, erepta Clivia, utriusqve maieſtatem violarunt: Belgis etiam, ſatisfactionem in cauſa eorum iniuſta offerentibus, iniqviſſimas conditiones tulerunt, ut tempus, et neceſſitas ibi Auſtrium foedus flagitarint. Dudum ea apud animum expendit Vrangelius, et dat mitiora conſilia cohortatione. Nam iniuriam accepimus: non primi inferimus; neqve Caeſar turbat Ordines; ſed iura eorum defendit. Recordor qvidem, foedus iſtud principio Viennae multas difficultates habuiſſe, et propter id multa diſſidia in ſenatu Principum fuiſſe: Palatinum qvoqve, cum in Galliam inclinaret, diſſvaſiſſe; ſed

M 2 re-

reſponſum a Caeſare tuliſſe, mirari ſe, qvod Palatinus ita cupiat, qvem Imperatoriae ſanctionis obſervantem eſſe deceat, ſi maxime reliqvi Principes, qvi conſilia Gallica fovere credebantur, diſſentirent. Et ſane recordari in mentem venit audaciae, et importunitatis Epiſcopi Monaſterienſis, qvi eo progreſſus eſt, ut opem Imperii contra Imperatorem invocaret, et, ſi hoc ſe deſtitueret, denunciaret, auxilium externum ſibi qvaerendum eſſe. Itaqve Imperio de concordia gratulor, et, qvod ſecus conſilia ciciderint, ac Galli voluerunt, merito laetor. Habent ſane Svedi, qvod a tergo, et fronte reſpiciant. Auriacus Ordinum Batavorum obſeqvio creſcit, et, qvod prioribus retro temporibus nunqvam creditum eſt, obtinuit Praefecturam generalem militiae terreſtris, et navalis Batavae univerſae pro ſe, et omnibus, recta ſerie deſcendentibus, retinendam. Abbas Gravelius Moguntia excedere iuſſus eſt, pari fato, qvo Robertus Gravelius qvo nemo importunior Ratisbonae fuit. Idem Perſolio qvi legati ordinarii munere Francofurti ad Moenum functus eſt, contigit. Ita vero et reſtituitur Caeſarea auctoritas, et amoventur callidi exploratores, et Imperio vetus gloria, aperto in ſuperiorem Burgundiam aditu, redit. Ita DEVS te, et conſilia tua fortunet. d. XVII. Nov. cIↄ Iↄc LXXIV.

CLXXVII.

CLXXVII.
EIDEM.

CONflictor cum malo domeſtico, id eſt negligente famulo, et ſic obliviosſo, ut qvoqve altera vice literas meas non curaverit. Cuius recordari dum in mentem venit, ſane vereor, ne mihi iraſcaris, ac aegre accipias. Sed qvia aliena culpa erratum eſt, nihil in meo ſtudio deſiderabis, et credes, eo me eſſe in te animo, ut vel auditum nomen tuum, vel cogitatum, in me pietatem augeat, ac mihi multo ſanctiſſimum habeatur. Vnum te Domine, vehementer rogo, ne acceſſiones ordinarii ſtipendii adimi mihi ſempiterno clienti tuo, patiaris, praeſertim ob aes alienum, qvod conflavi denuo emendis libris, qvi tuo in primis honori dicabuntur. Deinceps impenſae mihi ſunt faciendae in libros ex Patria mea, resqve meas caeteras advehendas. Vt potes allaborabis ut ordinarium docendi munus hic adipiſcar. Id vero omne tua prudentiae eſt, Domine, ac in arbitrio tuo, iudicioqve poſitum, utrum Profeſſio Extraordinaria retineri a me debeat, nec ne. Nulla opera, nullo labore deero Profeſſioni utriqve et cum pietatem tibi, tum diligentiam aſſiduam probabo. Hoc unum eſt beneficiuu, qvo ornari me peto, neqve tam mea, qvam exterorum, et, crede mihi, iuvenum Academicorum cauſa. Ego vero, licet tot, ac tantis meritis referre non poſſim gratiam: tamen apud DEVM pro te deprecabor, et monumentis in primis commen-

 dabo

dabo tuas laudes. Turenius ſe recipit: pars nobilitatis Gallicae a Lotharingo conciſa eſt; clauſi verſus Philippiburgum aditus, ut nunqvam opportunius obſideri poſſit, atqve hoc tempore, qvo nihil advehi commeatus poteſt, neqve afferri officina medicamentorum, ſine qvibus in foetido iſto, paludoſoqve loco milites praeſidiarii perſiſtere neqveunt. Anno cIↃ IↃC LXXIII. occupari, his rebus omnibus deſtitutum, facile potuiſſet, ſi Moguntinus, et Palatinus Caeſari, et Brandenburgico tranſitum permiſiſſent. Similiter verſus Briſacum obſeſſa ſunt itinera, qvod utinam, et tota Alſatia, et univerſum Arelatenſe regnum, hucusqve mala fide poſſeſſum, a Gallis recuperari poſſet. A Svedis nihil timeo. Adeo ipſi timent, et ſubvereri eos oportet, ne, qvod in Alſatia nunc Gallo, ipſis qvoqve in Pomerania, et Bremenſi Ducatu, evenire poſſit. Inſtrumentum Pacis Monaſterienſis ruperunt Galli, et beneficia eo qvaeſita non Germanorum; ſed ſua culpa perfidiaqve, et irruptionibus foede, atqve turpiter amiſerunt. De Lobkovizio varii, et diverſi rumores afferuntur. Multi ſimulatum aliqvid, et ad eludendam Gallorum crudelitatem confictum ineſſe ſuſpicantur, et ſcenam inſtrui hanc credunt, ac latere aliqvid ingenioſum, Ego precor DEVM interim, ut expeditio Mauritio Duci feliciter vertat. d. XX. Novembr, cIↃ IↃC LXXIV.

CLXXIIX.

CLXXIIX.
HENRICO, L. B. A FRISEN.

FOrtunae Regis Galliae nunc ita iacent, ut Venetias legatum miſerit, qvi pecuniam a Republ. mutuo dandam peteret. Neqve id fictum eſt; ſed ex ipſa urbe Veneta perſcriptum. Ex Batavia qvidam *Comitis* Valdeccii ſcriba redux ſpem mihi fecit pacis, ſumpturo eum laborem Arlingtonio, qvem Rex ad Batavos dimiſit: qvanqvam haec incerta ſunt, et alias conſtat, non levem eſſe ſatisfactionem, qvam Trevirenſis, et Palatinus poſtulant, iuſta qvidem in re, atqve honeſtiſſima defenſionis cauſa. Monaſterienſis adhuc perſeverat in fide ſua, ac ita odit partes Gallicas, ut, Caeſari denuo qvinqve millia militum ſubſidio mittere conſtituerit. Alioqvi Caeſareani tot, et tantas imperant militares collationes, ut Veſtphaliae impendeant ruinae, et plurimi incolarum extorres vagentur. De meo ſtatu, Domine, nolo celare, omnes mirari hic, qvod et una opera docendi, et diſputandi ſit praeciſa, cum Poetica tantum pangendi carminis mihi relinqvat facultatem: ac ego hoc animo ſim, ut ſtudium, qvod tot mihi vigiliis conſtat, non omittam ſaltem privatim, ac in ſpem veniam, Sereniſſ. Electorem, teqve ipſum mihi nunqvam gratia ſua defuturum. Ita DEVS te qvamdiutiſſime ſoſpitet, et ornamenta tuorum meritorum patriae ſervet. d. IV. Dec. clↄ Iↄc LXXIV.

CLXXIX.

CHRISTIANO FRIDERICO FRANCKENSTEINIO,

P. P. Lips.

QVod meae rationes tibi non diſplicent, et in eadem ſententia mecum eſſe voluiſti, et inſtituti operis te mihi adiutorem obtuliſti, teſtatum facis in me excitando, et acuendo amorem tuum. Ego, ſi qvid in ea cauſa poſſum, nihil magis optabo, qvam ut tu in ſuſcepti laboris partem venias, atqve hunc induſtriae fructum mecum communem habeas, qvod ſcriptores rerum Saxonicarum uno volumine coniuncti veniant in lucem. Nam et id praecipue mereris, ac tuo iure tibi vindicas, qvi intelligam, et ſubſidia tibi eſſe plurima, et ingenium multo acerrimum. Retine itaqve hunc animum, et iuva me, qvoad per occupationes tuas longe maximas licet. Ioannes Palatius eſt iureconſultus, vir eqvidem non ignarus ſuae artis, nec monumentorum, qvae numis continentur, inops; ſed ſaepe, multumqve credulitate ſua deceptus, dum numos collegit potius, qvam iudicavit. Sunt enim inter eos non pauci forma ſpecioſi, ſed, ſi propius inſpiciantur, falſi, et aevo in primis Karolingico repugnantes. Nec de ſtylo qvid addam, qvem, me non monente, qvilibet videt eſſe aſperum, atqve inficetum. Filio tuo, decoro, et modeſto, doctoqve iuveni, omnem, qvam poſſum, operam navabo. d. VII. Decembr. cIↃ IↃc LXXIV.

CXXC.

CXXC.
PETRO HOMFELDIO,
I. V. D. IEN.

CHronicon, de qvo ſcripſiſti, vellem veniret in meas manus, ut eius formam, ac titulum penitus vederem. Si divinare poſſum, dicam, eſſe vetus chronicon Schvarzahenſe, cuius codex, membrana exaratus, mihi viſus eſt. Nam Conrado Vrſpergenſi qvi tribuunt Chronicon, ſub nomine Vrſpergenſis editum, meminiſſe debuerunt, Conrado Abbati nihil eius operis, praeter continuationem, tribui oportere. Illud vero ſeparati eſt argumenti, qvod, vitam, reſqve Dagoberti, Francorum regis explicari, in extremo tui codicis affirmaſti. Si enim recordor recte, Dagobertus ille huius nominis primus, et in ſerie regum Franco-Merovingorum fuit undecimus, cuius apud me eſt antiqviſſimum, et, ut ex ſtylo aevi, aliisqve indiciis certisſimis cognoſco, haud confictum *diploma*, qvod Ferdinandus Furſtenbergius, inter Antiſtites facile doctisſimus, qvaſi fundamentum, ſubſtruxit opinioni ſuae, de iuribus ſeculi, ab Ordine ſacro iam diu ante acqviſitis, qvam Karolingi ſuſciperent Francorum regnum. De qvo qvid habendum ſit, exponam alibi: nunc, te bene rem agere, precabor. Celeberrimus Strauchius, et Schilterus, reverenter iterum meo nomine ſalutentur. Calumnia qvam ſceleſtus homo Academiae veſtrae impegit, vertat auctori in exitium: vobis, virtute veſtra innoxiis, proficiat

ad maiora incrementa. De caſtigatione Henninges, crede mihi, candido, et cordato homini, nihil hic qvenqvam meditari. d. IX. Decembr. clↄ Iↄc LXXIV.

CXXCI.

CHRISTIANO FRIDERICO FRANCKENSTEINIO,

P. P. Lips.

QVod de Grosſio, leviro tuo, ad me ſcripſiſti, id eiusmodi eſſe intelligo, ut, ſi inſtituti, de qvo audiviſſe te accepi, rationes confectas, explicatasqve habeam, nolim, pro mea ſane in te obſervantia, committere, ut ſpe, exſpectationeqve ſua ille fruſtretur. Nam et tibi omnibus rebus ſtudium meum conſtare debet, et tunc maxime, qvando non magis pro honeſto Grosſii commodo, qvam iuſtitia ipſa, atqve aeqvitate conſuluiſti. Etſi nunc qvidem malo eruere ſcriptores veteres, et, a Beda inde conqviſitos, collectosqve, emittere in lucem: mox tamen ſubdubito iterum, neqve ſcio, an Proceribus noſtris, qvos, aliqvot menſibus exactis, adibo ipſe, praeſens ſciſcitaturus conſilium, id ſit omnino placiturum. Ne tamen interim nihil agerem, ſelegi mihi Michaelis Boiemi de Alberto animoſo proditam hiſtoriam, cum annotationibus recenſendam: miſitqve eo ipſe illuſtrisſimus Henricus Friſius mihi ſuum exemplar, Lipſiae, ut video, excuſum; ſed ſine mentione preli, et impenſae. Qvem laborem iam dum ſumpſi, et aliqvot pagellas excudendas curavi, qvia

qvia credidi, alius, qvam Grosſii, ſumptu editum fuiſſe. Alioqvi noluerim tam eſſe audax, ut, te non conſulto, ac renitente etiam, aliqvid in eo genere elaborarem. Ita magnopere cupio tibi, rebusqve tuis inſervire, neqve ullum defugere officium, qvod tibi qvidem a me poni velis, atqve optes. d. XI. Decembr. cIↄ Iↄc LXXIV.

CXXCII.

I. G. H.

DE ſplendido iſtoc munere, qvod miſiſti, gratias ago. In carmine non reprehendo dimenſionem, ſed ſtylum, qvi non eſt vere Germanicus, uti ego eum probo: noſtiqve ipſe tu, me obiter, et velut in transcurſu, inſpexiſſe, fretum fiducia peritiae ſcriptoris. Sed, qvicqvid eius ſit, te ſemper amabo, carumqve habebo, cum ob bonam indolem, tum ob egregia ſtudia, erga qvae priſtinum ardorem ſerva. Eid. Decembr. cIↄ Iↄc LXXIV.

CXXCIII.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

NVllum ex omni memoria monumentum animo meo occurrit, in qvo legerim, Romanos Imperatores, cum ſe titulis ornarent, Saxonicos ſe appellaſſe: qvod ſaepe miratus ſum profecto ad augendam Saxoniae gentis dignitatem pertineat in primis. Id vero eſt notiſſimum, Germanicos, Alemannicos, Francicos, Gothicos qvam freqventiſſime dictos. Atqve id arbitror indicium eſſe Saxoniae nunqvam a Romanis in provinciam reda-

redactae. Poſtea autem, qvam Romae Patritiatum, qvi revera ſummus Principatus erat, adeptus eſt Karolus Magnus, omni cura, atqve cogitatione eo incubuit, ut Saxoniam diuturno, et qvod triginta annos exceſſit, bello redigeret ad obſeqvium: et primus, et raro tamen, uſurpavit titulum *Dominatoris* Saxonum: ſiqvidem ei ſoli haec a Deo felicitas tributa fuit, ut Saxones in Francorum civitatem adſcriberet. Enimvero ex annalibus Karolingicis facile evincam, *Dominatoris* vocabulum eo aevo non herilem, qvi dicitur, Monarcham, ſed ſummum Principem ſolum denotaſſe. Ex Belgio ita ambigua omnia afferuntur, atqve incerta, ut vix ſciamus, qvid credamus quisqve, et qvid ſcribamus recte. Illud vero certum habemus, diſſidia inter Hiſpanos Batavosqve gliſcere eiusmodi, ut ex Condaei uſu ſint, et praeludia componendae pacis exiſtimentur. Qvae, Domine, tuum eſt iudicare, et praeſtare conſilio Rempublicam, cui divino auſpicio impoſitus es, ſalvam. Ita te DEVS ſalvum, atqve incolumem praeſtet. d. XIV. Decembr. cIↃ IↃc LXXIV.

CXXCIV.

EIDEM.

STephanus Baluzius apud Gallos meditatur uno volumine edere omnes ſanctiones Chriſtianas regum Francorum, qvae *capitularia* vocantur: ad cuius ſocietatem laboris me invitavit qvidam Baluzio familiaris, et rogavit, ſi qvid eo pertinens in promptu mihi eſſet, communicarem. De qva re

re deliberanti mihi Iena perſcribitur, a D. Homfeldio, Strauchio, non ignaro antiqvitatis, percaro, repertum ibi eſſe *chronicon*, qvod Dagoberti nomine inſcriptum fuerit: de qvo, qvae mea ſententia ſit, expoſui per epiſtolam. Nunc vero id ago, ut perqviram omnes ſcriptores Saxonicos antiqvos a Beda inde, et ſub unum aſpectum omnes redigere, ac notationibus illuſtrare in animo habeam. Nec diſplicet inſtitutum Chriſtiano Friderico Franckenſteinio, viro hiſtoriae perito, qvi ſe recepit omnem, qvam poſſit, opem mihi allaturum. Itaqve te rogo, Domine, adſis conantibus patrocinio tuo, et codicum, ſi qvi apud vos ſunt, copiam facias. Ego hoc, et aliis nominibus multis tibi, qvam debeo, iterum ſolenni formula pietatem obligabo, et, ut feliciter hos dies natalitios exigas, ac, ut longa ſerie filios, nepotesqve florentiſſimos, et voto tuo pares, numeres, aſſidue precabor. Ex Marchia qvotidie huc veniunt cum rebus ſuis, ut ſecuri ſint contra Svedorum metum, qvanqvam hi nihil audebunt hoſtile, nondum dimiſſo Ratisbona Oxenſtirna, qvi ab Imperatore inſigni artificio remiſſus eſt ad comitia, ut intelligat, non eam hodie, qvae olim tempore Guſtavi Adolphi fuerit, eſſe belli faciem et cunctatione prudenti ardor ipſius, ac Svedorum refrigeſcat. Id vero certum, Holmiae nova comitia ſtatim poſt Kalendas Ian. A. cIↄ Iↄc LXXV. indictum iri. Ceterum, qvod ad me perſcribi iuſſiſti, de anno gratiae, qvem appellant, petitio mea non pertinebat ad Profeſſionem Ordinariam,

de

de qva mihi clementer admodum providiſti; ſed ad Extraordinariam dirigebatur: qva de re tamen nolim poſthac te interpellare, ne benignitate tua abuti videar, contentus votis, ac precibus, pro te, tua ſtirpe, filiis, nepotibus, publice, privatimqve faciendis. Ita DEVS te ſervet, atqve omni proſperitate cumulet, literisqve, et religioni, et Academiae ornandae, tuendaeqve, natos Friſios protegat, atqve omni gratia ſua complectatur. Ego, dum vivam, et gloriae tuae praeco, et pro felicitate tua apud DEVM ero deprecator. d. XIIX. Dec. clↄ Iↄc LXXIV.

CXXCV.
CHRISTIANO SCHVZIO,
Consil. Veissenf.

Accepi diſſertationem cum tuis literis: veritus autem ſum, ne ſuccenſeas, qvod non ſtatim reſcripſerim. Qvod cum aliter factum eſſet, qvam vellem, qvaeſo, tribuas meis occupationibus. Decrevit enim mihi Potentiſſimus Saxo noſter Poeticen, ut, propter conſtituenda vitae ſubſidia, pleno munere fungerer. Alioqvi conſtitutum habui Profeſſionem cum alio vitae genere commutare. De Lobkovizio fateor eum ſui valde oblitum eſſe. Pleraqve enim conſilia evulgavit: multa etiam decreta Caeſaris contrariis, et domui Auſtriacae pernicioſis decretis mutavit. Captarae inſtitutum de Briſaco per proditionem intercipiendo perſcripſit hoſtibus, et alia, ſe, officioqve ſanctiſſimi admini-

miniſtri indigna, admiſit. Oxenſtiernae qvoqve odium conciliavit, qvod eodem tempore, qvo Viennam venit, coniuratio iſta nova detecta eſſet. Cetera nolim epiſtolae committere, ſed me tibi qvam optime commendare, qvi ſcias, me eſſe tui nominis ſtudioſiſſimum. d. XIX. Dec. cIↄ Iↄc LXXIV.

CXXCVI.
HENRICO, L. B. A FRISEN.

CVm legi epiſtolam tuam, ita voluptate captus ſum, ut gratularer fortunae meae, qvae me ita tecum coniunxiſſet, ut haud gravate communicares, qvae ad animi fructum in primis pertinent, et hoc qvoqve indicio teſtatum mihi faceres, te in ornandis literis, atqve me iuvando ſingulariter promptum, benignumqve eſſe. Tum id longe mihi accidit gratiſſimum, quod intelligo, meum inſtitutum tibi non diſplicere, qvod eo ſpectat, ut origines Saxonicas accuratius eruam, et hiſtoriae pleniori hoc qvaſi auſpicio proludam. Nam, qvod hactenus moram duco, faciunt multae rationes, qvas nondum confectas habeo. Thuringia tota, qva patet, ſine exceptione oppidi, vel ullius urbis, nulla gleba, nec portione dempta, pertinet ad patrimonium Saxonicae domus: qvod ius ex *diplomatis* Caeſarum, et tabulis inaugurationum eſt deducendum, atqve iudicandum, niſi qvaſi pactis aliter conventum, ut, cum civitate Northuſa, et Mulhuſa. Id enim ſingulare eſt, et in praeiudicium iuris alioqvin competentis minime allegandum. Et qvidem A. cIↄ Iↄc LXVII. a domo Saxoni-

xonica renunciatum iuri patrocinii hereditarii in Erfurtum; ſed non iuri ex capite territorii, a domo Vinarienſi praetenſo. Illud enim ex alia cauſa oritur, et propterea ea ceſſio non intelligitur ratione eiusdem. d. XX. Decembr. cIɔ Iɔc LXXIV.

CXXCVII.
EIDEM.

ANtiqviſſimum Bedae exemplar nactus ſum, qvod mihi valde placet ob Saxoniae transmarinae, qvae Anglia eſt, antiqvitates. Cismarina enim nuncupatur Friſia; colligoqve ex Zoſimo, ſcriptore egregio, at ſaepe in Chriſtianos Imperatores iniqvo, Saxones IV. ſeculo in Batavorum inſulas infuſos, inter Rhenum, et Viſurgim late imperaſſe, uſqve dum ab ſe emitterent militem in Britanniam, et mox eam in ditionem redigerent. Alioqvi Saxonia antiqviſſima continebatur inter Albim, et Chaluſum, id eſt, ut interpretor, Travam. Saxonia antiqva eſt cis-et trans-Veſerana: recentior, noſtra, qvae dicitur ſuperior, aucta *Palatinatus* Saxonici dignitate a Friderico Aenobarbo. Vnum addo: Gravia dedita eſt Rabenhauptio, viro tantum laudando, qvantum et Moſae exundantis, et coeli moleſtias, atqve tempeſtates Herculeo labore vicit. Ita vero DEVS tibi tutelam, tu mihi, Domine, poſt DEVM praeſtes, atqve patrocinium, ut ſolebas, ſerves. d. XXII Decemb. cIɔ Iɔc LXXIV.

CXXCIIX.

CXXCIIX.
EIDEM.

VEnit in manus meas liber Palatii, Aqvila Saxonica inſcriptus, ex qvo cognovi, ſcriptorem eum non multum profeciſſe in hiſtoria Saxonica: nec eſt forte, qvod collaudem, niſi qvatenus Imperatorum Saxonicorum effigies pulchre expreſſit. Henricum Aucupem, et Conradum I. inepte Imperatores appellat, vulgus hiſtoricorum ſecutus. Vitechindus non ex Angriae monumento; ſed ex promiſcue collectis libris effinxit. Sponſionem cum qvolibet antiqvitatis perito faciam, eum nec Karolingica, neqve Saxonica, monumenta legiſſe; nec ſi legiſſet, aſſecutum fuiſſe. Id vero per ſe conſtat non attuliſſe id ſcribendi genus, qvod ad hiſtoriam ornandam valet, ut vix mihi temperem, qvin affirmem, humanitatis plane eſſe rudem. Cum tamen labore hoc perfungi voluit, et dignitati Saxonum id tribuere, facile in conatu acqvieſcere poſſumus. Ceteroqvin Gravia, de qva ſuperioribus temporibus per errorem ſcripſi, die XXIIX. Octobr. pacta eſt deditionem: poſtea praeſidium Gallicum ex urbe deductum, et *Ducatus* Clivenſis periculo direptionis liberatus, ſinesqve, et aditus Batavorum nunc multo firmius communiti ſunt. Vnum te oro, hoc tempore, qvo de Profeſſione Poetica ornanda conſultatur, partes meae ſalutis, ſtudiorumqve ſuſcipias ſuſtineasqve. d. XXV. Decembr. cIↃ IↃc LXXIV.

CXXCIX.
N. SCHRADERO.

QVanqvam facile probo, qvae ſcribis, tamen arbitror: neqve tu aliter ſenties: eam expeditiſſimam eſſe viam perveniendi ad eloqventiam, qvam Cicero praeceptis, uſu, atqve exemplo commonſtravit. Politianus autem multum ſaepe a dignitate ſermonis receſſit, et, dum acumina nimis ſectatus eſt, gravitatem amiſit. Curio, qvi in Ciceronis Partitiones commentatus eſt, iam diu ante me affirmavit, totum ineptiis ſcatere. Qvod licet ego non dixerim, et tibi facile aſſentiar, multa eum complecti egregia, et ad antiqvitatem pertinentia: tamen, ut tibi imitandum eſſe cenſeam, a me, qvi te amo carumqve habeo, impetrare non poſſum. Ita vale, et viros clariſſimos, duo illa lumina eruditionis, reiqve publicae, plurimum nomine meo ſaluta. d. XXV. Decembr. cIↃ IↃc LXXIV.

CXC.
CHRISTIANO GVIL. GRAVIO.

PRaeclare facis, qvod recordaris ſuperioris amicitiae, atqve conſvetudinis noſtrae, ſimul et cauſam diſſipati vaniſſimi rumoris oſtendis. Calumnia eſt, fateor, et ſcurrae, ab Academia veſtra alienioris, improbiſſimum mendacium: qvod ut auctori in ignominiam vertat, optandum eſt. Alioqvi virtus, atqve innocentia veſtra facile calumniam iſtam diluunt, et, qvo animo omnes ſitis,

tot

tot ingenii, ad poſteritatem victura, monumenta nobis confirmant. Ego ſane Academiae veſtrae omnia feliciſſima voveo, et qvotidie eius laudes amplifico, ac merita ſummorum virorum collaudo. Neqve aliter ſenſi unqvam, nec ſentiam in poſterum. De meis, qvod moram duco, non miraberis, qvi ſic occupatus ſim privatim, publiceqve, ut differendum cenſeam, qvod feſtinatum taedio eſſe poſſit. Interim qvaedem hiſtorica opuſcula paulatim expromam, et lente curabo res meas: te autem rogabo maiorem in modum, ut animum, qvem mihi prolixiſſimum declaraſti, deinceps conſerves, atqve de me exiſtimes, omni tempore operam daturum, ut intelligas, amicitiam, qvae inter nos coaluit, ſinceram eſſe, et in animo manſuram. d. XXVI. Decembr. cIɔ Iɔc LXXIV.

CXCI.
IACOBO RICHARDO.

QVam prae te fers benevolentiam, valde aeſtimo, et maiorem in modum te oro, ut eo erga me animo maneas. Ego, qvantum potero, ſtudebo inſervire honori tuo. Notae in Grotium nondum editae ſunt: alioqvi libens earum copiam facerem. Res Belgicas inſcripſi illuſtriſſimo Georgio Friderico: nunc tibi tantum mitto diſſertationem Calovianam atqve ex meis geminam, de Razino et Friderico III. proxime editam. Cetera in tempore ad te venient. Linſius, Ienam profectus, nihil eorum, qvae voluiſti, curare potuit,

iuvenis alioqvi doctus, et noſtro ordini adſcriptus ob praeclaram eruditionem. His acqvieſce, et vale. d. XXVII. Dec. clↄ Iↄc LXXIV.

CXCII.
M. IACOBI.

DE illo dono, qvo me ornaſti, ago gratias, et pro eo ſtudio, qvod mihi navaſti, promitto tibi omnem meam operam, qvam ad honorem tuum conferre qvoqvo modo poſſim. Vnum te oro, ut meo nomine ampliſſimum annonae Principalis Praefectum, Hahnium, ſalutes, ac me de mora reſcribendi purges. In Iuniorem vix aeqvo ſum animo, qvi carmen meo nomine, qvod non caret ſuis naevis, excudendum curavit, et mihi accurate inſpiciendum non obtulit, aliis rebus occupato. Ita vero et mea benevolentia abuſus eſt, et laborem, eius cauſa ſuſceptum, talem faceſſendo moleſtiam, rependit. Parcior enim ſum famae meae, qvam ut in eiusmodi mendis obſoleſcat. Scirem, qvid facto opus eſſet, niſi adoleſcentiae condonarem. De cetero ſatis diligentiam mihi ſuam, cum pro ſuggeſto ſuo diſputaret, approbavit. Vale, vir clariſſime, et vide, qvam ingenue tibi ſcribam. d. XXIIX. Decembr. clↄ Iↄc LXXIV.

CXCIII.
N. N.

IGnoravi eqvidem, te in luctu eſſe domeſtico, et propterea ſerius dolore tuo afficior, optoqve, ut

ut brevi res tuae melius eant, et ſors iſta, multo accerbiſſima, longe meliori in poſterum mutetur. Grotium qvod a me exigis, ſatisfacere tibi nondum poſſum. Premo enim opus, et lambo qvotidie, urſorum modo, ut magis, magisqve expoliam, et qvaſi aptius, decentiusqve fingam. Epiſtolam, curabo, ut primo qvoqve tempore accipias. Interim qvaeſo te, ut in iis acqvieſcas, qvae cum hac epiſtola mittuntur. Vale. d. XXIX. Dec. cIↄ Iↄc LXXIV.

CXCIV.
H. H.

ITerum me tibi obligaſti, et, nihil magis cupere te, certum me reddidiſti, qvam ut mihi ſatisfaceres, et cauſam meam tam praeclare ageres, ut ipſe melius non poſſem. Qvod ut magnum beneficium fuit: ita mihi incitamentum erit, ut viciſſim et dignitatis, et utilitatis tuae ſtudioſiſſimus eſſe velim. Ego id addam qvoqve, ut intelligas, qvam tibi recte in ſtudiis conſulere nitar. Nam mihi neo leves, nec paucae cauſae ſunt, cur velim, imitari te Ciceronem; ſed eo imitationis genere, qvod liberale ſit, atqve decorum ſtylo relinqvat. De Manutio multum abeſt, qvo minus reprehendam. Nam ſane in componendis orationis particulis, et commutata dicendi ratione eximius eſt. Parum vero mihi videtur ornare verba, ſi abſit inſtructiſſima rerum varietas. Atqvi et hanc ſuppeditat Bembus, vir genere, et animo nobilis: qvanqvam optarem, ut de rebus civilibus plures,

et ad reipublicae utilitatem pertinentes epiſtolas ſcripſiſſet. Vale, et me tui honoris cupidum ſemper exiſtima. d. XXX. Dec. cIↄ Iↄc LXXIV.

CXCV.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

NOndum ſententiam muto, neqve inficior, verum eſſe *diploma*, de qvo ſcripſi, ſiqvidem tunc eiusmodi res ſeculi tributae ſunt *Clero*, non ut tanqvam *regalia* poſſideret: hoc enim non probandum erat: ſed ut, ſalvo eo regibus iure, tanqvam regis, fortunaeqvae beneficia haberent, et reditus tantum inde ad tolerandam vitam compararent: qvod ex aliis *diplomatis* ſcio, et conficere facile poſſum. De Svedis, an ſint partes electuri, varia ſcripta eduntur, inepta pleraqve, et indigna, qvae legantur. Qvaeſtio a capite ſic arceſſenda erat: Svedi, aut qvatenus beneficiarii Imperii Principes, aut qvatenus ſeparati ab imperio, arma capient contra Brandenburgicum. Priori modo fractae pacis rei erunt, et lege violatae Imperii maieſtatis poſtulabuntur. Poſterius ſi affirmatur, illo momento, qvo intrant Imperii fines, iure ſanctionis Leopoldinae, tanqvam hoſtes, exturbandi erunt, ut nunc exturbati fere ſunt Galli. Qvin et deſinent eſſe conciliatores, in qvo multum ſibi promittunt dignitatis, et conſeqvi utilitatem non minorem poſſunt. Reliqva momenta ad te pertinent, Domine, et excedunt ingenium meum. Ita vero te recte valere, et, laetos exigere natalitios dies, precor ex animo, qvi, qva ſum pietate erga Fri-

Digitized by Google

Friſios, manebo, dum licebit manere inter vivos. De Poetices, profeſſione, mihi benigniſſime credita, una voluptas, et ſolatium eſt, Grotium, ſummum et anteponendum omnibus virum, Poetam qvoqve fuiſſe, et in tragico genere excelluiſſe, et ad reges, principesqve non raro etiam carmine ſcripſiſſe. Diſſertatio, qvae inſcribitur, Annotata ad res Pruſſorum, continet ſententiam, qvod ſolus tituli uſus non ſufficiat ad interpellandam uſucapionem, niſi alia adſint iuris noſtri argumenta, exempli gratia, repetitorum pactorum, inaugurationum beneficiariarum: cuiusmodi *diplomata, inveſtiturarum* appellata, longe plurima ſunt domui Saxonicae in aſſerendo iure in Cliviam. d. XXXI. Dec. cIↄ Iↄc LXXIV.

CXCVI.

CAROLO, L. B. A FRISEN.

CVm multa abs te beneficia acceperim, Domine, tum ſentio, me omnium fortunarum ornamenta tibi debere. Probas enim ſtudiorum noſtrorum rationes, et foves patrocinio ſingulari, ut ſperent, qvo auctore ſunt coeptae, eodem adiutore florere poſſe. Itaqve et approbare tibi ſuam pietatem volunt, et ſempiterna obſeqvia teſtari: praeſertim hoc tempore, qvo praeteriti anni memoriam renovamus, et ſuo qvisqve cliens domino precamur. Vtqve humilimae obſervantiae ſignificationem reſpicias, vovemus tibi aeqvabilem felicitatem, perpetuam gloriam, conſtantem valetudinem, vitam longiſſimam, familiae in-

crementa maxima: demum omnia, qvae expetis, bona, qvaeqve Friſios heroas decent, ſine fine inclutis heredibus, ac poſteris tuis continuanda. Kal. Ian. cIↃ IↃc LXXV.

CXCVII.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

GRatulor tibi iterum non copioſe qvidem; ſed nec leviter, et ex animo: idqve cum tua, tum reipublicae cauſa: tua qvod eiusmodi eſt virtus, atqve nomen tuum, ut omnium ore, ac ſermonibus celebretur; reipublicae, qvod tu nobis contigeris, qvi conſilium pariter, et ſalutem Saxoniae afferret. Qvae ſane omnia eximia ſunt, et ſingularia: eoqve magis opto ego, ac precor, ut haec ſempiterna ſint bona, qvibus in terra nulla maiora eſſe poſſunt. De Svedis, opinor, iam paene raucum eſſe rumorem. Omnes ſane eorum actiones metu, et minis continentur. Has autem Caeſar, ut ſaxum fluctus, frangit. Aiunt, iure pacti ſibi cordi eſſe, ut pax Monaſterienſis ne violetur. Atqvi ea iamdum violata eſt a Gallo. Tum exiſtimant, Principes Imperii extra ditionem Imperii arma non poſſe capere. Sed cur non poſſint, ſi velint? Adigere eo invitos Principes non poteſt Caeſar. Si autem iſti velint, Svedi non poſſunt prohibere. Ius belli Imperatori, et Imperio ſimul convenit, et data iniuria ubiqve poteſt contra qvemcunqve hoſtem exerceri. Dolendum autem, Svedos, in tanta rerum civilium luce, ſuo, et Hippoliti a Lapide ingenio indulgere.

Ad-

Adhaec ponunt pacta Voſſemenſia inter Elect. Brandenb. et Gallum conventa, qvorum ſibi cura eſſe debeat. At per ea non diſſolvitur obligatio Brandenburgici de ope Imperio ferenda. Nam haec in ditionibus, et, ut hodie loqvimur, in territoriis inhaeret, ut ei, ſalvo iure ordinis, a nemine renunciari poſſit. Separata itaqve, et ratione principatus facta, conventio illam, imperii nomine debitam, non tollit. Id etiam prope riſu dignum eſt, qvod in Burgundia liberum *Comitatum* Brandenburgico ducere non liceat. Eqvidem ille ad Ordines ſpectat, Imperio ac ei iure, meritoqve vindicandus eſt. Hoſpes enim ſit in imperio, qvi neſciat, ratione eius *Archiepiſcopum* Veſontinum etiamnum in comitiis dicere ſententiam: licet nuper revocaverit legatum, propter Gravetii importuniſſimi, cum Ratisbonae eſſet, minas, propterea qvod liberius qvaedam dixiſſet in Gallum, enunciata, ut tunc fieri ſolebat, a Bavari Legato. Verum haec tu, Domine, rectiſſime noſti, et ſanctiori iudicio expendiſti dudum: ego repeto vota mea, et deſino in pietate, ac voveo tibi felicitatem omnibus numeris abſolutam. Kalend. Ian. cIɔ Iɔc LXXV.

CXCIIX.
EIDEM.

BVrgundia Transiurana, qvae aliter Gallia Ciſalpina dicitur, Karolo Craſſo, vita functo, erepta eſt Karolingis, qvi eam trecentis ſex, et ſexaginta annis tenuerant, poſtqvam Rudolphus I. hu-

ius nominis eam occupavit; nec iure, ſed malo, et illis qvoqve temporibus non raro exemplo, a Regno Francorum Germanorum abalienavit. Inde ad Saliqvos in Conrado II. cuius res, áctaqve deſcripſit Vippo, pervenit. Nam Rudolfus III. Arelatenſis Rex, ut gloriam ſibi ex novo ſucceſſore qvaereret, Conradum II. Saliqvum regni Burgundiae Transiuranae heredem ſcripſit, ipſe heredum expers. Ita factum eſt, ut regnum hoc continua ſerie recta deferretur ad Henricum V. Imperatorem, publice, privatimqve infelicem. Hic cum ſine prole decederet, Duces Sveviae, ut Otto Friſingenſis prodidit, iſto regno ſunt potiti: qvorum exitio feliciſſimus Imperii ſtatus ita mutatus eſt, ut paterentur Germani illud invadi pariter, ac occupari a Gallis, ut auctor eſt Monachus Colmarienſis: qvanqvam, qvod hi vi fecerunt, iſti iure pati non debuerunt. Verum Burgundia Ciſiurana meliori titulo pervenit ad Capetingos, qvae tamen poſtea cur, et qvibus modis ſucceſſionem Capetingorum cum Auſtriorum commutaverit, alibi perſcribam, contentus commendaſſe Flodoardum, et Andream Qvercetanum; illum X. ſeculi, hunc recentiorem, neqve ineptum ſcriptorem. De actis publicis iam conſtat incepti poenitere Svedis, et odium apud omnes Imperii Principes, vix toto ſeculo delendum, conciliaſſe. Hi exitus ſunt conſiliorum vehementium. Nemo enim neſcit iam ab A. cIↃ IↃc LVI. proprium, inſitumqve odium Svedorum in Germanos Batavosqve. Vereor ſane eventus multo peiores: tametſi optandum

fue-

fuerat, olim ſaltem de noſtris partibus bene meritos prudentius incubuiſſe in ſtudium potentiae aeqvabilis, inter Hiſpanos, Galloſqve inſtituendae. Alia tempora poſcebant aliud conſilium. Sed enimvero tu, Domine, dexteritate tua ſanabis eos morbos, ex qvibus reſpublica dudum aegrotat: nunc vero paulo reſtituta, tua praecipue ope, recipit vires, et melius habet. d. Ianuar. cIↄ Iↄc LXXV.

CXCIX.
EIDEM.

Armatae Svedorum, qvos Vtriqve Chriſtianiſſimi Regis Orator, donis pellexit, minae paſſim, et praeſertim apud Batavos, evileſcunt. Miror etiam, ad minandum tam pronos fuiſſe hoc maxime ſtatu rerum, qvo neqve audere aliqvid poſſunt, et volunt eſſe conciliatores. Nunc primum enim omnes intelligunt, qvo animo ſint erga Imperium: doleo tamen, vel *Proteſtantium* cauſa, eorum animos ſubiiſſe hunc impetum, ut tam intempeſtive minarentur, et iam aperte proderent, ſuam potentiam Gallo venalem eſſe. Illud vero graviter fert Imperium, et in primis ad Saxonis noſtri, tuamqve curam pertinet, qvod hoſpitii militaris ſaepe modum exceſſerint, et ratione eius, conceſſo Principibus Imperii iure propemodum abuſi fuerint, remqve eo deduxerint, ut ſuperior Saxonia turbari videretur. Ex actis mihi conſtat, a tempore Caroli Guſtavi haud ſedata Svedorum fuiſſe conſilia, et utramqve Saxoniam

ab

ab iis irreverenter habitam, ut cum ab hodierno Electore noſtro, pro fide muneris ſui, qvod in ſuperiore ut vocant circulo gerit, eſſent admoniti, deſiſterent incepto, per acerbam epiſtolam cum eo expoſtulaverint. Mihi qvidem fervida Gardiana conſilia approbat eventus, et fama in verum vertit, qvod multis abhinc annis accepi Svedos cuperc oppreſſam Germaniam, et Gallo apud Rhenum ſibi apud Albim, Viadrumqve imperium conſtituere in animo habuiſſe. Excuſat tamen eos de tot, ac tantis comminationibus Oxenſtiernae neqve ipſe diſſimulaverim, ſic Svedorum, ut totius Europae intereſſe, ne aút Gallica, aut Hiſpanica Monarchia praeponderet nimis. At vanus iſte metus eſt, Auſtriis ad orbitatem redactis, et rerum ſuarum plane ſatagentibus, Hiſpanisqve ita longa malorum ſerie affectis, ut toto ſeculo neqve ſuperiorum malorum oblivisci poſſint. Adhaec iuſtus erga Sobieskium, benevolentia ſenatorum, et recuperato in Coſacos refractarios imperio innixum, metus ante oculos verſatur, cuius animus a Gallis agitur ad malum. Id qvoqve privatae aemulationis eſt, qvod *Brandenburgici Oligarchiam* metuant, forte, qvod *Darmſtatinum* amicum indigne tractaverint. At qvis neſcit, praeter iuſſum *Electoris* illud factum eſſe, et ea de cauſa Deſſavienſem, altera expeditione prohibitum, Berolini remanſiſſe. Qvis vero Svedos talium iudices rerum conſtituit. Si repeti ipſorum acta debeant, deſcribenti non volumen, nedum epiſtola ſufficeret. Interim bene age, Domine, et con-

conſiliis optimis Germaniae dignitatem orna, ac tuere, et poſteritati demum oſtende, Friſiorum gloriam eſſe immortalem. d. XXII. Ian. cIↄ Iↄc LXXV.

CC.

N. N.

QVod tibi non diſplicet, Poetam me eſſe factum, id apud me pondus habet, atqve arbitror, te eius artis qvoqve peritiſſimum, et memini pulchre, aliqvid in eo doctrinae genere abs te elaboratum veniſſe in meas manus. Neqve illud te indignum, neqve mihi indecorum eſt, eo qvod uterqve ſciamus, veniſſe in huius ſtudii partem ſummos viros: tametſi optandum mihi fuerat hiſtoriae docendae officio fungi, et vires in id intendere omnes, ad qvod cum omnis vitae exercitatio pertinuit, tum ipſa prope natura me traxit, impulitqve. Neqve tamen ſic omitto hiſtoriam, et tam Romanam, qvam ſeqviorem depromo ex poetis, et cum Silio, Lucano, Romanas, Punicasqve res attingo; cum Claudiano, Auſonioqve, Rhenum, Albimqve traïcio; ex Sidonio Apollinari primos Francorum reges deſumo, illuſtroqve. Tum vero conſtitutum mihi eſt omnium ſeculorum, praeſertim medii aevi hiſtoriam colligere ex poetis, et interpretari ex hiſtoricis. Qvod ideo incepi, qvia duxi iuventuti haud inutile, qvae non numerum, ſed vim poetices a me diſcet, eoqve intelligit, non poſſe eſſe poetam, qvi non ſit pariter hiſtoricus. Spectat illuc diſſertatio, auſpicii cauſa valvis affixa, qvae

qvae tibi offertur. Qvam ut cum epiſtola accipias benevole, et mihi in poſterum faveas, qvaeſo te, precorqve. Ego, qvo poſſum ſtudio, ferviam tibi, et, ſine loci, temporisqve exceptione obſervantiam teſtabor. d. XXVII. Ianuar. cIɔ Iɔc LXXV.

CCI.

N. N.

CVm proxime ea omnium ſpes eſſet, Foederatos, occupata Alſatia, hoſtium tyrannidem enervaturos, et recuperandi veteres limites occaſionem habituros non multo poſt apparuit, commutatam eſſe fortunam, et Dachſteinium, qvo aditus in eas regiones patet, veniſſe in Gallorum poteſtatem. Adhaec pleraqve Hiſpanorum conſilia cunctando ſeneſcunt, et, dum pro ſe qvisqve laborant, univerſi prope perduntur. Argentoratenſes, muris ſuis incluſi, et in periculo verſantur, et dolent, ſedem belli in Alſatia fieri ceptam. Kal. Febr. cIɔ Iɔc LXXV.

CCII.

HENRICO, L.B. A FRISEN.

PLaudunt ſibi Galli, liberato Briſaco, caſtro antiqviſſimo, et in hiſtoria Ottonum celebrato, ac primis regni Teutonici temporibus in ditionem Germaniae redacto. Qvod gaudium ipſorum auxit Dachſteinium, proxime, ductu Marchionis Vaubrunii, occupatum, qvod ad ditionem Antiſtitis Argentoratenſis pertinet, et aditu omni Foe-

Foederatos in Alſatiam ſuperiorem intercludit. Qvo factum eſt, ut Palatini res miſerae ſint, ac ſpes multo deterior, ſiqvidem nunc videat fruſtrari ſe expectatione potiundi Philippiburgi, poſtqvam irrita Briſaci obſidio fuit. Alſatia veluti cadaver iacet, foedata a Gallis, et Foederatis: *Marchionatus* Badenſis a Lotharingis exhauſtus eſt : Francia orientalis iterum expilatur. Summatim, cum defenſio ſperatur, omnia licentiae militis ſubiiciuntur. Itaqve optandum reſtitui pacem, praecipue, qvod Gallus ipſe ſe eius cupidum oſtendat, et Oxenſtiernae charta vacua, manu ſua ſubſignata, plenam de rebus ſuis tractandi poteſtatem fecit, ac Svedi ex Marchia retrocedere coeperunt. Qvod ut conſeqvamur, DEO ſupplicabo. d. II. Febr. cIↃ IↃc LXXIV.

CCIII.

EIDEM.

CVm de Patriciatu Karoli M. qvaeſtio eſt, multi praeſtanti ingenio viri dubitant, an nec ſummus Romae Patriciatus denotetur. Qvod ut ego cenſeam, cum alia multa, tum commentarii rerum Karolingicarum hortantur: eratqve tunc ſane iſte Romanorum ſtatus, ut non poſſent aliter, qvam ut eum ſummum Principem crearent, cuius ope, et auxilio contra Longobardos defenſi erant. Nec ratione opus eſt, ubi rerum teſtimonia ſunt in promptu, et publica argumenta delati huius ſummi Principatus, qvae ſummatim continentur in formula Senatus conſulti, A. poſt natum Servatorem

rem Iↄcc LXXIV. promulgati. Id praeterea memorabile eſt, ac mihi cognitum ex numis, Karolum, dum Romanorum Patricius eſſet, ſimplicem circulum; poſtea vero, qvam Imperator inauguratus eſt, inſigne Caeſareum, ſeu coronam, a Pontifice impoſitam, geſtaſſe. Et commodum hic memini, me legiſſe in Corippo poeta, Patritios ceteros qvoqve geſtaviſſe circulum, ſed multo minori poteſtatis gradu, qvam qvo geſtabat Karolus M. iam dum regno Italiae auctus, et urbis Romanae, ac S. P. Q. contra Longobardos defenſor ac vindex. d. V. Febr. cIↄ Iↄc LXXV.

CCIV.

EIDEM.

QVod Europae, et praecipue Germaniae intereſt, optandum eſt omnibus, ut pacis conſilia bene, et feliciter eveniant. Cuius negotii cauſa miſſus extra ordinem legatus Oxenſtirna omnem curam adhibet, ut exacerbati animi reconcilientur. Etſi enim Auſtrii, Galliqve valde contra ſe invicem contendunt: tamen aeqvum eſt eas offenſas, ex qvibus tota Europa detrimentum capit, publicae tranqvillitati remitti. Vtrinqve tamen adhuc omnia magno apparatu comparantur ad inſtaurandum bellum. Nam, qvae pax Batavis, non aeqve Principi Auriaco, et Caeſari expedit. Galli autem nolunt recipere duriores conditiones, et, finibus egregie munitis confiſi, ſecure afferunt, er accipiunt cladem. Brandenburgicus uti ejus rationes poſtulant, ita adduci ſe ad pacem

cem forte ſinet, et, cum de aliena ſalute cogitat, domeſtica non vult oblivisci. Reliqvi Principes partem copiarum, qvam qvisqve Imperii nomine ad expeditiones conferunt, a qvibus non eſt, ut timeat ſibi Gallus. Nam eae non ad praelium, ſed ad defenſionem finium tantummodo educuntur. Batavi per Valdeccium a Caeſare flagitarunt, ut Souchio imperatorem ſufficeret, uſu, et conſuetudine bellandi coniunctiſſimum: Souchium qvippe et contradicendo ſaepe moleſtum, et cunctando ſuis perniciosum fuiſſe. Nec felicior fuit Bournevillii praefectura, qvod intellexi, eius ſocietatem foederatis Imperii Principibus neqve iucundam fuiſſe, neqve utilem. Lenzius proxime magnis itineribus hanc oram tranſiit, et iam tum Luſatiae appropinqvavit. Omnes ſciunt, eum ſtudioſiſſime curaſſe, ut tranſitus ſine noxa eſſet. Argentorati dignitatem Legati ordinarii, ſi vera fama eſt, obtinebit Ablincourtius, rerum ſui Regis intelligens, at ingenio ſcribendae ſatyrae Eriſchmanno impar. d. IX. Febr. cIↄ Iↄc LXXV.

CCV.

CAROLO, L. B. A FRISEN.

EA nunc literatorum fata ſunt, ut ex ſumma contentione, ac diſceptationibus longe vehementiſſimis gloriam qvaerant. Samuel Puſendorfius provocat Scherzerum et Geſenium: virum, ſupremo ſacerdotio praeditum, acerbe inſectatur, imitatus fervidum eorum morem, apud qvos docet. Ægidius Strauchius collegas, familiaritate, ac ne-

ceſſitudine coniunctos, praeter honorem tractat, et, qvaſi haec iuſta cauſa eſſet, Academias, atqve publicos ordines committit. Doleo noſtram, et rei Chriſtianae vicem, et indignor, cum certis nunciis accipio, placere ſibi in ea re adverſarios noſtros, ac cupere, ut laceremur diſſidiis. Ego hic rerum mearum ſatago, et, praeterqvam qvod privatim hiſtoriae me totum trado, publice etiam doceo, qvam vim, qvodve momentum antiqvitas habeat ad poeſin praeclare exornandam. Inprimis eruo poſt Claudianum, Auſonium, Sidonium Apollinarem, poetas medii aevi, ut oſtendam, non ſolo numero, ſed antiqvitate maxime hoc doctrinae genus contineri. Id vero, Domine, celare te nolui, propterea qvod vereor, reperiri poſſe, qvi inſtitutum optimum in peiorem partem accipiant, qvod tamen pertinet ad ſolide erudiendam iuventutem, meqve admonet, non committam, ut ſive dignitati, ſive officio meo deſuiſſe videar. Ita vero te DEVS incolumem ſervet, et tua, illuſtriſſimiqve fratris conſilia proſpera privatim, publiceqve eſſe iubeat. d. XXII. Februar. clɔ Iɔc LXXV.

CCVI.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

CArolus Aemilius, Septemviratus Brandenburgici heres, praeter Patris, et omnium civium ſpem, ſuperiore anno deceſſit, Princeps eo magis laudandus, qvia more veterum Graeciae principum, verſatus eſt in caſtris, neqve ſuam a Patre

for-

fortunam ſeiunctam eſſe voluit, cum ut ad belli artes erudiret animum, tum ut in poſterum praeſidium eſſet ſuis, ac in tempore ſuccurreret afflictis rebus. Simulac enim de expeditione Gallica audivit, neqve Imperio, neqve Patri deeſſe ſe oportere, exiſtimavit, cumqve procul armis in tuto loco commorari poſſet, non recuſavit proficiſci in bellum. Praeterea, rebus Imperii in periculum adductis, Viennam diſceſſit, et legationem multo labore, atqve induſtria obivit, effecitqve prudentia ſingulari, ut factio eorum opprimeretur, qvi impediviſſent huc uſqve, qvo minus Germaniae res felicius gererentur. Ita cum et gratia Caeſaris amicitiaqve principum floreret, ac ſtuderet maioribus eſſe ſimilis, primum male habere coepit: mox, vehementi morbo, cum nihil contra eum remediis effici poſſet, in honeſtiſſimo bellicae laudis conatu, et curſu avitae gloriae ereptus, omnibus ſui deſiderium reliqvit. d. XXV. Februar. ↀ Iↄc LXXV.

CCVII.
EIDEM.

IOannes Sobieſcius, qvi multo periculo, et labore Poloniae regnum inſtaurat, hoc qvoqve laudi ſuae adiecit, qvod Coſacos, certa conditione libertatem, ſtipendiumqve exiguum ſibi pactos, proxime ad obſeqvium revocavit. Qvod, etſi nunqvam crediderunt ſapientes poſſe fieri, praeſertim difficilimo Reipublicae tempore, qvo Proce-

ceres iverunt in partes, et Lituani Regem deſeruerunt: tamen nunc res minime ambigua eſt, rediiſſe in fidem, obſeqviumqve Coſacos, et recepiſſe privilegia, atqve immunitates ſuas, et deniqve ſingulas in militem tunicas, veteri exemplo, ſtipulatos ſibi eſſe. Itaqve nusqvam laborat Polonia, hanc felicitatem conſecuta, qvantam, qvi certis nunciis non acceperunt, adduci non poſſunt, ut credant. Ego vero et Reipublicae eo nomine gratulor, et voveo, uti eo Rege et veteres fines recuperet, et avitam dignitatem firmet, d. XXIIX. Febr. cIↃIↃc LXXV.

CCIIX.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

CVm ſaepe cogito, Gallos in colendo ſuo Rege ſtudioſiores eſſe, tum id maxime perſpicio in illis, qvi putant, ampullam Rhemenſem coelitus miſſam, ut teſtimonium eſſet praerogativae Regum Gallicorum. Non Auberii Friſtani vanitatem moror, qvam velut uno conſpectu videre liceat apud Io. Iac. Chifflerium. Nunc enim mihi tantum res erit cum Vilelmo Nangio, Monacho S. Dioniſii, homine perabſurdo, et ſui plane oblito, cum ſcriberet, Ottonem Imperatorem a Lothario, Gallorum Rege, Lotharingiam titulo beneficiario poſſidendam accepiſſe. Qvod qvam falſum ſit, nullo negotio doceri ex Flodoardo, et Sigeberto poteſt. Etenim ex utroqve conſtat, Regnum Lotharienſe, qvod poſtea in *ducatum* eſt converſum, ab Ottone M. iure belli, et transactionis

nis acqviſitum eſſe. Id vero multum abit a beneficiario titulo, qvod ab optimis, et qvorum auctoritas apud ipſosmet Gallos valet, hiſtoricis adſcribitur iuri armorum, et pactis conventis. Servit nihilominus tempori Auberius, et palam contra ſentit, parum idoneus cauſae Regis ſui patronus, et hiſtoriae pariter, atqve omnis humanitatis ignarus. Qvi ſane a populari ſuo, Dionyſio Petavio, admoneri poterat, Nangium ſcatere ineptiis, et infeliciter qvoqve eruiſſe origines Capetingicas, et meruiſſe inſuper, ut a doctioribus Gallis caſtigaretur. Cum vero, auſpicio Caroli V. Lotharingici Duces a regno Germaniae ſeparatas rationes acceperint, tum proximis temporibus ita facies eius *Ducatus* immutata eſt, ut Gallus, poſtqvam, recuperata Alſatia, elatior factus eſt, non alia lege Lotharingiam Carolo Duci redditurus ſit, qvam ſi eam, mercede obſeqvii beneficiarii recipiendam, paciſci velit. Tametſi autem id foret periniqvum, et vehementer contradicit Caeſar: tamen Lotharingus in periculo verſatur amittendae ſupremi Ducis poteſtatis, qvia pleriqve Foederati animis cadunt. Galli, dici non poteſt, qvae belli horrea, qvae arma parent: contra Palatinum metus, et memoria ſuperiorum damnorum; Badenſem perſvaſio ſecuritatis, et res iucundae ab acriori belli cura avertunt. Et Gvelfi adhuc cum Hannoverano, a qvo tamen non magnopere metuendum eſt, confligantur: reliqvis formidinem incutiunt Svedi, et audaciam pro muro habent. Duas Brandenburgici expeditiones irritas fecerunt,

runt, et, ob ſeceſſionem, ab ſe A. cIↄ Iↄc LVII. factam, odium, iramqve ſuam explentes, hanc vicem reddiderunt: a qvo inſtituto cur eos religio noviſſimorum, cum Brandenburgico initorum, pactorum non avocaverit, mirari poſſem, niſi exploratum eſſet, eorum omnia conſilia ſpectare ad incidendum Brandenburgicae et Brunovicenſis potentiae nervum. Brandenb. regiones iam dudum exhauſtae ſunt: unum in praeſentibus legionibus momentum ſupereſt. Eo magis autem Brunovicenſes ipſis extimeſcendi videntur, qvia et provinciis opulentis, et prompta, parataqve militia innituntur. Ad haec non ex vano exiſtimant, Daniae Regem, et Electorem noſtrum non defuturos eſſe fundatae a multis ſeculis domui, et tot neceſſitudinibus innexae. Ceterum Auſtria prudenti cunctatione, et tempeſtiva cauſae etiam iuſtiſſimae moderatione, praecipitia, et fervida conſilia intuetur. Qvod ſi in cauſa iniuſta feciſſet olim, et Lubecae Guſtavi Adolphi legationem magis comiter habuiſſet, adhuc veteribus finibus contra Gallos, Svedosqve potentiam ſuam metiretur. Batavi, in admiratione defixi, legunt, audiuntqve, qvod Svedi non erubeſcant affirmare, ſe citra hoſtilitatem hoſpitia militaria ſuis in Marchia, et Pomerania deſignaſſe. Auriacus profecto optat bellum, qvippe qvo eius auctoritas roboratur, qvae pace crebris Senatus Generalis contradictionibus deſtruitur, Souchii vero moroſum, ac diſcors, et inutile foederato bello ingenium per Georg. Frid. Valdeccium vehementiſſime accuſavit. Propter eam cau-

cauſam Montecucullo Praefectura belli iterum delegabitur Bavarum Palatini calamitas ad ſanctius erga Caeſarem ſtudium, obſeqviumqve inflexit, unde ſparſus rumor eſt, Gallos odio erga eum ſic mutatos, ut eius heredisqve Electoratus Principes e medio tollendi clanculum conſilium ceperint. d. V. Mart. clↄ Iↄc LXXV.

CCIX.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

SVperioribus annis brevem ad te perſcripſi epiſtolam, qva res, actaqve Henrici IV. complexus ſum. Eo minus autem id obliviſci nunc debeo, qvod aliud argumentum literarum cogitanti offerrentur mihi veteres epiſtolae Henrici IV. et Gregorii VII. A. clↄ Iↄ LXXXI. a Reinero Reineccio editae, qvibus nihil iucundius eſſe tibi poteſt, ſi in manibus ſunt, et eas legere vacat. Optarem, Goldaſtum, cum evulgaret *conſtitutiones* una recenſuiſſe: qvanqvam huius Monarchia Imperii, vaſtus, nec inutilis liber, ad tale argumentum ſpectat, ac teſtimonium ſtudii, induſtriaeqve praebet. Id vero doleo, qvod ſaepenumero vir, tantam ingenii vim conſecutus, iudicium non adhibuerit, qvod tamen in expedito fuit omnibus ſubſidiis, doctrinarumqve harum inſtrumentis aucto, ornatoqve, niſi forſan interdum, ſtipendio conductus, id non audebat. Nam ſponte qvaedam inſeruiſſe *conſtitutionibus*, multa vetant, qvo minus ego credam. In publicis, Domine, multae ſunt commutationes rerum. Batavi per lu-

dum exhibent aegrotantem Galliam, nec tamen dubitant Galli, familiari gentis more, gloriari, minari, omnia demum conqvirere ad terrendum. A Palatino Rex poſtulavit qvaedam praeter ius, atqve omnem moderationem: accepta repulſa impetum ſtatim in ditiones effudit. Svedorum nomen ſemper crepat iſte populus: at pro certo habeo, Svedos nihil eius cauſa molituros. Arctae ſane horum res ſunt: miles fama, qvam re, maior: periculum anceps: metus a vicinis ingens: *Proteſtantium* usqve huc in Caeſarem amor, et coniunctae vires; Imperii exercitus: auxilia in tam iuſtae, honeſtaeqve defenſionis cauſa: qvae ſcio conſiderari: a Svedis, id tamen prudenter obſervari, ut, facta Angli diſceſſione a Gallo, tanto enixius qvaerant occaſionem reſtituendae pacis, qvod antea non facturi erant. Tum vero credunt, Germanos his rebus opportune admonendos, ut, potentes Imperatores dum accipiunt, pariter et metuant, memores temporum Caroli V. et Ferdinandi II. qvorum confirmata potentia in bellum civile deſinebat, et, priusqvam crederetur, plenioris Imperii fructus proferebat. Nam non facile modum tenet, qvi exceſſit, ſi par potentia pari metu conſervatur: ſin alterutrius praeponderat, alterum deprimi eſt neceſſe. Caute ſatis, at nunc non tempeſtive, ubi Germania Gallum pro hoſte habet. Hoc depulſo, atqve ad honeſtam pacem adducto, et Epiſcopis ad officium redactis, facile providebit, ne internus hoſtis exiſtat. d. VI. Mart. cIↄ Iↄc LXXV.

CCX.

CCX.
EIDEM.

PRaefecturae iſtae ſacrae, qvae ad ordinem Teutonicum ſpectant, ac vulgo *Commendae* appellantur, inſtitutae ſunt Friderici II. aevo, qvod ſicut Germaniae infauſtum, ita ad hanc ſectam militarem fatale fuit. Pauca qvidem adhuc eius rei *diplomata* mihi oblata eſſe, fateor: vide tamen membranam, A. cIↄ CCC XXIII. in qva Gebhardus Portfeldius ſe ſcripſit hac formula: *Dei gratia Commendator in Sublinburg.* Cumqve opera, et conſilio aliorum eo uti vellem, commodum ad me qvidam ex patria mea in eandem ſententiam perſcribere voluit, vidiſſe ſe codicem manu exaratum, qvi eundem annum Haſſiae *Commendae* oſtendat. Illud tamen non auſim affirmare, ac ſi nullae Praefecturae huiusmodi coeptae eſſent ante A. cIↄ CCC XXIII. ſed qvod certe, ante Imperium Friderici II. nullas inſtitutas eſſe, confirmare poſſim. Vtinam vero iſte Ordo iis, qvibus olim, ornamentis, praeſidiisqve redundaret, et qvod antiqvitus ſuſcepit contra Turcas, idem nunc ſuſciperet contra Gallos. Sed cum id ſperare non liceat, erigat nos expectatio exercitus, tripartito contra Gallos, ſi obſtinati eſſe pergant, inſtruendi. Qvanqvam ſi vincantur Galli foris, domi tamen, propter munitos ubiqve aditus ſecuri eſſe poſſint: nobis autem, ſi male cadat alea, regionum qvoqve occupandarum periculum impendeat. d. XII. Mart. cIↄ Iↄc LXXV.

CCXI.
N. N.

GRatulor tibi, ex Svedia reduci, et gratias ago pro animo multo prolixiſſimo, qvem mihi proxima epiſtola declaraſti. Nam dum conſvetudinis, qvae mihi cum Vaſmero interceſſit, recordaris, approbare mihi videris operam, qvam in eo recte inſtituendo collocavi. Id vero et me delectat plurimum, et facit, ut magis accendar ad expoliendos optimos iuvenes, in qvibus reipublicae ſpes eſt. Lubrica enim plerumqve ſunt ingenia eius aetatis, et conſilio, prudentiaqve iuvanda, ne aberrent temere, aut licentia, qvae cum pernicie coniuncta eſt, perdantur. Qvapropter, ut praeclare exiſtimas, rectorem deſiderant, atqve eos ingrediendae vitae auctores, qvi et divini, humaniqve iuris intelligentes ſint, et prudentiam civilem perſpectam habeant. Qvi cuiusmodi ſint apud nos, non ſcriberem, niſi ex me percunctari voluiſſes, praeſertim ſummi viri, a qvo invitatus, cauſa. Nihil diffitebor: Familiam in his ducit Caſpar Zieglerus: ab hoc proximus eſt Gvilelmus Leyſerus, iureconſultus profecto ſolidus, et accurus. Poſt eos hunc ordinem ornant Ioachimus Nergerus, et Vernerus Theodorus Martini: demum agmen claudit Strauſſius, hoc menſe in Ledereri defuncti locum ſurrogatus. Reliqvi maiorem famam exercitatione forenſi, qvam ſcientia iuris ſibi compararunt. Nec deſunt nobis, qvi diſciplinas optimas doceant: Buchneri tamen

men hic ſimilem neſcio, etſi eius non inepti hic ſint imitatores. Iam enim ſexdecim fere anni ſunt, cum Buchnerus, eximium Vitembergae ſuae decus, deceſſit. Ei ſuffectus eſt Kirchmaierus, vir diligens, et cupidus excitandae iuventutis. Mathematicas doctrinas illuſtrant Michael Valtherus, et Michael Strauchius: in Philoſophia morum verſatur Chriſtianus Roehrenſeius, Vendeleri ſucceſſor. Qvae ad prudentiam civilem pertinent, me occupant, et eo qvidem magis, qvod omnis prudentiae civilis nervus hiſtoria civili contineatur. Neqve enim praeceptiones ſufficiunt, nec obiter allatae rationes, aut ex trivio petita exempla; ſed in eum campum, ubi hiſtoria ſe aperit, eſt deſcendendum: monumenta omnium aetatum, nationumqve inſpicienda: res atqve acta imperiorum inveſtiganda optimo, et cuius mihi traditum eſt exemplum, Conringiano more. Sed ne mihi ipſi blandiri videar, reliqva in aliud tempus differo, meqve tuo nomini commendo, oroqve DEVM immortalem, ut te, nobiliſſimamqve ſtirpem tuam, tota Nordalbingica perpetuo florere iubeat. d. XIII. Mart. cIↄ Iↄc LXXV.

CCXII.

M. ARTOPOEO.

NOli me fruſtrari, et libera fidem tuam. De ſcheda Pufendorfiana mihi ſatisfeciſti, et probaſti amorem tuum. Vnus reſtat Trithemius, cuius uſum abs te peto, et credo, alienas eſſe a tuo animo ſuſpiciones, qvibus fas non eſt indul-

gere

gere amicos. Nec tamen mea, qvam Ziegleri cauſa librum expeto, cui ſpem feceram eius accipiendi. Ego alioqvin hiſtoriam Moſellanicam ita ex *diplomatis* explicatam habeo, ut carere poſſim Trithemio. Ita mihi in omnibus rebus adiutor DEVS eſt, et excitat viros boni publici cupidos. Alioqvi ſcias, Trithemii fere omnia fabulis ornata eſſe, ubi ſine inſtrumentis publicis loqvitur, et eius gentis, de qva ex inſtituto ſcripſit, veras eum origines non habuiſſe cognitas. Suppetunt mihi Chronica Belgica, Colonica, per affinem meum curata, diplomatisqve inſtructa, ex qvibus iudicavi, qvalis eſſet. Contendi eum ſaepe etiam cum ſcriptoribus retro priſcis, et reperi nihil diſſimile huius moris. In Francicis ridetur qvoqve a Gallis, qvos, fatendum eſt, cumulatiſſima iſtius hiſtoriae ſubſidia habere. De aliis nihil addam, ne, ſtudio me deterere laudes *Abbatis* ſane alioqvin docti, putes. Tantum te obſecro, virum, mihi ſempiterno amore colendum, Horbium multa ſalute impertias, ac literarum, qvam primum a me reddendarum, ſpem facias. Eidib. Mart. cIↄ Iↄc LXXV.

CCXIII.

IO. HENRICO HORBIO.

SAepe mihi ab eo tempore, qvo fratrem doctiſſimum tuum mihi commendaſti, venit in mentem optare, ut veniret huc, et vivam tui imaginem afferret. Sed plerosqve ditiſſimos Nobiles

biles nobis eripuit ſeverior ſuperiorum temporum diſciplina, ut iam, praeter Coldnerum, qvi cum Orthio veſtro huc commeavit, vix duo hic ſint, qvi, liberali mercede conducti aliorum vitam, ſtudiaqve moderentur, niſi qvod proxime Vincentius Garmers, reipublicae Hamb. conſiliarius, ad me ſcripſit, illuſtrem qvendam aulae Holſatiae adminiſtrum propoſuiſſe ſibi filium Academiae noſtrae erudiendum tradere. Eadem, ut accepi, Brandii, Eqvitis Saxonici, et tribuni militaris, mens eſt: qvam ſi non inmutatam eſſe ſenſero, faciam, ut intelligas, me tua cauſa nihil recuſare velle, praeſertim qvod ea animo tenet frater tuus, qvae ad exqviſitam hiſtoriae notitiam, doctrinasqve inſignium gentilitiorum in primis pertinent. De meis autem rebus ſcribendum eſſe duxi, obtinuiſſe me plenam profeſſoris dignitatem. Mallem eqvidem, in convenienti mihi eruditionis genere: nunqvam enim eo conſilio me ſtudiis tradidi, ut Poeticam docerem: voluit hoc tamen Potentiſſimus Saxo noſter tamdiu, donec diſceſſu Greniano hiſtorica mihi credi poſſet. Morem geſſi, cum ut ſtudia humanitatis, paulum intermiſſa, excitarem magis, tum ut privatim in docendae hiſtoriae officio pergerem, et ne ſic qvidem intermitterem, qvod ad iuvandos Academiae cives idoneum, atqve utile exiſtimarem. A te autem iure qvodam meo poſtulo, ut, qva polles Francofurti auctoritate, ea utaris ad ſcriptores, a Reubero, Freheroqve editos, denuo excudendos. In qvo genere Zunnerus ſe adhuc praeſtat virum, et Rempublicam literariam

riam multis modis ſibi obſtringit. Qvapropter ei animum addas, et in laudabili propoſito confirmes. M. Artopoeus Rationale Goldaſti, qvod Dresdenſes noſtri Proceres iam dudum deſiderant, afferet, qvod, fac, ut qvamprimum rurſus lucem videat. De publicis qvantum perſpici coniectura poteſt, Foederati ante pacem, qvam expectamus, forſan decretorio praelio experientur. Svedis magnam invidiam conciliavit ſtudium Gallicum. Oxenſtierna deprecatione ſua, pro Vngaris, Sileſiisqve facta, irritavit potius Purpuratorum Viennenſium animos, qvam emollivit. Brandenburgicus ſane, Svedos adeo praetermiſiſſe officium ſuum, affirmat, ut legato ipſorum conſilio Imperii interdicendum eſſe, putet, eoqve ſolicitaverit Caeſarem et Ordines, ſi Svedis tam obſtinate, et cum ſua iniuria, hoſpitia in ſuis regionibus deſignare pergant. Illud certe verum eſt, de ſuperiori poſſeſſione gloriae, exiſtimationisqve ipſorum, multum detractum eſſe, et prius lupos ovibus, qvam Svedos Brandenburgicis et Luneburgenſibus ſincere conciliatum iri. Sed haec ſatis. Interim DEVS te in florentiſſima republica florentem ſervet. Caius et Servius qvaeſo, officioſiſſime ſalutentur. *Vterqve* Pompeii ſe tibi commendant per interpretem me enixe, et profecto ita hic vivunt, ut ultro praeclarum teſtimonium iis impertiri poſſim. d. XVI. Mart. cIↄ Iↄc LXXV.

CCXIV.

CCXIV.
N. N.
Francof.

NVnc demum mirari poſſes audaciam meam, niſi proximis literis, qvas Lipſia ad me dediſti, promiſſa tua confirmaſſes. Itaqve ea fide, et animi erga me conſtantia fretus, identidem cogito, qvemadmodum primo qvoqve tempore gratiſſimum animum declarare tibi qveam. Nunqvam enim committam, ut tanti beneficii oblitus videar: praeſertim, qvod id ſtudiis meis tribuere voluiſti, ut qvoqve te adiutore pluribus ornamentis redundarent. Tum vero perſpicis brevi, illud, qvod abs te profectum eſt, officium cum publico nominis tui honore coniunctum fore. Ita te DEVS ſervet, et ſtudia, honoremqve tuum praeſidio ornet, muniatqve. d. XVI. Mart. cIɔ Iɔc LXXV.

CCXV.
N N.

ABs te accepi duas epiſtolas, qvibus intellexi, te ſalutis Klickjanae eſſe cupidiſſimum. Cumqve mihi eius iuvandi partes impoſuiſti, nihil tua cauſa defugiam, et, qvantum in me eſt, optimo, et cordatiſſimo iuveni ſerviam. Nam et vitam, et dotes eius valde probo, et vivam tui candoris imaginem in ipſo contemplari mihi videor: tantum ampliora fortunae ſubſidia illi opto, ac te rogo, ut omnes rationes tuas ad eum iuvandum accommodes,

des. Crede enim mihi, fore, ut ad laudem tuam pertineat, talem clientem habuiſſe. Proxime etiam hic fuit M. Artopoeus, doctus, atqve egregius vir, et verus mecum applauſor tui honoris: qvanqvam, neſcio qvod, triobolare hominum genus Lipſiae muſſare de te aliqvid ſiniſtrum, audio: qvod tamen, infra tuam gloriam ſit timere. Proletaria enim eſt eius hominis antiqvitas, qvi tibi non bene cupit. De me tibi perſuadeas, et laudis tuae, et dignitatis perpetuum propugnatorem fore. Zieglerus me, cum honorifice tui a me iniecta mentio eſſet, obſecravit, ut te multo officioſiſſime ſalutarem. De cetero hic omnes ſumus ſalvi, atqve incolumes, et fruimur optata pace, niſi qvod Svedi, religionis pactorum obliti, nuper hoſpitia militaria ſibi in Marchia Brandenburgica deſignaverunt, conducti a Gallo, ut diſtinerent ſidentem copiis ſuis Electorem. Qvibus praecipitibus conſiliis qvantum de veteri gloria detraxerint, vix dici ſatis poteſt. Sanctionem Veſtphalicam violaverunt: fidem, anno, cIↃ IↃcLXXIII. Elect. Brandenburgico datam, non ſervarunt: circulum ſuperioris Saxoniae indigne tractarunt: auxilia proportione ſua debita denegarunt, contra officium conciliationis fecerunt, atqve intercedendo per Benedictum Oxenſtiernam Viennae rem eo deduxerunt, ut multo, qvam ante peiori loco eſſet. Doleo veteres noſtros vindices tam imprudenter agere, et omnium odia factis iſtis iniqviſſimis ſibi conciliare. Iterim vale. d. XVI. Mart. cIↃ IↃc LXXV.

CCXVI.

CCXVI.
MARTINO DRACHERIO.

SPem mihi facit inuſitata tua humanitas, ut, qvam aliis benevolentiam praeſtas, eam ne mihi qvidem ſis denegaturus, praeſertim qvod Kelleri qvi ſtudiorum gratia apud nos commoratur, obteſtatione eo adductus fuerim. Is ut iuventae lubricum eſt, per me rogat, uti auctoritatem tuam ſibi praeſtare velis, et collocare deprecationis officium, atqve mitigare iratum animum Patris. Qvod recuſare non potui, neqve dubitavi, qvin ipſe tu aeqvo animo accepturus eſſes. Errant ſaepe ingenia, et prava conſvetudine a rebus ſeriis avocantur: ea vero ſi rerum ante actarum dolore afficiantur, et, ad frugem reditura ſe, promittant, dandum eſt aetati aliqvid, ea tamen lege, ut tempeſtiva reprehenſione in honeſto propoſito confirmentur. In horum numero cum ſit Kellerus noſter, et ſuperioris vitae eum poeniteat, qvaeſo te, ut ſaluti eius faveas, et hoc qvoqve officium tribuas, ut ſtudium ſacrum, qvaſi pro derelicto habitum, cum ſtudio rerum civilium commutare, atqve, eius inſtituti cauſa, iter alio ſuſcipere ipſi liceat. Haec Kelleri mens eſt: iudicium penes te, patremqve erit: ego ſatis habeo navaſſe operam, qvam tot repetitis precibus a me flagitavit. d. XVI. Mart. cIɔ Iɔc LXXV.

CCXVII.

TOBIAE PEVCERO.

GRatum mihi laborem ſuſcepiſti, qvod proximis literis mihi declaraſti nomina Auguſtae ſobolis. Qvanqvam enim ea mihi aliunde ſuppetebant: tamen de qvibusdam ſubdubitabam. Nunc autem tua opera confirmatus ſum, qvae non eſt exigua tuae erga me voluntatis ſignificatio: neqve ex memoria mea unqvam evelletur. De Caeſaris expeditione omnes bene ſperant: Friderici autem res, actaqve deridentur. Brandenburgico optamus meliorem fortunam, et nihilo deteriores vicinos. Svedi enim contra ius, fasqve omnium pactorum eum adorti ſunt: nunc tamen retroceſſerunt paulo, atqve adhuc minantur. Sed ita Imperium offendunt, et ſibi ipſis nocent, dum Gallo ſtudent. De Vngaris, et Sileſiis male meritos eſſe, ipſe ſcis, eo qvod, interceſſione pro iis facta, modum exceſſiſſe, et, dum peterent, arma oſtentaſſe videantur. d. XVI. Mart. cIↄ Iↄc LXXV.

CCXIIX.

N. A KOETTERIZ.

IVcunda eſt mihi recordatio ſuperioris noſtrae amicitiae, qvam proxima epiſtola confirmaſti, et, ne qvid benevolentiae erga me tuae deeſſet, decora gratulatione me ornaſti. Ego viciſſim tibi, ac ſtudiis precor, ut ab iis ornamenta in patriam, ſtirpemqve tuam proficiſcantur, et omnes hone-

honeſtisſimi conatus tui ad avitam gloriam, ſingulari, atqve tuo ingenio propria contentione, referantur. Perſpexi enim, cum hic eſſes, vim divinam animi tui, et dotes longe maximas, qvae ſane non poſſunt fallere ſpem meam, ſi, ut coepiſti, curſum laudis tuae conficere pergas. Notum certe habeo ardorem, conſtantiamqve tuam, atqve adeo in ſpem venio, fore, ut qvamprimum per te Koetteriziorum gens, ac tota patria illuſtretur. Qvod ut conſeqvaris, opto, et, conſecuturum eſſe, certe affirmo, ſi priſtina virtute, continuataqve ſuperiori diligentia nitaris. d. XVII. Mart. clɔ Iɔc LXXV.

CCXIX.

L. IODOCO SLAFIO.

Prettinens. Antistiti.

Mitto iuvenem ad te, vita, et doctrina commendatisſimum, gente Francum, qvi propterea non audet repetere patriam, qvod ibi omnia ſunt in luctu, et ſqvalore belli, optatqve, non disiungi longiori intervallo ab Academia. De ſtipendio, qvo illum conducturus es, dixi, et paratus eſt inire conditiones, qvas tuliſti. Hinc ad te venit, ut praeſens, qvae tua mens ſit, experiatur. Ceterum *Vittati* vocabulum in momento aliqvo, ſeparatim extante, nondum reperire potui: ut primum autem eius reperiendi copia fuerit, ſignificabo. Credo autem, ut alia, uſu Germanorum ſerius ea notione receptum, et ante

 XIII.

XIII. ſeculum non extare. Diploma Dommizenſe avide cupio videre; nec magis me tibi devincire poſſes, qvam ſi eius exemplum viro optimo extorqveres. Diploma *Electoris* Venceslai, aut ſaltem ei praeſcriptum titulum communica. Item Alberti III. ultimi Aſcanii, titulum vehementer deſidero. Ita DEVS te ſervet. d. XIIX. Mart. cIↄ Iↄc LXXV.

CCXX.
HENRICO, L. B. A FRISEN.

ITerum totis viribus armantur Galli: pars ſub Turenii ſignis penetrabunt, in Moſellanicam veteris Lotharingiae portionem: pars ius, ac poteſtatem extendere trans Moſam, Condaeo duce, conantur. Nec ſegniora ſunt Foederatorum conſilia; neqve dubito, qvin denuo armis rem tentaturi ſint, qvi tripartito exercitu reſiſtere ſtatutum habent. Permanet in propoſito Brandenburgicus, et Svedos fractae pacis coarguit, vehementi ſane epiſtola, ut omnes eorum intelligant deſtinationes. Ipſe diffiteri non poſſum, Svedos proximis annis multum ab ſe Germanorum animos avertiſſe, qvod verbis, ac foederibus praeferrent amicitiam, et factis odia penſarent. Brandenburgico illuſerunt, procul omni Imperatoris foederati reverentia: tantum, ut omnes eius expeditiones irritas redderent, atqve hoc modo invadentibus Gallis omnia opportuna facerent. Cum iuvandum Imperium eſt, tergiverſantur, ac praetextu officii conciliationis, ab ſe ſuſcepti, auctori-

tatem

tatem ſuperioris Saxoniae minuunt, rogata pro portione ſua auxilia denegando. Vereor, ne idem illis, qvod olim Luzenburgicis evenit Bohemiae Regibus, tandem qvoqve uſu veniat, qvi amicitia Gallica plus Imperio, qvam aperti hoſtes armis nocuerunt. DEVS enim approbare non poteſt iſtas, contra libertatem Teutonicam, praeter ius, fasqve comparatas inſidias, qvas nunc non ſapientes modo, ſed vulgus etiam perſpicere poteſt. Sed munus intercesſionis, pro Vngaris, Sileſiisqve, qvam bene poſitum ſit, omnes ſciunt. Nam aſperis remediis refricuerunt cicatricem, et Caeſaris animum usqve eo irritarunt, ut dixerit P. Mullerus, nunqvam fieri poſſe, ut, permiſſu, beneficioqve Caeſaris, Vngari rurſus libero ſacrorum iure fruantur: vanum, irritumqve eſſe, qvicqvid ex Intercesſione Oxenſtierna ſperetur. Non multum abfuit, qvin iſte Oxenſtiernae labor urbi Vratislaviae proficeret ad praeſidium Caeſaris recipiendum. Praeterea ex actis cognovi, Oxenſtiernam accurate vim pacis Veſtphalicae, qva Principatus Sileſiae reſpicit, non eſſe aſſecutum: qvod maxime miror, qvia ex commentariis Sternbergianis, Regi Svediae dudum exhibitis, colligere expeditum erat. Sed haec alio pertinent, ac modum epiſtolae excedunt: tantummodo nunc tibi precor, Domine, dignam nomine tuo felicitatem, atqve opto, ut tua, cum ſalutis ratione ſuſcepta, conſilia nobis, patriaeqve bene vertant. d. XIX. Mart. cIↄ Iↄc LXXV.

CCXXI.
N. N.

OPeram mihi egregiam collocaſti, et peto abs te, ut Chronicon Torqvati Magdeburgenſe, Thracigeri Hamburgicum, Peterſenii, et noviſſimum Olearii Holſaticum, qvin et Lubecenſe conqviras: pretium libens ſolvam. Scriptores Bohemicos Freheri etiam deſidero, et Iuſti Reuberi Scriptores: qvos ſi comparabis, pecunia ſtatim numerabitur. Rumores de me ipſe ſperno, et pluris eſt mihi mea conſcientia, qvam falſus hominum ſermo. Doceo, ut me decet, et credo, qvod pium eſt credere. Calumnias non moror, et imperitae malitiae tyrannidem deteſtor. d.XIX. Mart. cIↄ Iↄc LXXV.

CCXXII.
CAROLO, L. B. A FRISEN.

EDitum eſt, et, ut ſuſpicor, ab adminiſtro qvodam Brandenburgico ſcriptum Germanicum, in qvo vehementer perſtringuntur Svedi, cum qvod per latus ſemper oppugnent Reipublicae Germanicae dignitatem, tum qvod reconciliatam cum Imperio gratiam, ſolo nominis Gallici ſtudio, nuper immutaſſent. Qvod poſtqvam legi, publicae El. Brandenburgici epiſtolae, qvas comitiis Ratisbonenſibus ſubmiſit, in manus meas venerunt, in qvibus cum ipſis de proximis actis, tanqvam cum Imperii hoſtibus, expoſtulavit. Etenim id moleſte omnes ferunt, talia ab iis contra Imperii leges

leges admitti, qvae cives imperii, qvi iure, non armis, experiri debent, minime decent: ut, niſi ab ea mente deſiſtant, veterem conſervatae Reipublicae gloriam amiſſuri eſſe videantur. Vt de aliis nihil ſcribam, qvae demonſtrant inimicisſimum erga Germanos animum, hoc etiam argumento, qvod *Circulus*, qvi dicitur, Saxonicus ſuperior non modo ab ipſorum officio deſertus, ſed etiam iniuria affectus fuerit. Sed ea ad tuas, illuſtrisſimiqve fratris curas ſpectant, Domine: ego nunc tantum auxilium tuum ordinis noſtri cauſa implorabo, ut in ea voluntate, qvae iamdudum te immortalem reddidit, erga nos, ſpretasqve fere Muſas, atqve ideo benignitatem tuam appellantes, permaneas: conſiliis horum reſiſtas, qvi in perniciem honoris noſtri novos aſſeſſores Medicorum parant, atqve meditantur, ut qvacunqve ratione posſint, nos turbent, locoqve moveant. Id enim tuae incomparabilis prudentiae eſt, et facit ad fovenda, excitandaqve ingenia, ſi videant, ſibi hoc tribui, qvo honor ipſorum conſervetur. Cognoſce autem ex uno Sam. Pemario omnes, qvi nos commoto animo pro concione, obiurgavit, Vir cum erga Principem ingratus, tum in nos iniqvus. Pasſi ea omnia ſumus, et, ut calumniam rixarum ſtudii amoliremur, ne muſſavimus qvidem. Nunc vero, cum iterum deturbandi ſumus, continere ſe patientia noſtra non poteſt, qvin in tua gratia perfugium ſibi qvaerat. Qvamobrem id da meis, meo, totiusqve Ordinis nomine obteſtantis, precibus, ut rebus noſtris, honoriqve Ordinis, paene

ab omnibus oppreſſi, tua opera, validoqve praeſidio conſulatur. Qvod ut ſperamus humilime, qvi noctes, diesqve ſtudiorum liberalium dignitati amplificandae incumbimus: ita omnia vota, precesqve ad perpetuam illuſtrisſimae tuae gentis felicitatem cumulamus. d. XXVI. Mart. cIↄ Iↄc LXXV.

CCXXIII.
SAMVELI HVNDIO,
IC. Dresd.

CVm miraris inſtitutum docendae Poeſeos, plane in re ſeria ludere, atqve ingenio tuo indulgere voluiſti. Nam ab omni humanitate alienus ſit, qvi penitus neget, Lucanum in poetis eſſe numerandum. Claudianus princeps poſt Maronem in carmine heroo, et iudicio Scaligeri egregius, hiſtoriam compoſuit, neqve praeter officium poetae fecit. Ipſe Virgilius tota Aeneide hiſtoriam, verſibus continuatam, complexus eſt. Ineptiat enim, qvi exiſtimet, antiqviſſima Troianorum hiſtoria nihil, praeter fabulas, contineri: qvanqvam ab ea vanitate non abhorruit Philippus Cluverius, in plurimis ridiculus, dum vult eſſe ſerius. Neqve ea mihi mens eſt, ut poeta ſemper veram hiſtoriam doceat; ſed ut mythica, a qva poetae incipiendum eſt, initium ducat: ibi autem cum vulgo non conſiſtat, ſed ad veram qvoqve tranſeat, eamqve verſu ornet. Qvod aggreſſus ſuperiori ſeculo Conradus Celtes primus inter Germanos lau-

ream

ream meruit, inſigni, atqve ad poſteritatem memorabili exemplo. Enimvero, una opera is et poetam eſſe ſe, et hiſtoricum, erudiriſſimis, qvos ipſe H. Conringius commendat, verſibus demonſtravit. Qvapropter de me ſtatuas, non aliam fuiſſe meam ſententiam, qvam qvod iuventuti auctor eſſe velim ſtudii elegantioris, et qvod momentum non in ſchola modo, ſed in vita etiam habere poſſit. Vsqve huc enim, qvi opera mea utuntur, non rogant, ut poeſin, qvemadmodum in trivio ſolent, doceam; ſed nervos, artusqve eius ex antiqvitate oſtendam, et aureum Ciceronis Topicorum librum non magis in eloqventia civili, qvam in poeſi valere, exemplo commonſtrem. Qvod uti non ignoras, ita ſupervacuum duco diluere, qvod a ſcriba tuo allatum eſt argumentum. Nam qvi obit partes tantum hiſtorici, et plane deſerit officium numeri, et menſurae carminis docendae, is procul dubio neminem erudire ad eas literas, qvae decus ex verſu capiunt, poſſet. Qvod cum ego non ſoleam, ſed utilitatis cauſa tantum cum uſu coniungam, nemini, nec illuſtriſſimis Patronis meis, diſplicere poteſt. Qvod de philoſophis Angliae commemoras, verum eſt, niſi qvod ſaepe nimis a gravi, atqve utili philoſophandi genere abeunt. Nuper Spinoza, in libro, qvem philoſophandi libertatem inſcripſit, aliqvid monſtri aluit, eoqve atheorum doctrinas texit: qvae res ſane peſſimi exempli eſt; meruitqve iſte ſcriptor, ut a Io. Melchiore, Batavo, refelleretur. Hobbeſius, qvi multas ſuae philoſophiae reliqvias Baconi de Verulamio

 acce-

acceptas fert, ſubtilitate ſua animum, oculosqve paſcit, praeſertim in Statera Morum: qvanqvam nec inelegans de Cive opus, ſaepe tamen caute legendum eſt. Qvod in Samuele Pufendorfio deſiderant eruditi, qvi, qvantus qvantus eſt, Hobbeſianus eſt. Qvid Grotio enim debeat, legendo facile qvilibet experiatur. A rixis, et conviciis iſtis prorſus abhorreo, et doleo, ſeculum eſſe, calumniari. In ſeriis, et qvae ad conſcientiae tribunal pertinent, maxime mihi iudicii gravitate ſe commendavit Sanderſonus, Anglus, qvi et tacite, et prudenter ſaepe, noſtrum caſtigat Balduinum, virum ceteroqvi incomparabilem, et de re Chriſtiana immortaliter meritum. In publicis, Domus Auſtria ductu Montecuculi iterum tentabit aleam: tripartito exercitu rem agent Foederati. Auriacus bello creſcit, et belli continuationem ante alios ſvadet. Benedictus Oxenſtierna in explicanda ſanctione Veſtphalica ſe qvaſi in ſchola Viennae exercuit, et contra, qvam putabat, exercitus eſt. Svedos opinor, conſilii violenti poenitet; ſed vicit aurea armatus haſta Vitrus. Videant ipſi etiam, ne, ita victi a noſtris, iure, armisqve vincantur. d. XXVII. Mart. cIↃ IↃc LXXV.

CCXXIV.
PETRO HOMFELDIO,
I. V. D. Ien.

Laudo ingenium, atqve dotes multo cumulatiſſimas; ſed fortunam tuam merito doleo, et

et ominor, eam proludere maximis honoribus tuis. Nam et haec mea hic ſors fuit: multi odio, atqve invidia in me irruebant. Omnia forti, invictoqve animo tuli, atqve ita tandem, fortunante DEO, vici. Crede mihi, non aliter tecum actum iri: virtute ſane, ac ingenio, qvod tibi feliciſſimum contigit, eluctaberis. Eſt DEVS, erunt patroni, qvi opem tibi ferant non minus, atqve ſummi viri, Strauchius, et Schilterus. Tantum perfer omnia, et ſuſtine, et gradum gloriae, qvi tibi patet, ne deſere. Non piguit Lipſium Iena diſceſſiſſe. Nam vix eum Batavia acceperat, cum colebat virum, et mirabatur. Eadem fortuna uti tibi, ad Freſones redituro, eveniat, et qvamprimum honoribus ampliſſimis orneris, DEVM precor, et, ſi illa diſcedendi certa, fixaqve mens eſt, oro te, ut mihi favere, et ſcribendi officium continuare pergas. Ego faciam, ut intelligas, cum homine ingenuo, et dignitatis tuae ſtudioſiſſimo, amicitiam te contraxiſſe. Ita te DEVS ſervet, et inſtitutum, conſiliaqve tua ad ſalutem, gloriamqve tuam dirigat. d. XXIIX. Mart. CIϽ IϽC LXXV.

CCXXV.
N N.

QVod periculum in iure publico facere ſtatutum habes, praeclare facis; et opto, ut ſerves laudabile inſtitutum. Ego, ſi qvid conſilii afferre poſſem, non ducerem inutile, ſi de Landgraviatu Thuringiae, et ſingulari ratione iuris, in eum

eum genti Saxonicae convenientis, diſputares. Nam de hodierno ſtatu, qvo armis adhuc dubiis cauſa diſceptatur, nemo prudens diſputare auſit, nec ſinet facile doctor tuus celeberrimus, ut tale qvid ſuſcipias: qvod ego ſcriptis epiſtolis committere malo, qvam publicis ſchedis. Vnum te rogo, aes alienum, qvod apud Heberum conflaviſti, diſſolvas, qvia ad fidem tuam liberandam pertinet et ego memini, me vadem tuum eſſe factum. Vale. d. XXIIX. Mart. clↄ Iↄc LXXV.

CCXXVI.

IODOCO SLAFIO.

DIploma Venceslai tam evidens, atqve perſpicuum eſt, ut libens mutem ſententiam, ac tibi iam ultro aſſentiar. Id autem certo adhuc inveſtigare non potui, qvando *Vitrici* vocabulum ea notione receptum fuerit, ut denotaret *Eccleſiae Curatorem.* Nam qvod, occaſionem a *Presbyteris Laicis* deſumptam eſſe, exiſtimas, id nullo antiqvitatis indicio probaveris. Nullus enim locus eſt, qvi talis ſignificationis documentum praebere poſſit. *Apoſtolorum* ſermo, et uſus Patrum firmant hanc ſententiam, atqve non alium pro *Presbytero* habent, qvam, qvi ordini ſacro adſcriptus eſt, et noſtra conſvetudine dicitur *Eccleſiae miniſter.* Neqve ſecius uſurpant Clemens Romanus ad Corinthios, Irenaeus, Clemens Alexandrinus, Irenaeo aeqvalis: ex Latinis Tertullianus, et qvi ſunt veteris, ac probi aevi. Recte itaqve Calvinum caſtigavit G. Laudus, Praeſul Anglus eruditis-

ditisſimus. De Venceslai titulo non poſſum, qvin moneam, te non recte ſcripſiſſe, ſiqvidem Saxoniae *Ducatus* ante Angriae, et Veſtphaliae *Ducatum* ſcribendus fuit. Rogo igitur te, accurate, et fideliter de hoc negotio reſcribas, mihiqve ſatisfacias. Forſan autem Albertus III. titulum *Electoris* qvoqve adſcripſit. Certe non conſtat, id feciſſe Fridericum Bellicoſum: an primus autem, nolim temere affirmare. Nam, poſtqvam Venceslaus ab Imperii poſſesſione deiectus eſt, et Aurea Bulla per Sigismundum, Caroli IV. filium, ſolenni confirmatione robur accepit, minor *Electorum* erga reliqvos Principes metus invidiae fuit, atqve ab eo tempore forſan primum omnes, et ſinguli, eligendi Imperatoris ius conſecuti, Principes uſurparunt *Electorum* titulum, et, qvia hic recentior eſt, poſt ſumma Imperii miniſteria ſcripſerunt. Qvod de amplisſimis Angriae, et Veſtphaliae *Ducatibus*, et qvamobrem amiſſi fuerint, ſciſcitaris, non poteſt te fugere, Gvelfos, et nominatim Henricum Leonem, cui Bernardus Aſcanius a Friderico Aenobarbo ſuffectus eſt, iis ſententia Friderici fuiſſe exutum, et maiorem eorum partem *Eccleſiae* Colonienſi attributam: qvanqvam non tam iure, qvam vi, *Archiepiſcopus* Colonienſis eos Saxoniae veteris, id eſt, Angriae, et Veſtphaliae *Ducatus* obtinuit. Iure enim pertinebant ad Gvelfos, aut, ſi his iudicio Imperatoris abiudicati erant, Bernardo Aſcanio, qvi A. cIↃc LXXX. a Friderico Aenobarbo Saxoniae, Angriae, et Veſtphaliae Dux creatus eſt, una cum

cum Saxonia optimi iſti *Ducatus* obvenire debuerunt. *Diploma Commendae* Dommizenſis ne differas mittere, et ordinem tituli, qvem per incuriam diſpoſuiſti, corrige: haec autem aeqvo animo accipe, et mihi fave. d. VI. April. cIↄ Iↄc LXXV.

CCXXVII.
HENRICO, L. B. A FRISEN.

QVanqvam in ſpem pacis multa oſtenduntur, et forte exiſtimari poſſit novum belli Gallici apparatum eſſe conatum ultimae neceſſitatis, atqve haud dubie hoc anno terminari oportere: tamen occupata nuper inſidiis arx Leodienſis, qvae ad invadendos Foederatos opportuniſſima, et praeſidio Traiectino ad Moſam utiliſſima eſt, ac horreum belli de integro Philippiburgi aedificatum, atqve excurſiones, qvae ex eo qvotidie fiunt, immaniſſimae, et conditiones periniqvae, Caeſarem, ac Foederatos merito in perſeqvendi belli iuſtiſſimi curam, cogitationemqve avertunt. Palatinus tentandae iterum Alſatiae auctor eſt: neqve ea conſilia Galli inulta ſinunt, et, qvicqvid pagorum, vicorumqve ſupereſt, crudeliter exurunt. Dachſteinium, qvod in ſuperiorem Alſatiam aditum munit, ſolo aeqvarunt: ubi reperta ſunt veſtigia Dagoberti, antiqviſſimi Francorum regis, qvi arcis Dachſteiniae fundamenta iecit. Vnde non vano iudicio hiſtorici rerum Alſaticarum iudicant, olim *Dagobertſteinium* fuiſſe appellatum. Ipſe ego huic ſententiae ſubſcripſi dudum, et in ea me noviſſimae

mae ruinae Dachſteinienſes confirmant. Sed qvia atrociora minantur Galli, Caeſar in media Francia orientali comparat annonam, et Wurceburgi, Bambergae, ac Francofurti ad Moenum aedificat belli horrea, ut ibi et refici commeatus militaris poſſit, et copiis tutus, ac ad alimenta ſuffecturus locus ſit, ſi in agros, Gallorum populationibus, atqve incendiis foedos, egrediantur. Montecuculi cum ſummo, et libero imperio rurſum praefectus eſt Caeſaris exercitui, de qvo eſt eo maior exercitui, de qvo eſt eo maior expectatio, qvod ſuſceptae A. clↄ Iↄc LXXIII. expeditionis ductor feliciſſimus fuit, et, qvo ſuperba Gallorum verſus Bohemiam in irritum caderent conſilia, aſtu militari potius, qvam vi effecit. Suedorum animos paulo iterum reverentia ſubit, optantqve cum Brandenburgico concordiam. Si poſſent, Tollium ab inferis excitarent: Oxenſtierna tantis deſtinatis impari, ut qvi vix longo tempore eum aeqvare experiendo poſſit: cuius, et Koppii habiti vehementius ſermones, cum utriqve per Sileſiam iter facerent, multos in admirationem rapuerunt. Apud Batavos multorum erga Principem Arauſionenſem diffidentia et in Fagelium, ſanctum eius conſiliarium, ac ab Hollandiae penſionibus odium eſt. Viceſordius magnam ſibi labem aſperſit, et Petri Grotii, liberum commeatum adepti, famam novus rumor foedat. Ceterum, Domine, te DEVS ſervet, lumen reipublicae, et totius poſteritatis aeternum decus. d. IX. April. clↄ Iↄc LXXV.

CCXXIIX.

CCXXIIX.

V. A.

COmes Montecuculi opima Vngariae dynaſtia, tanqvam rei bene, feliciterqve gerendae auctoramento, a Caeſare donatus, Vienna diſceſſit: qvi qvanta ſpe Foederatos erigit, tanto terrore Gallos complet. Revera enim fato ita benigniore datum eſt, ut contra ſenes Gallici belli ductores ſenex ille Vlyſſes excitaretur, et fortitudini Germanorum prudentiam veterani imperatoris, et conſilia multo ſaluberrima adiungeret. Plurimum enim refert, ut recuperet Germania veteris Auſtraſiae fines, et Caeſari expedit haec, divinitus proviſa, Germanorum concordia ad vetus Alſatiae peculium recuperandum. Nec eſt, qvod metuat ſibi a Suedis Germania, qvi omnibus inviſi eſſe coeperunt, et in Sileſiae finibus ſpectris, oſtentisqve terrentur. Multi proripiunt ſeſe: plurimi etiam ex ipſorum exercitu moriuntur, adeo, ut certis auctoribus compertum ſit, XII. millium etiamnum vix numerum explere. Croſſam tentaſſe dicuntur, ſed repulſi praedandi opportunitate carent, et nihil perinde, ac victus inopiam, et rei numariae difficultatem conqveruntur. Qvae ſane turbida, ac infauſta Regni, a Karolo XI. ſuſcepti, initia ſunt: venitqve hic in mentem recordari, qvod mihi qvidam familiaris, et ſiderum motus, ac divinandi peritus Vir affirmavit, Karolum XI. fore Regem infelicem. Vtcunqve autem id ſit, tamen expendenti praeſentes res omnino videtur nimis

nimis celeriter impetus Suedorum efferbuiſſe, ut forſan non ſine ipſorum detrimento evaneſcere poſſit. Danus, licet occulto recipiendae Scaniae deſiderio incenſus, prudenter conſilia moderatur, et non vigentem, ſed armis concuſſam Suediam aggredi in animo habet, Hiſpanos imitatus, qvi non prius bellum contra Gallum decreverunt, qvam vires, opesqve eius a Batavis, et Caeſare labefactatae eſſent. Nec fefellit eos opinio, et ex miſeria Gallorum commoda ſibi pararunt, nutantemqve Monarchiam opportunitatis memores fulſerunt. d. XVI. April. cIↄ Iↄc LXXV.

CCXXIX.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

SPes pacis ſenſim evaneſcit, et qvanqvam conſentientibus omnium votis dudum expetitur, ac ſcio, hoc et proximo menſe de ea ante finem Maii reſtituenda adeo non dubitatum fuiſſe, ut qvoqve in hanc ſententiam depoſitis pignoribus certaretur: tamen immutatae ſunt Foederatorum voluntates, poſtqvam Suedi conciliationis obliti, ſe immiſcuerunt. Novi Principem, ſummorum conſiliorum participem, qvi dixit, aut Svedos e finibus Germaniae eiiciendos, aut nunqvam ſperandam eſſe tutam pacem. Sed ita graviter ſtatuere nulla ratione utili *Proteſtantes* poſſunt, ut qvi ſciant, non manere ſemper eundem rerum ſtatum, atqve eo vehementi, ac turbido inſtituto novis motibus cauſam praeberi. Verum ita ſuo malo experti ſunt Suedi non inane eſſe nomen Caeſaris,

Q et

et totam fere Europam tacite cum iis expoſtulare, ac culpam non reconciliatae pacis reiicere in ipſos. Dani ſane, et Brandenburgicus, ac Brunſvicenſes Duces hoc ſpectant, atqve hoc agunt, ut Gothi in antiqvos fines denuo cogantur. Palatinus Birckenfeldius ſolus adhuc inter Germanos Principes ſeqvitur ſigna Gallica, et invitus a Rege retinetur, neqve miſſionem impetrare in hunc diem poteſt, et, ne fidei erga Imperium violatae accuſari poſſit, in Comitatu Ruſcinonenſi contra Hiſpanos militabit. Hamburgenſes cum aliis rebus, tum permittendo Gallis, Svedisqve licentiam conſcribendi militis, tantam Hiſpanorum invidiam, atqve odium in ſe concitarunt, ut proxime Hiſpaniae Regina, literis acerbe ſcriptis, minas tollendorum ex Hiſpania commerciorum addiderit, ſi moniti hoc facere non deſiſterent. Vnum vero hic nos omnes gaudio perfundit, Domine, qvod, inter tot mala, atqve calamitates publicas, tu, illuſtriſſimusqve frater tuus, et inclutus Kannius, ſupremus aulae Praefectus, noſtram Academiam novo beneficio augere, atqve eius ditandae auctores eſſe potentiſſimo, benigniſſimoqve Principi voluiſtis. DEVS vos ſervet, et immenſa liberalitate poſteros veſtros ornet, muniatqve. d. XXII. April. cIↄ Iↄc LXXV.

CCXXX.
EIDEM.

HEnricus illuſtris, Miſniae Marchio, atqve invicto animo Princeps, cum adhuc in Ludovici

vici S. Thuringiae, atqve Haſſiae *Comitis* provincialis, poteſtate eſſet, praefecturam ordinis Mariani, qvi et Ioanniticus dicitur, anno ſupra milleſimum, ducenteſimum, tertio, et vigeſimo, ipſo Ioannis praecurſoris die, inſtituit, atqve conſecravit in oppido Domitſchenſi. Summam *diplomatis* teneo: *diploma* nondum videre potui, abnuente eius copiam facere Praefecto, ſive, ut appellant, *Commendatore:* nec viam ſcio, qva honeſte extorqveri poſſit, qvod tamen inſignem hiſtoriae Saxonicae partem mihi facit. Qvae ad hodiernam rerum faciem pertinent, ita comparata ſunt, ut, niſi noſtri acrioribus animis, atqve ſine cunctatione longiore direptiones Gallicas a finibus Germaniae arceant, opimior eius pars conflagret. In Svedia ordines fere diſſidentes Montecuculi permulſit: in Francia orientali Antiſtes Vurcepurgenſis mortuus, moram *Circuli*, ut dicitur, conſiliis attulit. Cuius de obitu dum ſcribo, venit in mentem recordari Erneſti Gothani, qvem ante mortem non parum affecerunt hoſpitia militaria, qvae in eius finibus Brandenburgicus deſignavit. Interim ſperamus omnes, finita huius anni, et utinam noſtris partibus feliciter, expeditione, pacem Nimmegae inſtauratum iri, et eo redigi Gallum oportere, ut, praeter cuiqve debitam ſatisfactionem, aut reddat Briſſacum, et Philippiburgum, aut ſolo aeqvet. d. VI. Maii. cIↄ Iↄc LXXV.

CCXXXI.
CAROLO, L. B. a FRISEN.

AEgidius Strauchius meliore, ac nunc eſt, fortuna dignus, ab ordine noſtro ſuperioris ſuae conſvetudinis, et vitae ſine contentione actae, teſtimonium petiit. Qvod illi nec potuimus denegare, et ſinguli optamus, ut iſtis motibus liberetur. Rex enim Io. Sobieskius, vult, urbe excedat: nec abnuunt Proconſules, et qvi cum magiſtratu ſunt: obſtat autem plebs, ac illi, ſibiqve perniciem affert. *Monachi* qvidam, taedio tumultuum, alio conceſſerunt, ut male ominari animum ſubeat, niſi auſpiciis Saxonicis ſalvo, atqve incolumi exire liceat. Doleo vicem viri certe eruditiſſimi, et in qvo, neſciam, qvid deſiderari poſſit praeter ingenium ſedatum, qvod, publico bono, illi ut tandem contingat, precor. Nam iſta ab ſenatu plebis ſeceſſio facile urbi in exitium vertet, niſi melioribus conſiliis impetus compeſcatur. Qvantum autem ingemiſco Strauchii cauſa, Domine, tantum ordini noſtro gratulor, ac univerſo Senatui Academico, qvem tu, illuſtrisſimusqve frater tuus, et inclytus Kannius, ac tota curia veſtra, novo beneficio auxiſtis, et venerationi familiarum, atqve nominum veſtrorum obligaſtis, ut, qvando ius noſtrum vobis perſolvere non poſſumus, omnes votorum numeros abſolvere tamen geſtiamus. Ita te, atqve illuſtrisſimam ſtirpem, DEVS mihi, Academiae, patriae, ac toti Germaniae, qvae veſtris conſiliis laetatur,

ac

ac robur, et incrementa recipit, conſervet. d.VI. Maii. cIↄ Iↄc LXXV.

CCXXXII.
L. IODOCO SLAFIO.
PRETTIN. ANTIST.

ANimum tuum ingenuum, iuvandi mei cupidum, collaudo: miror autem, tergiverſari Menzerum, dum recuſat Latini *diplomatis*, qvod deſidero, copiam facere. Oraculum, cuius meminiſti, Timotheanum nihil tuam cauſam iuvat, adeo ut ipſe Bellarminus fateatur, *Epiſcopi*, et *Presbyteri* nomina tempore *Apoſtolorum* communia fuiſſe: niſi qvod monet erudite Martinus Chemnitius, alios *Presbyteros* cenſuris ſacris praefectos fuiſſe, alios docendi, et diſpenſandorum myſteriorum munus obiiſſe. Inde vero tantum abeſt, ut conficias *Presbyteros Laicos*, ſive profanos, ſi lingva Romana appellare voles, ut qvoqve contrariam inferre nullo negotio poſſim. *Vitrici* vocabulum brevi, opinor, eruam, ac oſtendam, non Prettini tantum, ſed alibi etiam denotaſſe Curatorem, ſeu, ut barbare loqvuntur, *Vice-patrem*. Qvod de viciſſitudinibus Saxoniae dubitas, non eqvidem valde miror. Res enim multis modis impedita eſt, atqve obſcura: id vero certum habeo, primo Aſcanios in Saxoniae Transveſeranae, ſeu Veſtphaliae, poſſeſſionem nunqvam veniſſe: deinde neqve Angriam in ditionem ipſorum redactam fuiſſe: tum ex Cisveſerana Brunſvicenſem, et Lunebur-

genſem tractus, qvi auſpicio Friderici III. *Ducatuum* dignitate aucti ſunt, peculii antiqvi Gvelforum reliqvias manſiſſe. Qvanqvam ergo *diplomate* inaugurationis Friderici I. Aſcaniis addicti ſunt antiqviſſimi Veſtphaliae, et Angriae *Ducatus*: tamen ad eos non pervenerunt. Nova tamen Saxonia, ſive Transalbina, cuius hodieqve pars eſt Lauenburgum, iam ante in ditione Aſcaniorum fuit. His, qvaeſo, acqvieſce, et praeſens hic plura a me expecta. d. VI. Maii. clↄ Iↄc LXXV.

CCXXXIII.

EIDEM.

FEre hoc ſeculum eſt, ut non tam iudicio, qvam ſola animorum contentione pleriqve eruditi ſcribant: hiſtorici etiam eſſe velint, qvi ne ſciant qvidem, ubi hiſtoriae ſit nervus. Qvod vel hoc indicio expertus ſum, qvod, cum opus mihi, de ſtatu Thuringiae editum, offerretur, animum cupiditas inceſſerit evolvendi, qvae ſcriptor iſte de *Palatinatu* Saxoniae, ad Thuringiae *Landgravios*, atqve ab his ad *Marchiones* Miſniae, poſtea ad Aſcanios, ac demum poſtliminio ad Marchiones noſtros delato, tradidiſſet. Sed nihil tale reperi, qvod vel maxime ad ſtatum Thuringiae, atqve incrementa eius pertinebat. Haud fallor, ſi exiſtimo, non aliam eſſe cauſam, qvam qvod hiſtoricorum vulgus interiores huius iuris rationes ignoravit. Ego, cum deficiant *diplomata*, iudicio hiſtoriae, ac ratione ſufficiente id mihi conſecutus

eſſe

eſſe videor, ſi dicam, *Palatinatum* non prius ad Thuringiam fuiſſe adiunctum, qvam proſcriberetur Henricus Leo, ac *ducatu* Saxoniae privaretur. Qvod cum accideret, *Ducatus* qvidem in Bernardum Aſcanium eſt collatus, *Palatinatus* autem, tanqvam ex alia cauſa qvaeſitus, pervenit ad Thuringos, iam dudum, titulo Nordthuringiae, partem Saxoniae Cisveſeranae, ubi tunc *Palatinatus* erat, complexos, et Gvelfis, qvibus auferebatur, vicinos. Nemo id clarius, nemo id apertius expreſſit, qvam *Monachus* Lauterbergenſis, a R. Reineccio, et Madero editus. Is vero *Palatinatus*, poſtqvam ad Miſnenſes *Marchiones* devolutus eſt, titulus tamdiu uſurpatus legitur, donec *ducatus* Saxoniae cum eo, auctore Friderico Bellicoſo, atqve *Electoratus* coniungeretur. Nam ab hoc tempore *diplomata* Friderici Bellicoſi, qvae qvidem ego vidi, non exhibent *Palatini Comitis* titulum, qvem tamen ante ſumptam *Electoris* dignitatem uſurpavit. In *diplomate* autem nihilominus inaugurationis beneficiariae *Palatinatus* Saxoniae comprehenditur, indicioqve id mihi eſt, nunc Saxoniae *ducatui* poſtliminio ita innexum eſſe, ut nec poſſit divelli ab eo, nec debeat. DEVS te ſervet, et conſilia tua fortunet. d. XIII. Maii. clɔ Iɔc LXXV.

CCXXXIV.

TOBIAE PEVCERO.

QVod Saxo ſe interpoſuerit inter partes diſſidentes, rumor eſt: neqve eo loco res ſunt,

ut tam celeri, et non ſuffectura ſatisfactione acqvieſcat Brandenburgicus, multis foederibus innixus, ac iuſta cauſa fretus. *Diploma* Rudolphi I. Caeſaris mecum, qvaeſo, communica, ut non ſignum modo, ſed rem habeam. Eo me obligabis valde, et facies, ut, qvi alioqvi tibi deditus ſum, eo magis probare officium cupiam. d. XXI. Maii. cIↄ Iↄc LXXV.

CCXXXV.

IO. FRIDER. VOLHARDO.

NOn diſplicet mihi inſtitutum tuum, et hortor, ut, qvod ſententia patronorum incepiſti, praeclare conficias, abſolvasqve opus. Ego, qvantum in me eſt, curabo, ut cum honori, tum utilitati tuae provideatur. Neqve ullum tibi meum officium deerit, ut intelligas, me eſſe tui ſtudioſiſſimum, modo tecum afferas Scriptores Bohemicos, qvibus carere non poſſis, in primis Hagecium, et Dubravium; item Caſparis Peuceri carmen, qvod in tua manu eſſe ſcio. Promiſit qvidem Stubritius, cauſarum patronus, ſe elaboraturum, ut codicum aliqvot, manu exaratorum, particeps fiam: qvorum ſi tu, non rogatus, copiam feceris, eo gratior hoſpes eris. Eſt ſane, crede, egregium iſtud argumentum, ad qvod te huc uſqve exercuiſti, et in qvo Conringius parum praeſtitit, ut ex eius de finibus Imperii opere videre licet. Itaqve cape animum te dignum, neqve, ut vulgus ſolet hiſtoricorum, exſcribe, ſed, ductu meo, excerpe ac iudica, ut non pulveri,

veri, ſed poſteritati ſcripſiſſe videaris. d. XXV. Maii. clɔ Iɔc LXXV.

CCXXXVI.

CAROLO, L.B. A FRISEN.

DEcreto Patrum, ultimo huius menſis die, habiturus orationem ſum, qvae ad renovandam Potentiſſimi principis noſtri memoriam pertinebit. Laborem cum pietatis, tum obſeqvii cauſa defugere non potui, qvi ſciam, ei me omnem honorem, atqve omnia fortunae beneficia debere. Tantum doleo breve tempus, qvod mihi conceſſum eſt, ſiqvidem non orationem, ſed hiſtoriam a me tantus Princeps exigit. Sed qvia nunc aliter fieri non potuit, in pietate acqvieſcet. Ego ſane in ea ſententia permanebo, ut poſteritas intelligat, tota cogitatione huc incumbere velle, ut laudes noſtri Principis in futura ſecula propagentur. Nec tamen tua, et aliorum conſilii principum merita oblivione delebo; ſed huc omnes induſtriae ingeniiqve nervos intendam, ut Friſios, a qvibus tanta in me extant merita, ſempiternis monumentis commendare poſſim. Qvod ut tranqvilla Republica, et tuis ſalutaribus conſiliis, liceat, DEVM oro, et, ut Friſiae gentis praeſes, cuſtosqve ſit, votis, precibusqve fatigo. Nam haec tempora ſunt, ut religionis, legumqve ſocii priſcum morem mutent, et vita, factisqve barbaros imitentur. Qvae ut cura tua emendes, rogo, et Suedorum turbidum ingenium prudenti moderatione ſiſtas, nos autem perbenigno, ut ſoles, patrocinio tuo tuearis. Ita

te DEVS nobis, et gloriam poſteritati conſervabit, eſt ſumma optatorum. d. XXIX. Maii. cIↄ Iↄc LXXV.

CCXXXVII.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

Plane modum ſupergreditur audacia Suedorum, ius in armis ferentium, ac tantum eo nitentium, ut, velificantes Gallo, ſub iugum redigant Germanos, pacis Veſtphalicae, foederis cum Brandenburgico A. cIↄ Iↄc LXXIII. initi, ſuſceptae conciliationis, neceſſitudinumqve omnium obliti. Qvae cum fiunt indigne ſatis, et praeter officium, qvod deſerere non debuerunt, tum ſpero, Domine, iam eſſe tibi cognitum, pleroſqve Brandenburgici ſubditos, miſericordiam implorantes, crudeliter tractaſſe, nec ſacro ordini peperciſſe, ut omnes intelligerent, non religionis nunc, ſed dominatus cauſam agi. Qvae fama totam viciniam pervaſit: plurimos etiam ad perfugium, in Saxonia qvaerendum, compulit. Elector tamen ſub poena capitis denunciavit ſuis, ut armis uſqve ad hoc tempus abſtinerent: non ſtudio in eos occulto, ut putat vulgus, nec metu, ut iudicant ſapientes; ſed ut impunitate trans Albim allectos opportunius ulciſcatur, cum fama ſit Magdeburgum petere conſtituiſſe, qvo intra aliqvot dies Elector ipſe veniet, qvem dixiſſe mihi allatum eſt, aut non eſſe Numen in coelis, aut vindicare oportere Svedorum perniencioſiſſimas molitiones. Atqve nunc demum experiendo diſcunt *Proteſtantes*, verum eſſe, qvod ſupe-

ſuperioribus temporibus prudentiſſimus Hiſpaniae miniſter, Ludovicus Mendoza de Haro, affirmavit, Hiſpanos qvidem olim infirmandae Germaniae conſilia iniviſſe; Suedos autem eam, tradita in poteſtatem citeriore Pomerania, et aliqvibus caſtris ex ulteriore additis, certe vinculis conſtrinxiſſe. Qvapropter multi optant, praeſertim Auſtrii, Brandenburgicus, Luneburgici, et Danus ipſe, ut Germania revellat iſtos compedes, et neſcientes recte uti ſuis rebus merito ſuo mulctet. De Gallo non dicam, cui nihilo ſecius noſtra libertas, ceſſa Alſatia, vendita eſt: ſed cuius inſolentiam eo aeqviore animo patiamur, qvia plane ſeparatas ab Imperio rationes habet: contra Suedi, uni Imperio iure, legibusqve illigati, nulla ratione ſe purgare poſſunt, niſi qvod forte ſpeciem habeant, Brandenburgicum nimis potentem eſſe futurum. Sed qvi res eius accuratius perſpiciunt animis, fateri neceſſe habent, ab eius potentia non magnopere eſſe metuendum. Regiones enim ipſius afflictae, exhauſtaeqve ſunt, ac ſine foederibus inanie robur. Qvis autem credat, eius Foederatos paſſuros, ut, qvantumcunqve etiam, hoc eſt, in exitium Germaniae Principum impendat. Neuter eorum invaſit Germaniam; ſed uterqve defendit: peſſimo contra exemplo turbarunt Svedi, et Dani, qvorum praerogativam non tam indigne ferunt, ac dolent, eorum auctoritate, atqve conſenſu utcunqve adhuc Germaniam fulciri. Haud aliter oderunt, qvam Galli, erepturi, ſi poſſent, ipſam eligendi dignitatem, ut eo opportunior turbandi

occa-

occaſio eſſet. Docuit ſanctio Veſtphalica, et proxime Ratisbonenſia conſilia Electores in rem praeſentem deduxerunt, qvam bene cuperent Electoribus. Idem Galli conatus eſt, qvi cum nullo Principum iniqvius egit, qvam cum Rhenanis. Colonienſi ipſimet ſat care conſtitit recuperatio Reinbergae. Obtentu huius enim incautum Principem in tantum diſcrimem adduxit, ut *Electoratus* ille hodie a Gallis, Hiſpanis, Batavis certatim vaſtetur. Ea praemia rependit Gallus; nec meliora dant Suedi, nati hoſtes non facti. Religionem, ſacra, ritus iacent: facta ſane eiusmodi ſunt, ut barbari vix imitentur, et immane qvantum a religionis dignitate abeant. Interim Saxonem noſtrum Brandenburgicus vocat in partes, et confert operam Caeſar, Luneburgici qvoqve *circuli*, ut dicitur, coniunctionem dirimere, et Suedos comitiis eius prohibere parati ſunt, ut exemplum ad noſtrum Principem tranſeat, qvem partes eligere omnes volunt. Prudentiſſime autem in rebus arduis paulum mora ducitur, et, ſi tandem res mutari non poteſt, iuſta cauſa non deſeritur, praeſertim tam iuſti, ac rerum ſuarum ſatagentis Caeſaris, qvi omnes ſuperiores Gallorum iniurias, Suedorumqve etiam, niſi ceſſent, eſt ulturus. Qvod ut bene eveniat, praeſertim Saxoniae noſtrae, DEI, tuiqve Domine, conſilii opus erit. Academia mihi partes impoſuit orationem habendi, qvae ad gratulationem, cultumqve natalis Potentiſſimi Saxonis noſtri ſpectat: qvae mittetur, ubi excuſa fuerit, etſi metuat ab incomparabili iudicio

dicio tuo. Forte me et breve tempus, qvod vix octo dierum fuit, excuſabit. Heinſius tuus ad thermas Germanicas exibit e Batavis, ut qvidam perſcripſit. d. XXIX. Maii. cIↄ Iↄc LXXV.

CCXXXIIX.

ERLANDO B. DRYSELIO.

GRatulor tibi felicem ad tuos reditum, et, qvia ſolitam benevolentiam ſervas, conſtantiam, qvam gente tua dignam probas, vehementer laudo. Illud porro abs te, ut poſſum, enixiſſime peto, librorum, qvos mihi promiſiſti, ut qvamprimum copiam facias: de cetero mei recte memineris. Schefferum ſaluta, cuius Lapponiam legi, nec obiter. Puſendorfium pari officio excipias meo nomine, virum doctiſſimum. d. XXXI. Mai. cIↄ Iↄc LXXV.

CCXXXIX.

HENRICO, L.B. A FRISEN.

PRincipem Auriacum convaluiſſe, neqvaqvam nunc ambigitur. Multi, praeſertim Seelandi, dolore affecti ſunt ob inexpectatum eius morbum: alii id ſecuritatis remedium putaverunt, qvia verebantur, ne Princeps, hereditariam Praefecturam adeptus, praetextu hoc omne Foederati Belgii ius in ſe transferret: qvae ſuſpicio ex eo aucta eſt, qvod Geldri, licet caute abnueret Princeps, Principi plus, qvam ex formula foederis Vltraiectim licebat, tribuere conſtituiſſent. Nec dici poteſt, qvantam hoc Fagelio, rationum Belgicarum praefecto,

fecto, invidiam conciliavit. Argentoratum, propter mobiles eius Populi voluntates, valde ſibi timet, et, praeter Germanos, ex pagis Imperii deſcriptos, milites, aliquot Bernenſium, ac Tigurinorum turmas, ex foedere ad cuſtodiam pontis, qvo Rhenus ibi iungitur, accivit: ut non obſcuris indiciis appareat, qvantum in ea urbe ſitum ſit. Fateor, A. cIↃ IↃc LXXIII. cum DEVS Montecuculi expeditionem fortunaret, Turenium plus ab uno Francofurto, qvam toto exercitu Caeſareo ſibi metuiſſe. Haud ſecius Argentoratum proximo anno cIↃ IↃc LXXIV. incuſſit formidinem, cum Gallum pro hoſte iudicaret, et aditum Foederatis in Alſatiam muniret. De motu Brudigalenſi qvod allatum eſt, ſane indicium eſſe poteſt Galliae multum exhauſtae, et ſerio optantis pacem, etſi externe ſuperbiens, more ſuo, videatur. Erneſtus, Dux Gothanus, d. XXVI. Mart. ab hora II. pomeridiana mortuus eſt, Princeps pius, ſapiens, conſtans. Kal. Iun. cIↃ IↃc LXXV.

CCXL.

N. N.

Doleo vicem tuam, qvod uxorem multo cariſſimam, et mihi beneficio, cum apud te commorarer, cognitam, amiſeris: et ſane me ita ex longinqvo afficit iſte luctus tuus, ut non magis poſſit, qvam ſi me ipſum tangeret. Illud tamen me ſolatur, qvod omnia tibi ea remedia ſuppetant, qvae ad ſapientes pertinent, qvodqve ſcias, ea lege nos eſſe natos, ut migremus ex hac vita; nec perire hos,

hos, qvi migrant, ſed praemitti nobis, ut libentius ſuccedamus. Id ergo uſu probes, et animo infixum teneas, meliore ſui parte ſupereſſe uxorem tuam, ac reliqviſſe tibi liberos, virtutis ſuae imagines, et in qvibus poſteritati ſit victura. In primis de Nicolao tuo praeclare exiſtimo, ſperoqve fore, ut aliqvando te inviſam. Adhuc enim ea conditione ſum, et, qvod abs te olim profectum eſt conſilium, ſervo, ne feſtinando praecipitem fortunae meae rationes. Illuſtriſſimo Georgio Friderico res Belgicas dicavi, ut ſit grati animi monumentum, atqve teſtimonium oblivionis ante actarum rerum. In poſterum te eodem officio honorabo, ac fratrem meum Ioannem Antonium, medicinae faciendae cupidum, commendabo, ut, qvemadmodum ego olim, ita et ipſe ſumma benevolentia tua adiuvetur. Non. Iun. cIↄ Iↄc LXXV.

CCXLI.
FRIDERICO SCHRADERO,
Helmstad.

VErum eſt eqvidem, qvod ſcribis, a ſtylo ſcribendi ſuperſtitionem abeſſe debere: curam tamen eius omnem abiicere, et, qvem ſibi nativa indole cultum vindicat, negligere prorſus, ac nullum imitandae antiqvitatis delectum habere, praeter officium eſt docti viri. Neqve ſic emerget, praeſertim, qvi ad ſcribendam hiſtoriam ſe applicat, niſi ope ſtyli, ac prudentiae civilis, cuius lau-

laudis fructum Germanis dudum praeripuerunt Galli, Belgaeqve, niſi qvod Iulei veſtri doctores qvaſi proprium ſibi reddiderunt, iam a Caſelii inde aetate, et conſervarunt usqve ad hunc diem. Ego nunc, qvod tibi mittam, nihil habeo, praeter orationem ſubito conſcriptam, cuius copiam tibi facio, et abs te peto, ut more tuo ſuſcipias, et ſtudiis meis porro faveas: in primis honoratiſſimum Parentem tuum, Conringium, Vffelmannum, avitae Academicae conſvetudine notum, ac Buſmannum, cui reſponſionem debeo, reverenter meo nomine ſalutes. Qvanqvam etiam ſummos viros coram alloqvi ſtatutum habui: tamen alia me prohibuerunt, praeſertim Kirchmaieri iter, qvi proxime in Bohemiam profectus, ſcriptionis publicae curam hic mihi auctoritate publica delegavit. Horneium, magni Horneii nepotem, qvaeſo, viciſſim ſalute impertiaris. d. IX. Iun. cIↄ Iↄc LXXV.

CCXLII.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

SI unqvam alias conſilia Epiſcoporum diſturbata feliciter fuerunt, haec ſunt tempora, qvibus Caeſar expertus eſt eorum fidem, qvam ſtudio nominis Gallici labefactarunt: ii maxime, qvi Caeſari ſummis beneficiis devincti erant. In qvorum amicitiam cur Suedi venerint, ac ſpem remqve omnem in diſcrimen adduxerint, mirandi cauſa eſſet, niſi exploratam eius gentis invidiam erga florentes Germanorum res haberem. Nam et A. cIↄ Iↄc LXV. Epiſcopum Monaſterienſem vel invito

vito Gallo ad arma adverſus Batavos capienda, ſtimulabant. Inde Bremam oppugnabant, qvod negotium duces Brunſvicenſes ita perturbabat, ut, niſi Vrangelius incepto obſtitiſſet, praelio experiri neceſſe habuiſſet. Interea connivebat Epiſcoporum, et totius Germaniae Vlyſſes Io. Philipp. Antiſtes Moguntinus, et Furſtenbergii, qvi iam tum *Monarchiam* Galli, terrarum orbe maximam, in animo moliebantur, atqve ideo in ſinu gaudebant. Ipſe Caeſar, qvaſi nondum firmata potentia, Auersbergii cum adhuc floreret, conſilio, Svedis permittendam urbem cenſuit. Qvanqvam enim ſemper privatim commonebat, Leopoldum, omnem operam dandam eſſe, ut liberae Imperii urbes in iure, atqve dignitate ſua confirmarentur: tamen veritus, ne Suedi ab audacia ius repeterent, e re Caeſaris fore duxit non obniti; ſed ſumptis armis, animisqve obnitebantur Brunſvicenſes, qvaſi Camilli Germanicae libertatis. Qvae cum non ſucceſſiſſet, alia conſilia ceperunt, et non ſervandi civis, qvod laudi eſſet, ſed hoſtis propugnandi cauſa, Brandenburgicum aliqvoties diſtinuerunt, necdum ea ſententia deduci poſſunt, affirmantes, oportere Brandenburgicum foederi Auſtrio renunciare. Id ſi faxit, omni modo ſatisfacturos eſſe: haud ſecus ac ſi in eorum poteſtate eſſet, dare leges Electoribus: ſiqvidem ſuperiori anno qvoqve minis Elect. Saxon. nec multo poſt Brandenburgicum armis deterrere ſtuduerunt. Qvod qvi non moleſte ferat Princeps, cum fortunae ſua obliviſci exiſtimem. Qvae cauſa induxit tandem Imperii

Principes, ut auctoritate publica proiectam exterorum audaciam compeſcerent, ac Blumicum Legatum Suedicum dimittendum ad ſuos e republ. eſſe cenſerunt. Eam nempe ex militari conſilio capiunt gloriam, ut intelligat poſteritas, qvantum ex priſco more mutaverint. Nam qvae recte fecerunt, fidem colentes, ac rem Germanicam adiuvantes, ea vertunt laudi, et perinde, ac debent, gratis animis aeſtimantur: ubi autem veteris neceſſitudinis, ac ſummae coniunctionis obliviſcuntur, non religio, qvam multi iactant, ſed res, factaqve inſpiciuntur. Vnum eſt, Domine, qvod, hoc rerum ſtatu, rebus Saxonicis cum primis expediat, et ſtudio Caeſaris, amicitiaqve foederatorum Imperii Principum, ac tua cura effici poſſit, ut ea urbs, ex qva A. cIↃ IↃc LXXIII. tot minae, ac pericula Saxoniae intendebantur, ad Saxoniam redeat, et patrimonio Saxonis adiungatur, cum propter ancipitem Praeſulum fidem, tum mores multo fallacisſimos. Qvod vix eſſet, ſperarem ut, ſi in vivis eſſet Io. Philippus Moguntinus, qvi cum Caeſaris honori favere videri vellet, revera Gallo obnoxius erat, et, niſi is fuiſſet, et certe tuis conſiliis locus datus eſſet, nondum Erfurto potiretur. Eius ſucceſſor, Lotharius Fridericus, longe infra Vlyſſem iſtum, a qvo totus *Electorum* ſenatus, et ipſe Palatinus, alioqvi ſagax, et rerum providus, ſibi metuebat, proxime deceſſit, minori auctoritate apud ſuos, maiori probitatis gloria apud noſtros. Eſt ſane Thuringia vetus Miſniae *Marchionum*, nunc Saxoniae *Ducatu*, *Electoratu* atqve *Palati-*

natu

natu praeditorum, proprium, ac perpetuum peculium, qvod ut repetatur, cum occaſio ſit, omnium intereſt ſalutis. Venit hic in mentem recordari eius, qvod Galli dicunt, Alſatiam eſſe pulchrum Regis ſui hortum, in qvo nihil deſiderandum ſit praeter amoenam domum, qvae eſſe poſſit Argentoratum. Qvod cur bene, convenienterqve de Thuringia, et Erfurto, inter ſe comparatis, dicere nunc poſſim, tu melius, ac ego, intelligis, Domine, et, non domum tantum, ſed murum Thuringiae, et arcem ſalutis publicae eſſe Erfurtum, perſpectum habes. Cneius a Tito aulico loco motus eſt, qvod Tremovillius matrimonio aliam inducendam ſvaſiſſet, qvanqvam et ea nunc foecunditatis experta eſt. Qvod mirum eſt eius viri prudentiſſimi alioqvi, et iuris conſultiſſimi fatum: cuius dum memini, ſubit ſimul mirari Chriſtophori Forſtneri conſilium, Duci Mompelgardio datum, qvod foedum adhuc oculis obverſatur. Montecuculi arduum aliqvid in animo habet, et, qvod ille in Alſatia, id in Belgio agitat Auriacus Princeps. d. X. Iun. cIↃ IↃc LXXV.

CCXLIII.

FRIDER. IAC. LEICKERO.

QVam praeſens ex ingenio, ſtudioqve tuo voluptatem cepi, eam abſens qvoqve excitas, et, qvo in me animo ſis, pulchro exemplo confirmas: tu praeſertim, qvi expectationi meae cumulate ſatisfeciſti, et hoc ſuperiori noſtrae conſvetudini tribuere voluiſti, ut intelligerem, te mei

nondum eſſe oblitum. In qvo officio ut perſeveres, te moneo, et hortor, et ut Patrem, auctoritate, et conſilio ſummum, virtute, induſtriaqve tua aſſeqvaris. Nam infra laudem tuam eſt ibi conſiſtere, ubi vulgo ſolent. Erecto es animo, et hoc proprium, perpetuumqve habes, qvod tibi decorum, et ſtirpe tua dignum eſt: cuius gloriam tu unus maxime tueris, et, qvod ſine aſſentatione ſcribo, in primis illuſtrabis. Magnifici Hundii, patroni mei, mandatum curavi eqvidem, ſed res aliter, qvam cogitaveram, evenit. Martius etiam, cuius meminiſti, iam ante aliqvot hebdomadas mercede conductus, ad Miſenenſe oppidum proficiſci ſtatutum habet: qvanqvam affirmabat, ſi prius ſciviſſet, libenti animo obſecuturum fuiſſe. Itaqve, hoc qvamprimum reſciſcat ut Patronus, tu fac: ego hoc negotium pro ea, ac debebam, induſtria explicare non potui, meqve adeo excuſatum habeat. Illud demum abs te peto, ut Patrem plurimum ſalutes. Vale. d. XI. Iun. cIɔ Iɔc LXXV.

CCXLIV.

HERMANNO HAXTHVSIO.

Redditae mihi ſunt literae tuae d. XII. Iunii, qvae magno gaudio me affecerunt, praecipue qvod patrocinium, mihi praeſtitum, in fratre meo continuaturus videaris. Me tandem Saxonia amplexa eſt, et aulam in primis conciliavit. Nam qvalem tuum animum Caſſellis, talem illuſtriſſimorum Friſiorum Dresdae ſum expertus, qvi

et

et res meas tuentur, et ſtudia benigne fovent. D. XIII. Maii iuſſus ſum pro natali Saxonis orationem in templo arcis habere, in praeſentia Procerum, et Patrum, qvae ut futuris nundinis tibi afferatur, curabo, Patrone. Alioqvi nondum ſtatutum habeo in Academia permanere, qvia aliqvoties ad hanc vitam commutandam, oblato Hiſtoriographi Electoris munere, ſolicitor: recuſavi tamen usqve huc, memor tui ſapientiſſimi dicti, vitam Academicam tutam eſſe, et honeſtam. Saepe nihilominus erigor in eam ſpem: mox, ut humanae mentes ſunt, muto ſententiam. Qvae vera cauſa eſt, qvod adhuc in Academia matrimonium recuſem, cuius tamen ineundi hic plurimi auctores mihi fuerunt. De cetero Saxonia noſtra adhuc tranqvilla eſt: vicina Marchia autem a Svedis vexata, exhauſtaqve, qvo nomine omnium odia, atqve invidiam ſibi excitaverunt. Praeterqvam enim qvod fortunas diripuerunt, ſtuprarunt qvoqve foeminas et foedum in morem graſſati ſunt, ut Turcae foedius non poſſint. Nulli ſacerdoti pepercerunt, Lutheranos, Reformatosqve iuxta habuerunt, qvam labem toto hoc ſeculo non eluent, pacis publ. pactorum, cum Brandenburgico initorum, ſuſceptaeqve ab ſe conciliationes obliti. Qvod cum recordari in mentem venit, horreo plane ac barbariem averſor, tanto magis, qvod fortiſſimum, fideliſſimumqve Imperii Civem, cuiusmodi eſt El. Brandenburgicus iuvandi Imperii hoſtis cauſa oppugnaverint. Sed non impune ferent iniurias, et lacera turba, ſi Brandenburgicus,

et Caeſar in Sileſia copias contraxerint, nullo negotio diſſipabitur: qvanqvam Saxo noſter non vult implicari bello, et ſtudet neutri parti, et, qvod haec eius mens ſit, legato Brandenburgico noviſſime declaravit. Conſilium recuperandi Erfurti ſuppeditavit Praeſul de Goes, ordinarius Caeſaris legatus; ſed protinus ſubmonuit Moguntinos, urbem curae haberent, ac novo praeſidio firmarent. Tales ſcenas inſtruunt Catholici, ut in ſinu gaudeant, ſi Proteſtantibus illudatur. Qvanqvam enim foedera civilia huc usqve ſincera ſunt, qvae inter Catholicos et Proteſtantes coaluerunt: tamen ſaepenumero huiusmodi artes interveniunt, qvas tuto non licet perſcribere, qvia incertus ſum, an literae perferantur. Illud hic plane novum eſt, qvod apud Neuſolam in Vngaria Turcarum exercitus conſiſtat, qvi dum Polonis minatur, ſimul a Gallis inſtigatur, ut Caeſarem diſtineat, et, facta irruptione, a ſocietate belli, contra Gallos ſuſcepti, abſtrahat. Sed nunc finio, et, ut cum nobiliſſima coniuge, ac tota incluta familia; diu ſuperſis, ac feliciſſimus ſemper agas, ex animo precor, et de filio Nicolao magnam ſpem gloriae literarum concipio. d. XVI. Iun. cIↄ Iↄc LXXV.

CCXLV.

N. N.

Non perturbatione qvadam animi, ſed conſulto ad te ſcripſi: etiam, qvia priores literas tabellarius non curaverat, aliter ſcribere non potui,

potui. Eae autem heri demum redditae ſunt, culpa, et oblivione hominis, cui perferendas dederas, qvi famulo meo flagitanti dixerat, niſi monuiſſem, plane ſe fuiſſe obliturum. Tum vero, ne exiſtimes, me tam eſſe excordem, ut eorum, qvae inter nos dicta ſint, oblivio me ceperit, qvi ſemper commodis tuis ſtuduerim, neqve mutem animum, ſi occaſio honeſta te iuvandi detur. Illud autem velim te recordari, promiſiſſe te reditum, et operam conferre voluiſſe. Facile enim intelligis, me, alioqvin occupatum, vix omnibus ſufficere poſſe, praeſertim hoc tempore, qvo Latinam, et Germanicam orationem, pro natali Principis Saxonis habitam, prelo exprimendam curavi, et, abſente Kirchmaiero, diſſertationum, Academiae nomine ſcribendarum, curam ſuſcepi. Amove ergo de me ſuſpiciones, qvanqvam et has diffidentia Parentis tui facile poſſet excitare, qvi eum librum, qvem deſideravi ornandi honoris tui cauſa, negat. Is mihi ex Sileſia Vratislavia afferetur; ſed multo tempore opus eſt, donec accipiam. Nam Scriptores Bohemici a noſtris fere diffident, et accurato examine ſunt comparandi invicem, atqve iudicandi. Nam ſola Manlii auctoritas non eſt ſuffectura, et *diplomata* merentur, ut cum ſcriptoribus Bohemicis conferantur. Praeterea, qvod de Grenio dixiſti, non ita ſe habet, et in concionando perſeverat, contentus titulum hiſtorici uſurpare. Hinc ego eum, tanqvam Concionatorem publice laudavi: qvod mitto, ut legas. d. XVII. Iun. cIↄ Iↄc LXXV.

CCXLVI.

CAROLO, L. B. A FRISEN.

ORatio, qvam pro natali Saxonis habui, nunc ad te perfertur, qvae intra paucos dies a me ſcripta, et memoriter recitata eſt. Propoſueram qvidem habere longiorem; ſed tempore excluſus non poteram, qvia paulo ſerius, qvam vellem, hoc inſtitutum a Patribus Academiae renunciatum fuit. Qvae cauſa alium forte induxerit, ut laborem plane defugeret: qvod ego non auſus ſum, licet parem tenuitatis ingenii excuſationem afferre poſſem. Nam ſciebam, vel omnia prius mihi deſerenda eſſe, qvam ut Principi in maxime pio officio deeſſem. Qvapropter, Domine, eam occaſionem accipe commendandi me Potentiſſimo Principi Saxoni, et levandi tenuem meam fortunam. Ego, dum vivam, et Principis maxime pius civis, et Friſii nominis humilimus cliens, praedicatorqve ero. Svedi cognito Brandenburgici adventu retroceſſerunt, foede in Marchia graſſati, et ferme ut olim Wurzenae, ita in qvibusdam Marchiae oppidis libidine omnia impleverunt. Vrangelius tantum aſpera Regis Svediae mandata mitiori ratione temperavit. Brevi Imperii hoſtes iudicabuntur. d. XVII. Iun. cIↄ Iↄc LXXV.

CCXLVII.

N. N.

INduxit me tandem ingenii tui, virtutisqve fama, ut, qvam nominis, dignitatisqve tuae ſtudioſus

dioſus ſim, literis exprimerem, atqve aditum mihi, et aliis ad tuam benevolentiam communirem. Multis enim nunciis de humanitate tua prorſus ſingulari huc allatum eſt. Nam, qvae merita tua ſint, et dotes maximae, ipſe ſcio, et laetor, talem Principi virum contigiſſe, qvi et bonas literas tueatur, et ornet. Qvo animo cum ſis, unum da mihi, ut abs te impetrem. Verſatur apud nos iuvenis, Gothani Principis, dum in Moſcovia ageret, beneficiarius, haud leviter eruditus, atqve ſtudio ſacro deditus, nunc ad te profectus, ut cognoſceres praeſentem, atqve patrocinio tuo, qvod uterqve longe maximum ducimus, amplecterеris. Qvod ſi non defugias, optimi iuvenis cauſa, putabo mihi beneficium collatum, et, dum vivam, gratum, memoremqve me tibi exhibebo, qvi alioqvin opto, ut tibi mei obſeqvii ratio conſtet. Ita tuum Principem, teqve DEVS ſervet. d. XIX. Iun. cIↃ IↃc LXXV.

CCXLIIX.

N. N.

ITerum abs te accepi beneficium, qvod petitioni meae locum dediſti: qva qvidem facilitate id conſeqveris, ut omnes boni te collaudent, ego vero petendi moleſtiis te prope obruam, ac Sempronium denuo per te in Caii amicitiam inſinuari cupiam. Qvod, eo minus dubito, qvin facturus ſis, qvod ſumma eius familiae dignitas ſit, ac ſplendor. In primis autem illud eximium, ac ſingulare in eo ineſſe, cenſeo, qvod animo ſit modeſto,

ac vere Germano, et diſcendae iurisprudentiae cupido. Adiuve itaqve conatum hunc, et, teſtimonio ornatum, optimis viris commenda. Ita vale, ac nihil eius, de qvo ſcripſi, invenis cauſa praetermitte. d. XXI. Iun. cIↄ Iↄc LXXV.

CCXLIX.

IO. FRIDER. VOLHARDO.

Laurentii Vilelmi deſcriptio futilis eſt, nec ea melior Schmidii videtur, ſi aliqvot Imperatorum Salicorum *diplomata*, qvae in hac continentur, excipio. Olai Vormii liber eſt curioſus, ut omnia fere huius viri opera, in qvibus Muſeum numero, et antiqvitates Runicas. *Declaratio* Innocentii X. iam dudum vanitatis eſt convicta, nec Lipſia Liberata aliqvid, praeter verba, atqve expoſtulationum formulas habet, niſi qvod Suedorum animos, ancipitemqve fortunam, illo qvoqve tempore memorabilem, oſtendat. Scriptum tripartitum iam dudum ab Oldenburgicis ſolide eſt confutatum: acta ipſe domi ſervo. Iſidorus Iſolani ſtyli, rerumqve dignitate vincitur a Bernardo Sacco. Ericium Puteanum ſane deſtituit iudicium pragmaticum in rebus Inſubricis; ſtylus coeteroqvin elegans, ſi qvis Laconico delectatur. Commendo tibi hiſtoriam belli Colonienſis, a Michaele Iſſelt ſcriptam, ubi fontes, qvos alibi, de Gebhardo Truchſeſio, non perinde reperias. Librum poeticum vidi, et miratus ſum viciſſitudinem ingenii humani. Scriptores Reuberi, Piſtorii, et Siculos abs te poſtulo. Ab auriga qvatuor

tuor thaleros accipies: de cetero ſumptus tuos curabo. Spes Scriptores Bohemicos nanciſcendi me fefellit: Hagecius aliunde mihi miſſus. Bohemicos itaqve imperti, qvia tuus honos agitur. Accurate enim tuo nomine elaborabo. d. XXII. Iun. cIↃ IↃc LXXV.

CCL.

CAROLO, L. B. A FRISEN.

IN Marchia multo aliter res cadit, atqve putarunt Suedi. Nam, praeterqvam qvod multa ipſis adverſa ſunt, DEVS ipſe iniuſtam cauſam deſerere videtur. Dum enim huc uſqve pugnarunt, aut diffugerunt, aut caeſi, captiqve ſunt. Ita uno tempore dignitatem veterem, et Germanorum gratiam amittunt, ſero experti, in fervidis conſiliis non ineſſe rationem. Sed mari melius ſperant, rati, ita litora ſua, et fines eſſe communitos, ut Batavi in continentem excendere prohibeantur. Ad Rhenum cunctatur Caeſareae militiae imperator, Raymundus Montecuculi: contra ad Moſam fervet Auriacus, et ardenti animo erigitur ad pugnam. Io. Sobieſcius, Poloniae Rex, Suedos a conſilio invadendae Pruſſiae dehortatur. In Vngaria nondum deſinunt motus, et Turcarum exercitus, qvi proxime apud Neuſolam conſtitit, Auſtriis formidinem iniecit: nunc autem deprehenditur, Poloniam rurſus totis viribus eſſe aggreſſuros. Qvod ut bene vertat Polonis, et hoſtibus in exitium cedat, omnes precamur. Illud autem cordati mirantur, qvod Auguſtus

guſtus magnifico titulo Poſonii, iam qvaſi de Turcis, et haereticis triumphatis, ſibi in Regno Vngariae plaudere ceperit. Qvod omen multis ſiniſtrum videtur. De cetero venit ad te, Domine, M. Vagnerus, et ſe gratiae tuae permittit, neqve alius nunc eſt animus M. Frenzelii, humilime orantis, ut, ſi nulla ſpes honoris Academici affulgeat, ſacerdotiis tandem opimioribus benignitate Principis, et tuo favore ornetur. Ego DEVM oro, ut omnia fortunae proſperrimae incrementa perpetua tibi, et ſtirpi tuae eſſe velit. d. XXV. Iun. cIↄ Iↄc LXXV.

CCLI.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

SVedi armis Brandenburgici feliciter ex Marchia qvam inſtinctore Vitrio ſtupris et irruptionibus foedarunt, eiiciuntur: Vrangelius tribunus, et Vangelinus capti ſunt: aliqvot cohortes caeſae: pleraqve ſigna erepta, qvae Caroli, Suedorum Regis, nomen praeferunt. Qvae fortuna imperatorem Vrangelium conturbat, virum, ſuperiorum temporum experientia temperatum, et prudentem, ſi eius conſilio, voluntateqve negotia publica conficerentur. Nam omnis fortuna nunc deſecrit Suedos, et ruſtici, qvos, abſente Brandenburgico, indigniſſime tractarunt, qvaſi audacia furentes, diſcurrunt, et Suedos contrucidant. A Sileſiae finibus imminet praefectus generalis Koppius, cuius tamen non magna apud externos auctoritas eſt, atqve infeſtum ingenium Vngari deteſtantur, et

et milites ipſimet, qvibus eſt praepoſitus, moleſte ferunt. A ſeptentrione eos Batavi oppugnabunt, bello auctoribus difficili, qvod iam omni apparatu litora communiverunt Suedi, et, Dano qvem nova ſpe ad neutras partes inclinaturos ſe ſperant, pacem ſervaturo, nullam excenſionem timent. Eſt qvidam, qvi ex Haſſia ad me perſcripſit, mirari ſe, cur Seren. Saxo noſter ad pellendos Suedos operam, viresqve non conferat, qvod Circulus Saxon. ſuperioris turbatus eſſet. Cui reſpondi ego, qvia neqve Circulum neqve Imperium bello appetant; ſed ex foederis ſingularis formula, eiusqve diverſa interpretatione, occaſionem ſuſceptarum inimicitiarum arripuerint: cui rei ſe immiſcere ſit praeter Saxonicam prudentiam, qvae ſuperiori anno ſatis Caeſaris, imperiiqve auctoritatem contra Gallos defendiſſet: qvanqvam et ipſi Haſſo-Caſſellani exemplum ſtudii neutrarum partium, turbato ſuperiori Rhenano tractu, qvo ipſi continentur, prodiderunt. Qva qvidem ratione ego ſatisfaciendum eſſe duxi, ei cum primis, qvi tuae qvoqve virtutis admirator eſt, Domine. In Vngaria exercitus Turcarum, qvi apud Neuſolam conſtitit, rebus Auſtriis metum attulit, qvamvis illius profectio ad Poloniam dirigatur. Illud tamen in omen ſiniſtrum accipio, qvod Auguſtus hoc A. d. XXIII. Mai. inciſo in columna titulo, ſibi depulſis Turcis, et ſubactis plane factioſis, praecipue ſacrorum repurgatorum cultoribus, Poſonii publice ſit gratulatus. Nimirum ea agunt, Praeſules, qvibus in nulla cauſa fides. Caeſari iuſtum obſeqvium reli-

relictum. Ceterum de Servio multum ſibi ſpondent, atqve confirmant, cui Metropolitanum honorem deſtinant. Ego mentem minime turbidam opto: tibi autem, Domine, omnia ſalutis, fortunarumqve incrementa, proprio, ac perpetuo iure retinenda, precor. d. XXV. Iun. cIↄ Iↄc LXXV.

CCLII.

EIDEM.

SI, qvoties ad te ſcribo, ignarus multorum, qvae tu ſcis optime, et improvidus futuri, qvod tu perſpicis rectiſſime, et ſaltem certiori coniectura aſſeqveris, poenas pendere ignorationis meae deberem, iuſtae mihi cauſae forent, propter qvas ſcribere in poſterum deſinerem. Nunc, qvia ea eſt in me propenſio tua, ut ſtudia mea tibi commendata habeas, et reſcribendo interdum teſteris, nullo modo te offendi tenuitate ingenii mei, animum addis, ac gentis tuae decus incomparabili benignitate ſuſtines, ac tueris. Ego ſane reverenter abs te peto, uti in hac ſententia perſtes, atqve in clementia ſolita perſeveres. Nam nec ulla virtus te altius efferre poteſt, et totus orbis, qva literas aeſtimat, ac colit, eam praedicat merito, et miratur. Id vero perſpicaciſſimam prudentiam docet, qvod eas conſervandae Saxoniae noſtrae tranqvillitatis rationes explicaſti, qvas nemo poſſet te melius, et ego, dum vivam, memoria tenebo, ac literas tuas ſancte cuſtodiam, nec aliter, qvam monumentum ſapientiae tuae, et theſauros, qvi me bonitatis tuae admoneant, ſervabo. Qvod

de ſilentio vis earum rerum, qvas non expedit emanare in vulgus, ultro obſeqvor, qvanqvam id mihi enunciare permittes, ut gloriam, qvam, ex literis Graecis, ſine qvibus nullam eruditionem eſſe ſolidam recte cenſuiſti, comparatam, ad ceteras doctrinae laudes adiunxiſti, paſſim circumferam, et in hac duntaxat parte mandati tui leges perfringam. Ceteroqvin Suedos animoſe perſeqvitur Brandenburgicus: plurimi Germanorum diffugiunt, et, qvia vel oculis ſtudium dominatus Gallici cernunt, ſigna deferunt. Chriſtian. Albertus *Holſatiae Ducem*, ob inſtructas machinationes contra *Danos Rex Daniae* adortus, per latus petit Suedos: Io. Ad. Kielmannum Kielmanſeggium, Praeſidem ſanctoris conſilii Gottorfienſis, cuſtodia retinet, virum ſolerti, et ad res agendas erudito ingenio praeditum, et, niſi Principem ſuum ab amore Regis Daniae penitus avertiſſet, fideliter munere ſuo defunctum. Nam et huius artibus, et Suedorum opera, ſupremum Ducis Sleſvigae ius adeptus, cum qvaedam non optima machinaretur, ſe contra Regem efferre viſus eſt, Suedorum patrocinio innixus forte, qvod hi vinci non poſſe crederentur. Ipſe Dux a periculo non abeſt, etſi qvidam compoſitionis litium ſpem faciunt: contra alii vulnera ſuperioris belli Suedici refricant, et qvod Pater eius Fridericus Dux, fidem beneficiariam Regi Daniae, tunc reqvirenti, pro ea, qva illo tempore erat, conditione, non liberaſſet, et poſtqvam Filius Albertus de onere *dominii clientelaris* exemptus fuit, oblitus amicitiae, et pa-

cto-

ctorum, conſilia publice noxia cum Svedis communicaſſet. Iamdum omnia caſtra, oppidaqve Dani, praeter Tonningam, qvae et ann. cIↄ Iↄc LX. paulo ante qvam pax coaleſceret, in diſcrimine verſabatur, obſidente, cum Eberſteinio, belli Danici tunc Praefecto. In Sabaudia diem obiit Carolus Emanuel, Dux omnium rerum negligens, niſi qvod Gallico nomini totum ſe tradidiſſet. Vidua eius, licet Aurelianenſis, et neceſſitudine Regi Galliae innexa, utili conſilio partibus Gallicis, Auſtriisqve mediam ſe praeſtabit, ut mihi a viro qvodam non imperito eſt perſcriptum. Moguntinenſes Praeſules Carolum Caſparem, Principis Trevirenſis fratrem, *Baronem* Domianum Hartardum, communibus ſuffragiis poſtulaſſe *Metropolitanum* perhibentur. Qvo factum, ut ſpe exciderit Derenbachius, Antiſtes Bambergenſis, qvi prenſaſſe qvoqve dicitur illam ipſam, tota Germania eminentiſſimam, dignitatem. Qvibus nunc acqvieſce, Domine, et propenſo patrocinio me, ut ſoles, fove, ac ſtudia, resqve meas ſuſtenta. Ego DEVM orabo, ut invidenda nominis tui gloria perpetuo conſervetur. d. IX. Qvintil. cIↄ Iↄc LXXV.

CCLIII.

CHRISTIANO SCHVZIO,

NOn moleſte feres diuturnam moram, qvam, non oblivione tui, ſed occupationibus impeditus, huc usqve duxi. Cum autem memor ſim promiſſi de munere literario, ad te perferendo, nunc tandem exolvo fidem, et magnopere peto,

peto, ut aeqvi conſulas. Qvod cum Sagittario de me ſermonem honorificum habuiſti, ago pro officio gratias, et opto, ut Profeſſor hiſtoriarum hic de provincia ſua qvamprimum decedat. Videbit, qvae ſim in hiſtoria editurus. Svedi in vicina regione foede graſſati ſunt, et, ſi ita pergant, parum aberit, qvin vetus gloria prorſus contaminetur. Legatus eorum Blumius e Senatu Imperij dimiſſus: Viennae, et Luneburgi nihilo minus eſt conſultatum. Ego ſane miror, gentem eam hoſtis imperii cauſa Imperium in ſe concitare, et ex animis delere ſuperiora beneficia: qvanqvam audio ſenſim retrocedere, et Brandenburgico, offerre iterum ſatisfactionem. Sed qvae horum ſcio, et ſentio, non licet tuto perſcribere: id vero affirmare, pia, et iuſta bella DEVM reſpicere; impia, et iniuſta, qvalia nunc Svedi incipiunt, averſari. d. XIV. Iul. cIↄ Iↄc LXXV.

CCLIV.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

TErreſtri, maritimoqve apparatu Brandenburgicus, Foederatiqve ipſius in ultionem irruptionis Svedicae vires, operamqve conferunt, nec ſcio, an unqvam periculoſiori ſtatu res eius gentis fuerit, atqve nunc eſt, poſtqvam tota Marchia pulſis neqve maris, neqve terrae ſecura poſſeſſio reſtat. Varnemunda, propugnaculum exigendis vectigalibus non Ducatui modo Mecklenburgico grave; ſed commerciis Roſtochienſibus qvoqve exitioſum, Brandenburgico eſt deditum. Viſma-

ria, portu commodiſſimo, et qvem prudentes Stralesundenſi praeferunt, praedita urbs, neſcio qvo fato, in diſcrimine verſatur, poſtqvam pars Batavae claſſis excenſionem minatur, et Brandenburgicus cum victore exercitu in propinqvo conſiſtit, urbem, natura, opibusqve validiſſimam, nunqvam occupaturus, niſi occaſione Panici Svedorum metus, et diſtractarum terra, mariqve virium mutetur. Hannoveranus tandem ſine fuco promiſit, ſuam, Caeſarisqve, et Imperii, communem cauſam fore. Qvod eo magis laetum noſtris partibus evenit, qvia iſte Princeps comitia Circuli inferioris Saxoniae conſiliis, in diverſum nitentibus turbavit, qvippe a Gallo conductus, ut Svedis, Brandenburgicum invadentibus retinendi ducatus Bremenſis armatus ſponſor eſſet. A Caeſare pactus dicitur Eisfeldiam, qvae Moguntini iuris eſt, ex Grubenhagenſi Principatu, qvi in Hannoverani ditione eſt, detracta, et ab Ottone, Duce Brunſvicenſi, XIV. ſeculo, *Eccleſiae* Moguntinae vendita, ut habet chronicon Saxonicum vetus: qvanqvam alii volunt, pignori ſolum oppoſitam, qvod utiqve negant Moguntini, et haud provident, ut ſpe praeoccupatum Ducem fruſtrentur. Reimundus Montecuculi aſtu, atqve inſidiis Turenium debellaturus creditur. Sane enim cum vafro, et uſu, ſenectaqve confirmato hoſte bellum gerit, qvem niſi receptu, commeatuqve intercludat, et opportunitatem itineris verſus Philippiburgum, Briſacumqve praeripiat, haud magnopere nocebit Gallis, qvippe cautis, et nunqvam per-

permiſſuris, ut cohortes, animo, viribusqve noſtris diſpares, ancipiti certamini obiiciantur. Tum vero nunqvam Turenius, ut noſtri ſolent, ex iniqvo loco, et ad receptum perdifficili, pugnabit, ratus, hanc eſſe ſalutis viam, qvam ratio ſecure elabendi monſtret: unde maius damnum perveniat ad hoſtem, qvam ſi iuſta acie cum eo congrederetur. Ad haec nuncius acceptae cladis Svedorum valde Gallis animos minuit, Regemqve Ludovicum in primis perturbat, ut nihil optet, nihil agat enixius, qvam ut, conciliatore Anglo, poſtqvam ea ſpe Svedi, culpa ſua, exciderunt, pax reſtituatur. Neqve eo ſecius laborat Rex Svedorum, malo ſuo expertus, praecipitis, fervidiqve conſilii eventum. Simul et poenitet Gallos magni militum impendii, qvo ipſis ſtetit expugnatio caſtri Limburgenſis: miranturqve rei militaris periti omnes, cur iſte Rex, qvi ſua qvoqve experientia edoctus ſciat, puncto temporis mutare fortunam belli, et conſilia hoſtis, tot arces, caſtraqve, ſuo cuiqve tempore reddenda, et tanta qvidem iactura militum, qvos praelio ſervare melius poſſit, et nunc minori, ac olim, numero habeat tam ſecurus futuri eripiat. Sed, cum avum Henricum M. imitari ſtudet, tanqvam impar aemulus, irridetur. Interim te, Domine, tuamqve gentem DEVS fortunet, et contra omnes calamitates muniat, atqve tueatur. d. XIX. Qvintil. cIↄ Iↄc LXXV.

S 2 CCLV.

CCLV.
IO. FRIDER. VOLHARDO.

Theophraſti Paracelſi liber de Republica perrarus eſt, et paucis viſus; ſed minime aſſecutus dignitatem, qvae qvidem viris, reipublicae negotium ſcientibus, debetur. Plus ex uno libro Polybii, qvam toto Paracelſi volumine, addiſces. Similiter Cardanus ſaepe ineptit, cum ex medica officina digreditur ad arcana reipublicae, remediorum gnarior, qvam actionum civilium. Venit mihi hic in mentem recordari Platonis, qvi in libris ſuis de Republica nihil niſi ideas, et nomen DEI ingeminat, ut vix bene operam poſuerit Sebaſtianus Foxius, Hiſpalenſis, qvod eum annotationibus illuſtravit. Vtinam vero Ariſtotelis de Rebuspublicis opus, iniuria temporum deperditum, adhuc ſupereſſet! Qvam iacturam libris Politicorum, ab eo editis, utcunqve ſolamur, qvos eleganti, et nitida Paraphraſi Latina donavit clariſſimus vir, Dn. Daniel Heinſius: ac digni ſunt, ut a qvovis diligentiſſime legantur, qvi ſcientiam civilem conſeqvi ſtudet. Monumenta Oſchazienſia fragmentis qvibusdam continentur. Chronicon Lauterbergenſe a Madero editum eſt. Leuthingerus, cupio, a te ut commodo mihi detur. Nam et eius mihi uſus erit in contexenda hiſtoria tua. Scriptores Graecos accepi; ſed Iſidori Pe uſiotae priores qvatuor libri deſiderantur. Illos ſempiternae memoriae tuae ſervabo, et, futura occaſione, primam plagulam tibi mittam, et pretium

tium typographi ſignificabo. Bohemicos Scriptores hac hebdomada cum rhedario Vratislavienſi accipiam, et ita res tuae recte procedent. Vale. d. XXIII. Iul. clↄ Iↄc LXXV.

CCLVI.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

Diverſa parte Danus, Bataviqve Svedis imminent, ut tranſitu, receptuqve prohibeantur: in Rugiam immiſſa claſſis dicitur, qvae Svedos, mari in Pomeraniam ingreſſuros, arceat: Vismariae propugnaculum, qvod Valfiſch appellatur, obſident Batavi, et a clivo, qvi urbem reſpicit, tormentis verberant. Oppidani interim male habiti, parum abeſt, qvin factionibus collidantur. Varnemundam Svedi ultro deſeruerunt, perterriti adventu Brandenburgicorum, atqve ſe Vismariam proripuerunt, non citra deditionis periculum, ſi Foederati inſtent, et vim terra, mariqve adhibeant, et, qvod nunc poſſunt, Svedos impediant, qvo minus annonam, et milites advehant. Qvodſi fortuna eorum partibus ſtaret, Svedis aditus cum verſus Bremenſem Ducatum, tum ſuperiorem maris Baltici partem clauderetur. In Svedia ſane diſſidia orta ſunt inter Proceres: multi belli iuſtitiam aſſerunt: multi negant. Hannoveranus, qvoad Bremenſis, Verdenſisqve Ducatum, patrocinium, Galli, qvi Svedos in bellum impulit, ſtudio, ſuſcepit, adhuc ſuſpiciones movet: aut terretur armatis in viciniа copiis, aut mixtis metu monitionibus a propoſito revocatur. Vrangelius,

generalis legatus copiarum Svedicarum, ob rem male geſtam, a Svedis in ius vocatus eſt. Error enim nunciorum fefellit, qvando nuper ſcripſi, captum fuiſſe. Vangelinus Priezam abductus eſt, qvi, dici non poteſt, qvam male audiat, qvod per helluationes, atqve ignaviam cohortem ſuam amiſerit, ſuper menſa alioqvi gloriatus, ſi Elector Brand. cum qvinqvaginta millibus militum veniret, non refugere ſe praelium, cum ipſo committendum: qvi ſimul atqve in conſpectum Electoris venit, valde increpitus, patientia ſe ſolari neceſſe habuit. Imperator Vrangelius taedio, et moerore conficitur, belli pertaeſus, et maximarum, qvas providet, calamitatum. Vnum Foederatis acerbum eſt, qvod Lesnikanum propugnaculum, qvod Marchiae aditum aperit, atqve uliginoſo, et fere inacceſſo loco ſitum eſt, adhuc in Svedorum poteſtate ſit, proxime a praefecto praeſidii, cum defendi potuiſſet, deſertum. Hoc enim iamdudum ad Pomeraniam pertinere, ac ſibi deberi, affirmarunt Svedi, cuius poſſeſſio niſi repetatur, nunqvam tutus Marchiae limes erit. In Ducatibus Britanniae Ciſmarinae, et Normanniae, plebs tumultuatur, ob tributorum, qvae imperantur, gravitatem. Condaeus non audet copias explicare; ſed recipit ſe, et tergiverſatur: qvin et rumor affertur, turmas aliqvot, praerepta itinerum commoditate, caeſas. Creqvius in Turenii ſubſidium properat: Montecuculi conſilium eo ſpectat, ut caſtra Gallica annona, commeatuqve priventur, qvandoqvidem locus non ſinit, ut pugna

con-

conſeratur, non multo aliter, ac olim Iulius Caeſar, ex eadem cauſa, cum Vercingetorige Gallo praelium circumſpecte detractabat. Ceterum clades, apud Ratenoviam accepta a Svedis, vehementer Gallos perculit, contra hi ex Polonia ac Tranſylvania impetum minantur: nec vacat ſuſpicione, qvod Sobieskius proxime qvaedam aſperius dixerit in Auſtriam domum, et cauſam belli, a Turcis in Poloniam translati, in Caeſaris miniſtros reiecerit. Nempe Galli, et Svedi, cum in Germania non inveniant ſubſidia, apud Sarmatas, Scythasqve qvaerunt. Interim te DEVS, Domine, ſoſpitem, florentemqve tuam domum praeſtet. d. XXIII. Iul. cIↄ Iↄc LXXV.

CCLVII.
EIDEM.

SI A. cIↄ Iↄc LXXIII. Galli, cum poſſent, Batavis pacem, aut inducias roganti Caeſari dediſſent, non eſſet, cur a Batavorum excenſione ſibi timerent, et cladium apud Oberniachium, qvod ditionis Antiſtitis Argentoratenſis eſt, atqve apud Rencherlochum, recordarentur. Reuterus enim, praetor navalis, cum claſſe oras Gallicas petiit, invitatus a rebellibus, qvorum ductor eſt *Marchio* Monteſpanius, Regi infenſus, et demendae ignominiae vehementer cupidus. Nec Caeſaris Praefectus negligens, neqve improvidus eſt, qvi, qvanqvam iuſta acie dimicare nondum potuit, virtute tamen Lotharingi iunioris, aſtuqve militari, et clauſis itineribus, interceptaqve annona,

nona, copiis Gallicis plurimum damni attulit, caeſisqve aliqvot cohortibus ſuperiorem gloriam, qvam expeditione in Vbios ſuſcepta A. cIↃ IↃC LXXIII. comparavit, praeclare aſſeruit. Qvi ſimulac audit, Turenium a veſtigio diſceſſiſſe, ſtatim paratus eſt, movere caſtra, et ſigna inferre in hoſtes. Hinc multi Gallorum elabuntur, et fuga ſalutem parant: plurimi morbis, et inopia conſumuntur. De Turenio allatus eſt rumor, iactu tormenti in acie pugnantem occubuiſſe: qvi omnino vanus eſt, et forte ludi cauſa de cautiſſimo duce, et earum artium, qvibus vitari ictus, et parari effugia poſſunt, gnaro, ſparſum. De Vaubrunio autem, non negabo, eſſe ſauciatum, qvippe temere multa aggredientem, et magis, ut apud Rhenanum propugnaculum Argentoratenſe Anno cIↃ IↃC LXXIV. apparuit, audaciae aliqvando, qvam rationi, et conſilio innixum. Tum vero Turenius hoc rerum Gallicarum ſtatu iuſta acie non pugnabit. Si enim adverſaretur fortuna, et funderetur exercitus, de tota Alſatia Gallica actum eſſet. Nihilo verius eſt, qvod de Dorflingo, a Svedis capto, vulgo tradunt, opinionumqve vanitates ſtudio partium alunt. In agrum Trevirenſem Luneburgicos converſos revocat ad ſocietatem Auriacus, praelium cum tergiverſante Condaeo commiſſurus. Leodienſium res, eo ſane ſtatu, ſunt afflictiſſimae. Bremenſis *Ducatus*, perterrito plane Hannoverano et tandem neutras partes amplexo, brevi in Foederatorum ditione, poteſtateqve erit. In Holſatia pleraqve oppida Gottor-

Gottorpienſis Ducis Regi Daniae ſacramento beneficiario adiunguntur, Dantiſci plebs impedit, qvo minus Strauchius Gryphisvaldiam proficiſci poſſit: vereor, ne fortuna ſuperior triſti exitu terminetur: qvem tamen ego fauſtum, felicemqve eſſe optem. Pro te autem, atqve gente tua, Domine, nullum pietatis officium praetermittam, ac DEVM orabo ſemper, ut Friſii publicae privatimqve floreant, Reiqve publicae ſuperſint. d. XXX. Iul. cIↄ Iↄc LXXV.

CCLIIX.

IO. EBERARDO BVSMANO,

P. P. HELMSTAD.

ANnus eſt, ex qvo reſponſionem tibi debeo, non oblivione qvadam veteris amicitiae noſtrae, ſed, qvia exiſtimatum, hoc anno futuram mihi tecum colloqvendi occaſionem, et inviſendi Academiam veſtram. Qvod qvo minus adhuc potuerim, prohibuit Kirchmaieri noſtri ad thermas Bohemicas diſceſſus: ſiqvidem datum mihi negotium eſt ſcriptionis publicae, cuius moris non potes eſſe oblitus, modo non ſit grave recordari, illud munus hic Profeſſorem Poeſeos cum Oratore commune habere. Mihi enim, neſcio, qva commutatione fortunae, attributa eſt provincia haec, non qvo putem, in ea mihi conſeneſcendum; ſed, qvia tunc rationes capeſſendi pleni muneris ita ferebant. Greenius, doctus ſane, modeſtusqve rerum divinarum inter-

pres, temporis gratia hiſtoriam docet, et, qvia oratorem ſacrum ſpondet, mihi ſucceſſionis ſpem facit. Tibi autem de ſuſcepto doctoris Ebraei munere, eo magis gratulor, qvod ex longinqvis itineribus ſalvus, atqve incolumis rediiſti. De opuſculo, qvod recudendum curaſti, ago, habeoqve gratias. Vidi id, anteqvam edidiſſes Dreſdae apud ſummum patronum meum, Henricum Friſium. Ceterum de Gallicarum rerum converſione hic mira exaudiuntur, et nixo alioqvin potentia ſua, et creſcenti qvotidie magis, Leopoldo, ſuo merito Germania applaudit. Venit ad te civis Academicus natione Sileſius, probus, modeſtusqve iuvenis; at, qvae Sileſiorum Saganenſium calamitas eſt, patrocinii domeſtici expers, qvi deſiderio videndi patrum, doctorumqve veſtrorum tenetur, cui, non dubito, qvin viam ad benevolentiam collegarum munias. Ita te valere opto, petoqve, ut celeberrimos viros, Conringium, Schraderumqve ſalutes meo nomine plurimum : tum vero in primis Vffelmannum veterem amicum, cum Gieſſae ſtudiorum cauſa ageremus. d. V. Sextil. cIↄ Iↄc LXXV.

CCLIX.

N. N.

CVm ſpes me certa teneat, literas, qvas Kalendis Novembribus ad te exaravi, fideliter redditas eſſe, id ſcribere pertendam, unde ſtudiis tuis magnam fore acceſſionem, ſpero. Etenim, ſi tibi, cum

cum poſſem, ſvaſor, et auctor ſtudiorum non eſſem, partem viſcerum meorum abrumpi, crederem. Qvare, ut de integro meum in te amorem agnoſcas, duodecim dono dedi declamationes, orationum et aliqvot mitto ideas. Habeo plures, et, ſi recte rationes ineo, ducentarum numerum excedentes, qvae ut iuſtam ſervant magnitudinem, ita, animum eruditorum explere, pro certo habeo, qvarum exempla, cum tempus tulerit, a me accipies. Omnia ex me ſtudiorum eloqventiae arcana percontaberis, ſi uno mecum anno in Academia vixeris. Rara enim ſunt eloqventiae ſubitae ſubſidia, qvorum ut non nego mihi eſſe parum, ita non committam, ut, qvicqvid eorum mihi conſtiterit, te celare auſim. Iam in eo tantum verſabor, ut, qvomodo prudentia civilis pura oratione exprimi poſſit, oculis tuis qvodammodo ſubiiciam. Huc opus fuerit legere orationes Ciceronis, Declamationes Fabii, epiſtolas Plinii Iunioris: qvi aut patroni cauſarum fuerunt, aut orandi cauſas praecepta dederunt. Alia enim oratoris dictio eſt, alia iureconſulti. Ille elegantiam lingvae: hic veritatem conſeqvendam proponit; ille huius utilitati ſervit, et decori: hic tamen ſine eo eſſe poteſt. Faciam periculum. Minus recte dixeris certe *Vaſallagium*, cum *ius fiduciarium* oratori dicendum fuiſſet: eodemqve modo *proferre* apud Latinos dicitur, qvod nos in foro *producere* vocamus. Hiſce vale. d. VI. Aug. cIɔIɔc LXXV.

CCLX.

CCLX.

IO. FRIDER. VOLHARDO.

Res Siculae Fazelli placent: eo qvidem magis, qvod Marini Frecciae, qvi Caroli V. in regno conſiliarius fuit, commentarii feudales, ut dicunt, in mea ſunt manu, unde plurima egregia poſſunt deſumi, praecipue ad ſtatum, et iura, legesqve penitius cognoſcendas. Scriptores Gallicos, qvos miſiſti, plerosqve aliunde comparatos habeo, tantum nunc deſidero Reuberi, Piſtoriiqve ſcriptores, qvos promiſiſti, alioqvi pacto convento nolim ſtare, et repoſcere pecuniam. Qvod aeqvius eo eſt, qvia impenſas operarum diſſertationis tuae, curabo, noſtiqve ipſe, inops eſſe, et avidum iſtud hominum genus. Hagecium, et Boreckium accepi, qvo iam tum utor. Tantum mihi deeſt Dubravius, qvem ſi nactus fuero, exhilarabis me primo qvoqve tempore. d. VI. Auguſt. cIↄ Iↄc LXXV.

CCLXI.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

Non poſſum ſatis mirari caſum Turenii, tota Europa callidiſſimi Praefecti militaris, et cuius ictus cauti, conſilio, an arte Paſſavienſi, dubium, niſi apud Sasbacum cognitum fuiſſet, iactu globi, e tormento campeſtri emiſſi, parte laeva, qvae in thoracem vergit, tactum qvidem et proſtratum, ſed omnium minime transfixum fuiſſe.

Qvod,

Qvod, cum nunqvam credidiſſem, poſſe fieri, tamen tot literae ex diverſis locis miſſae, tot publici nuncii, atqve ipſi transfugae ex caſtris Gallicis, confirmarunt, ut non amplius pro incerto rumore haberi debeat, et praedicari Germanorum virtus, qvae talibus factis infra Argentoratum demonſtrata eſt, et iis qvidem menſibus, qvibus priſci Romanorum Imperatores nomina dederunt, ut intelligi poſſit, nunc qvoqve noſtri Caeſaris auctoritatem eſſe vindicatam, atqve recuperatam eam gloriam, qva Germanos, antea diſſidiis et mora impeditos, Galli audaciſſime privabant: vulgus qvidem ſi penſito, etiam perditi lixae calonesqve, qvi ſic abiecte de noſtris loqvebantur; Tribunis tamen uſqveqvaqve opinionem foventibus et Rege ipſo, cum ludicro delectaretur, connivente, at iam experto, inſolentiam Gallicam frangi poſſe armis Germanorum. Aiunt, Regem accepto mortis Turenii, cuius emiſſarius, Vaubrunius, pari fato functus eſt, nuncio, dixiſſe, maluiſſe ſe duas clades accipere, qvam unius Turenii facere iacturam. Sed tot incendia, atqve horribiles direptiones tandem vindicari oportuit, ut conſtaret, ferociam Gallicam fortitudine Germanica poſſe profligari. Acerrime pugnarunt Praetoria, Souchia, et Lotharingica cohortes. Dux Lotharingiae, Carolus iunior, et Dunevaldius, Gallos pertinaciſſime oppugnarunt, neqve torpuit Hermannus: *Marchio* Badenſis, locorum, ubi dimicatum eſt, gnarus, et rei tormentariae ad Imperium pertinentis praefectus, idemqve tormenti in Turenium ex-

excutiendi auctor: maximus in eo praelio peditum uſus fuit, vires identidem inſtaurantibus Gallis, et ultra plures dies noſtris victoriam ambiguam reddentibus. Neqve melius in Sicilia rem geſſit Vivonius, qvi in Africam ad Mauros ſe recepit, infidam gentem inſtigaturus, ad conturbandos ibi Hiſpanos. In Catalaunia, ubiqve plerumqve Hiſpanos deſtituit fortuna: felicior eſt *Comes* Schombergius, cuius genus ex Germania veriſſimis argumentis ducitur, Regiqve ſuo percarus eſt. In Britanniae *Ducatu* ſeditio nondum conqvievit: opportunum id Batavis foret, ſi occaſione uterentur, et multitudinem concitatam, ſpe recuperandae libertatis, erigerent firmarentqve. Princeps Auriacus cur moras nectat, multi ſane mirantur, et ſperant cunctando praeclarum facinus eſſe facturum. O ſi Gallia nunc eo eſſet loco, quo eſt Germania, alias leges ferret nobis, et vix remitteret aliqvid de iniuſtiſſimis poſtulatis: at Germani, viciſſe contenti, ut Veneti aiunt, victoria uti neſciunt, parati accipere qvalescunqve conditiones, et ſe defendere ſatis habentes. Verum id ad tuas curas pertinet, Domine, mihi ſatis eſt, applaudere Leopoldo, et gratulari Germaniae hanc ſortem, qva priſtinum decus, qvod tam indignis modis Galli obtriverant, feliciter recepit, ac fortiſſime defendit. Ita te DEVS ſervet, fortunetqve Domine. d. VI. Auguſt. cIɔ Iɔc LXXV.

CCLXII.

CCLXII.
MARTINO STVBRITIO,
IC. BVDISSIN.

QVae tua eruditio eſt, profert ſe in omnes vitae partes, et hiſtoriam attingit maxime, ſi cum cura et conſilio iſtud negotium ſuſcipias, et Gudenum falſi convincas. Optem autem, in tuis eſſe manibus illuſtris Seckendorfii ſcripta, ex qvibus Sagittarius omnia fere, qvae ad eam cauſam faciunt, deprompſit, et tu, pro ingenii dexteritate, id latius exeqvi, et ſtruere fidem argumentis exqviſitiſſimis potes. Qvanqvam et eo pertinet diſceptatio, A. cIↄ Iↄc XLVI. inſtituta, qvae circumfertur paſſim, ubi multa invenies, qvibus rectiſſime ad tuendam noſtram cauſam utaris. Nolim etiam diſſvadere lectionem Serarii, viri medii aevi intelligentis, et *diplomata*, qvae occaſionem accuratius ſcribendi praebent, ſuppeditantis, ut Moguntinorum cauſam ex ſcriptore Moguntino oppugnare, iusqve Saxonicum aſſerere, qveas. Qvod tametſi ipſe tu, vir conſultiſſime, habeas perſpectiſſimum, tamen promptitudinis meae teſtandae cauſa adiicere volui, ut laudabilem viam ingreſſus, in propoſito honeſtiſſimo confirmareris. Ita te DEVS ſervet, et honorem ingenii monumentis, qvae ſola victura ſunt, poſtqvam natura nos mortales genuit, ad ſeros poſteros tueatur. Tu vero, ut ſoles mihi fave, et Leuberum iureconſultum ſalvere iube. d. XI. Aug. cIↄ Iↄc LXXV.

CCLXIII.

CCLXIII.

CAROLO, L. B. A FRISEN.

CHodorovſcius, Nobilis Polonus, diffidens rebus ſuis, qvas ſcit eſſe afflictiſſimas, praeſidium ab Senatu veſtro petit, poſtqvam ſacra noſtra amplexus eſt, ut cum animi tranqvillitati conſuleret, tum meliores doctrinas, myſteriaqve rectius intelligeret. Qva in ſententia ſi permanſurus eſt, ut ſpondet egregie, et ſanctiſſime coram coetu publico hic affirmavit, non male eqvidem beneficium collocabitur. Nunc cum id nemo ſcire accurate, aut providere certo poſſit, ſperamus tamen qvisqve pro ea, qva advenas, ſacrorum noſtrorum ſtudioſos, amplectimur, charitate, ipſo te auctore atqve duce, Domine, qvi nunqvam de benignitate tua remittis, et hanc laudem propriam ac peculiarem habes, ut literarum religionisqve ornamenta conſerves, ac patrocinio tuo ſpem egenorum ſuſtentes. Ego alioqvin praedicator laudum tuarum, nihil conſeqvi ſtudebo, qvam, ut Chodorovſcius tibi calamitatis ſuae levationem acceptam ferat, et hoc ſentiat, hoc dicat omnibus, tui perbenigni patrocinii fructum ſe coepiſſe. Poſt Turenii, Vaubruniiqve cladem obitumqve diſſipata etiam ſunt ſupplementa Creqviana, nec multum intercedet temporis, qvo minus Galli, qvi iniqve Germaniam invaſerunt, tota Germania profligentur. Etiam in Suedos aliqvid conſulitur, licet induciis leniant adverſam ſortem, exiguo forte tempore, niſi mi-

mitius ſtatuatur. Vrangelius militiae imperator, miſſionem petiit. Scriptum novum acerbum ſatis, proxime editum fuit. Ita DEVS te ſervet, Domine, et faciat, ut omni vitae ſtatu perpetuo tui ſimilis ſis, et felix, atqve fortunatus cum tota illuſtriſſima ſtirpe, cum illuſtriſſimo fratre, propinqvisqve tuis, pro qvibus non unus ordo, ſed qva patet literarum respublica, apud DEVM deprecatur. d. XIII. Aug. clↄ Iↄc LXXV.

CCLXIV.
HENRICO, L. B. A FRISEN.

VElitationes, de qvibus ſcriptum eſt, proxime tandem ſecuta eſt pugna, decretoria ſane, et multis diebus dubia, priusqvam fortuna penitus in Germanorum partes inclinaret. Henricus Turenius prope Sasbacum, qvi eſt vicus infra Argentoratum, ictu globi proſtratus, cecidit, nullum verbum locutus, perfodi ſane non potuit, ea arte, ut non ex vano creditur, uſus qva A. clↄ Iↄc XXXI. Tillius apud Lipſiam, multiqve eius Tribuni uſi fuerunt. Etſi enim eum hac ſuſpicione liberat Adolphus Brachelius, tamen ſuppetunt indicia, qvibus contrarium mihi liceat, pro vero, affimare. Neqve dubitem, id de Turenio credere, ut qvi ſuperiori anno, cum dimicaretur a Luneburgicis apud Enſishemium, impavidus periculi, inter ſigna, ictusqve tormentorum diſcurriſſet, ut merito dixerit Chauvetius, praefectus Luneburgicus, non ſic periculo ſe fuiſſe obiecturum, niſi cor-

pus contra telorum iactus munivisset. Qvanqvam autem ea incerta ſunt, ac diverſis opinionibus iactantur, tamen meruit Turenius, ut eo fati genere defungeretur, vir qvidem experientiae militaris maxime, et calliditatis plane ſingularis, ſed maligno erga eos animo, qvi partes ſui Regis amplexi non fuiſſent. Fuit enim incendiarius Gallicus, in Germaniam immiſſus, non tam ut cum viris, (hoc enim ſaepiſſime detrectavit,) qvam ut cum urbibus tectisqve, qvibus ignem ſubiecit paſſim, certamen commiſſurus videretur. Qvid enim Palatinatus eſt, niſi cadaver? nec melior Alſatiae facies futura erat, ſi diutius vixiſſet. Nam nec *Epiſcopatui* Argentoratenſi pepercit, ſive odio in Antiſtitem, cuius conſilio Rex Galliae bellum coeperat, ſive, ut Germaniae tandem parentaret incendiis, extorqveretqve his modis pacis conditiones. Fecerit autem mandato Regis violentius, an ingenio ſuo, nunc inqvirere nihil refert, poſtqvam cognitum eſt, Germanos fortitudine ſua vaferrimas ſenis artes viciſſe, et decus noſtrae nationi, cui ubiqve convicia ab hoſtibus dicebantur, recuperaſſe. Eidib. Aug. cIɔ Iɔc LXXV.

CCLXV.

IO. FRIDER. VOLHARDO.

Miraberis, qvare non reſponderim, ſed eius rei culpam in aurigam conferes, qvi ſerius curavit, more ſuo cunctator. Indicem, qvem miſiſti, remitto paulo emendatiorem. In hiſtoria

Saxoniae, qvatenus ad Anglorum ultimam memoriam pertinet, compendii cauſa legas Danielem Langhornium, in Elencho Antiqvitatum Albionenſium. Skenaeus non multum profuturus fuit Salmaſio, ſi qvidem is non tradat, qvis in regno Angliae ſummam poteſtatem habeat, ſed iura, inſtituta, leges Scotiae, ſeparatim, atqve fori ratione, complectatur. Id vero neſcire non potes, Angliae regem ſic alligatum eſſe legibus, ut ſine conſenſu Regni Ordinum nihil ſtatuere de republica, nullamqve legem poſſit condere. Theſaurus Adenburgeri multa continet, qvae noviſſime ſunt mutata, ab auctore tamen, neſcio, qvamobrem ea haud notata fuerint. Brevi Elzevirianae Respublicae Francofurti recudentur. Obſidio Rigenſis, cuius copiam feciſti, qvaedam ad ius gentium idonea capita continet. Qvaeſo te, ut libellum, cuius titulus eſt Epitome Rerum Germanicarum, editum a qvodam *Canonico* Conſtantienſi, tibi compares, qvi eſt egregius, et nihil diſſimulat, neqve in Pontificiis partibus. De ceteris alias moneberis. d. XXVI. Auguſt. cIɔ Iɔc LXXV.

CCLXVI.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

CVm Svedis male agitur, rumorqve affertur, Sedinum brevi Brandenburgico deditum iri, rebus ibi male proviſis, et civibus metu attonitis, ac plane animo caſuris, niſi mari milites ſubvehantur. Mecklenburgica regio ferme omnis direpta

eſt, faciuntqve Brandenburgici, ut peiores Svedis habeantur, ut qvi, non modo ob vaſtationes in Svevia, Franciaqve orientali admiſſas, ſed etiam ob noviſſimam expeditionem, male audiant. Svedi ſane pacis conditiones offerunt, et viribus numeroqve impares ſe vident: Danus bellum indixit, ac totum ſeptentrionem fama perculit. Apud Rhenum dux Duras, rei bellicae imperitus, ipſismet Gallis odio eſt, pleriqve Parſiis omnes moleſte ferunt, ac non pauci turbant, qvod Rex ſuorum ſangvine, qvem in Germania temere huc usqve profuderit, ambitionis ſuae cauſa abutatur. Ita cum Turenii morte omnis Gallorum fortuna converſa eſt, credoqve, fato ita eveniſſe, ut eqvo Turcico inſidens, dum exploraret, globo perfoderetur, et documentum daret poſteris, iniuſta bella non eſſe inulta, ac Turcicae ſimilem Gallorum *Monarchiam*, proſtrato Turenio, penitus collapſam eſſe. Is enim, ſi vixiſſet diutius, certe omnia inſtauraſſet, et forte vix loco, qvem aeqviorem habuit, ut Caeſareanus eqvitatus pugnare non poſſet, moveri, ac forte nunqvam trans Rhenum reiici, potuiſſet. Qvod non diſſimulant viri prudentiſſimi, et mirantur ſuperiorum rerum commutationem. Ea victoria iam ſenſim effert Caeſareanos, ut qvibusdam malam gratiam referant, et amicorum agros populentur: magis ſibi Wurtembergicus ab his, qvam ab hoſtibus timet. Sed eos excuſat forte neceſſitas bellica, alioqvi tota fere Europa, niſi qva in partes Gallicas diſtrahitur, Leopoldo, qvi aegrotanti Germanicae Rei-

publi-

publicae ſpiritum reddidit, merito applaudit, et, in cauſa iuſta, tot foedera, ac victorias gratulatur. d. XXVII. Auguſt. clↄ Iↄc LXXV.

CCLXVII.
SIGISM. GERLACHIO,
IVR. CANDID.

MAgno beneficio me ornaſti, neqve ſcio, utrum maius aliqvid tibi debere poſſim, qvam qvod tam liberalis fuiſti. Taedet vero me ſortis meae, qvi nihil habeam, qvod nunc tibi rependam. Qvanqvam ad officium meum pertinebit, ut, cum in praedicanda tua facilitate totus ſim, tum omne ſtudium operamqve ad te ornandum conferam. Peto ſane abs te, ut, ſi plura eiusmodi monumenta habeas, eorum copiam facere ne graveris. Apud Rhenum, cum Turenii clade, omnis Gallorum fortuna converſa eſt. In agro Trevirenſi feliciter pugnavit Georgius Gvilelmus, Hiſpaniqve maiores animos ſumunt. Leopoldus opibus, ac foederibus inſiſtit, qvae totam Europam futurorum expectatione ſuſpenſam habent. In Suedos ſane graviſſime conſulitur, et verendum, ne deteriori conditione ipſorum res futurae ſint, qvam unqvam antea, poenitetqve eos conſilii praecipitati, et dolorem affert *Proteſtantibus*, qvi proſpicere animis futura, et, qvo conſilia ſpectent, cum animo conſiderare debent. De *Ducatu* Bremenſi actum eſt, qvippe ita ab hoſtibus circumdato, ut facilime eripiatur: qvibus re-

bus Saxoniae inferioris, et Veſtphaliae, ut dicitur, *circulo* res afflictae, perditaeqve erunt. Sed plura nunc tempus non ſinit. d. XXIX. Aug. clɔ lɔc LXXV.

CCLXIIX.

N. N.

Rediit ad me iuvenis Sileſius, liberaliter a te collegisqve tuis celeberrimis habitus, qvi, cum ſermones doctiſſimos ſaepe repetit, tum ſibi gratulatur vidiſſe eos viros, qvos fama paſſim illuſtravit. Ægidio cuius meminiſti, ſaniorem mentem opto: alioqvi in eorum numero duco, qvos Graeci appellant Daemagogos homines ſane animi impotentes, et, qvod miretur poſteritas, Sacris ad libidinem turbasqve abutentes. Nemo enim cordatus ferat, Ægidium eo abreptum, ut, religionis praetextu, Reipublicae iura petat, et Magiſtratum cum plebe committat, ac deniqve ſumma imis miſceat. Qvibus rebus id conſecutus eſt, ut qvum velit, nunc non poſſit urbe excedere, veritus, ne vim plebs concitata faciat, atqve exiturum armis ſummoveat. Exercitatio tua mihi minime diſplicet, etſi non paucos ſcio, qvibus ea diſplicuit, propterea, qvod diſceſſeris a communi ſecta, et Vasmuthio nolueris eſſe ſimilis. Ego ſane de me fateor, Scaligeri, in omni doctrinarum genere ſummi viri, ſententiam antea mihi viſam eſſe meliorem, non tantum, qvia magni viri, Grotius, Bochartusqve, amplexi ſunt; ſed qvia etiam Hieronymus, atqve Euſebius, iam multis ante ſeculis,

culis,

Digitized by Google

culis, aſſenſu comprobarunt. Ceterum, qvod pace tua ſentiam, deſerui partes Scaligeri, et multis rationibus teneo, Esdram ſolum vindicem eſſe, atqve inſtauratorem Ebraei *characteris.* Nec temere auſim negare, qvod de Polyhiſtoris Conringii opinione ſcribis; extant ſane numi, ante Esdram, ut credo, cuſi, qvi formam literarum Ebraearum, qvas magiſtri *qvadratas* vocant, praeferunt: extant contra alii, in qvibus inciſae ſunt literae Samaritanae. Sed, utrumlibet amplectaris, mihi perinde erit, neqve propterea veteri cum amico rixabor, qvi ſciam, una mente, atqve animo poſſe coli amicitiam inter eos, qvi ſententiis diſſident. Prodiit hic non neminis diſſertatio, certe plena acerbitatis, qvam per iuniorem Schraderum curavi: miror Theologorum odia, qvae nec cum morte finiuntur. Vale, et celeberrimos tuos collegas ſalvere iube. Vffelmanno de nova provincia per te interpretem gratulor, optoqve ut omnia illi ex animi ſententia ſuccedant. d. IX. Sept. cIↄ Iↄc LXXV.

CCLXIX.

HENRICO, L.B. A FRISEN.

HElmfeldius, qvi Rigam ſuperiori tempore defendit, contra Ruſſos, cum duobus millibus et qvingentis Finnis, Sedinenſi urbi impoſitus eſt, qvi deſtitutus ſubſidiis, qvae mari expectat, aegre urbem defendet. Trans Rugiam iunctae ſunt Danorum, Batavorumqve claſſes: per Vagriam tranſitus a copiis terreſtribus impedietur,

ac bello ſociali omnes Svedorum vires oppugnabuntur. Circumſpecte ſane, Domine, conſilia moderatur Greifenfeldius, non imprudenter Regem ſuum hortatus, ut, redacta in poteſtatem tota Cimbrica Cherſoneſo, aditum ſibi communiret, et ſuperiorem Patris fortunam optimo exemplo corrigeret. Qvo magis eſt mirandum, qvid Svedos in eam mentem impulerit, ut milites in Sileſiam immittere vellent, niſi inopinatus Brandenburgici adventus, et Finnicae cohortis, cui Vangelinus, rei militaris vir imperitus, praefectus erat, clades, ac immutata conſiliorum facies, ab audaciori incepto revocaſſet. Nam, qvi in umbra ſtudiorum adoleſcimus, eam rem ſatis mirari non poſſumus, ac profecto credimus, Auſtrios cum ſociis omnem operam collaturos, ut impetus iſte, iactura Germanicarum, qvas Svedi poſſident, regionum, in poſterum relangveſcat. Qvod, tametſi ego non optem, tamen ipſi ſua culpa fecerunt, ut res, qvae ante hac floruerunt, electis temere partibus, in praeſentiſſimum diſcrimen venirent. Dux Hannoveranus nunc certo tandem Caeſareas partes eſt amplexus. Dedita Auguſta Trevirorum, Traiectum ad Moſam aggredientur Batavi, qvanqvam ſubiraſcantur Caeſareani et Luneburgici, qvod, ad hoc usqve tempus, ceſſaverint diſtinere Gallos, et Condaeo tantum ſpatii dederint, ut contra Montecuculium proficiſceretur, qvi tamen nondum reficere potuit res Gallorum, qvotidie in deterius euntes. d. XI. Sept. cIↄ Iↄc LXXV.

CCLXX.

CCLXX.
EIDEM.

DEdita Auguſta Trevirorum, Foederati nova laetitia affecti ſunt, tanta vero Ducis Hannoverani conſternatione, ut ultro eum ſocietatis Gallicae poeniteret, et praeſidium de Verdenſi urbe deduceret. In illa obſidione inuſitatus Ducis Cellenſis, Georg. Gvilelmi ardor apparuit, qvi, hortante Lotharingo nunqvam deſtitit urgere obſeſſos, uſqve dum praeſidiarii, abiectis armis, antiqviſſimae ad Moſellam urbis dedendae ſignum darent. Necdum cadere animo Creqvius, ſed in praecipuum, qvod in colle ſitum, et muris, parietibusqve firmum eſt, templum, defenſionis cauſa, ſe recipere conatus eſt. Credo enim, mori potius, qvam in poteſtatem Ducis Lotharingici, qvem A. cIↄ Iↄc LXX. *Ducatu* exegit, venire voluiſſe. At neqve haec ſpes relicta eſt, deterritis periculo caedis, qvi cum eo in *metropolitanum*, qvod dicitur ſacrarium confugerant. Qva deditione itinera Lotharingiae aperta ſunt, ac merito verentur Galli, ne Foederati copias in Galliam, dudum ibi hiemare cupientes, traducant. Tantum miramur cunctationem Batavorum, qvi Luxenburgicum laceſſere auſi non ſunt: atqve id certo eſſe indicio poteſt, eos, cum terra pugnandum eſt, neqve calliditate, neqve audacia cum Germanis, Gallisqve conferri oportere. Nunc tamen non dubitaverim, qvin, occupata ad Moſellam urbe, clauſisqve Gallo aditibus, movere caſtra, et Luneburgico,

qvod enixiſſime flagitant, robore aucti, inferre ſe in hoſtes, aut tendere in hoſtis regionem, velint. Ceteroqvi in rebus Danicis, qvibus hic menſis forte ad res magnas gerendas fato conſtitutus eſt, inſtigante Auriaco, qvem eo propter odium in Suedos devinxit Brandenburgicus, nihil ſtudii, promptitudinisqve iuvandi omittunt: eſtqve nunc tandem iactum fundamentum, Suedici Imperii tota Saxonia inferiori et Weſtphalia Regi Carolo XI. auferendi, qvam opportunitatem praeſtat ſociale bellum, et nemo magis, atqve Auſtrii, Brandenburgiciqve ad hoc uſqve tempus optaverunt. Itaqve hanc fortunam moderate ferant, qvia, ſaepe moniti, oratiqve moderata conſilia ſpreverunt, Regisqve ſui indolem machinationibus perverterunt, et ſimulatione conciliationis, inſidias, inimiciſſimumqve animum texerunt; ita demum ſapient, ii, qvi patriae ſalutis obliti, Suedis ad turbandam Germaniam verſis, ſive palam, ſive occulte ſtuduerunt. In oppido Gadebuſchio, qvod ditionis Mechlenburgicae eſt, ſunt inter ſe collocuti Chriſtianus V. et Brandenburgicus: pars copiarum Danicarum ſummo Brandenburgici, inſtrumentum bellicum ad Viſmariam obſidendam comparantis, imperio parebunt; pars recta in Bremenſem *Ducatum* contendunt; alii militiae navali reſervantur. Monaſterienſis Epiſcopi adventus omnes ita perculit, ut plurimi cum fortunis, qvas colligere potuerunt, exceſſerint. Dici non poteſt, qvibus tormentis, qvove genere armorum inſtruxerit exercitum, ut forte, praeter Stadam, nihil impetum eius morari poſſit.

Digitized by Google

poſſit. Tractus, qvi dicitur vetus, iam tum eſt in Monaſterienſis poteſtate. Inſulam Pole, qvae in mare proſpicit, portuiqve Viſmarienſi adiacet, occupat Brandenburgicus, et plenam annonae militaris reperit. Hos fructus feſtinata Suedorum expeditio regno Suedico peperit, et famam iuxta, ac ſuperiorem felicitatem, uno tempore abſtulit. Ceterum, Domine, ut in tuis conſiliis moderatio ineſt, ita DEVM oro, ut gloria, qvam inde comparas nunqvam intermoriatur. d. XVII. Septemb. cIↄ Iↄc LXXV.

CCLXXI.

EIDEM.

NIſi in Germania brevi pax coaleſcat, magna forſan et temporum, et voluntatum commutatio erit. Nam ubi omnes regunt, nullus paret. Prudentes qvoqve exiſtimant, tunc optime Germaniae conſuli, ſi bellum cum Gallo coeptum finiatur, non modo qvod maiori Ordinum detrimento geritur, ſed etiam, qvia Galliae fines ita clauſi ſunt, ut nulla vi aperiri poſſint. Creſcit interim Caeſar qvem alioqvin Germani nec nimis potentem, neqve nimis imbecillum optant. Neutrum enim expedit, et praeſenti rerum ſtatu hoc minus. Medium enim, facilius hic ſit, cogitare, qvam aſſeqvi, praeſertim ubi ea facies eſt rerum, ut potentiſſimi Reges naſcantur, ex qvorum converſione ceterorum conditio, fortunaqve pendet. Non. Sept. cIↄ Iↄc LXXV.

CCLXXII.

Digitized by Google

CCLXXII.
IOACHIMO FELLERO,
P. P. Lips.

NOn diſplicet Poeta, qvem mihi commendaſti, et opto, ut qvamprimum honore ornetur. Ego, qvoad poſſum, nunqvam illi defuturus ſum, vel tua cauſa, propterea qvod, contractae Lipſiae familiaritatis, amicitiaeqve obliviſci, mihi nefas putem. Niſi qvod viciſſim tibi oneri ſum, et maiorem in modum peto, ut Petro Gallinsky, probo atqve docto iuveni, auctoritate, conſilioqve tuo ſubvenias, qvi a me per epiſtolam reqviſivit, uti ſe tibi accurate commendarem. Qvod optimi hominis cauſa defugere non potui, nec dubito, qvin mea cauſa ſis effecturus. Arbitratur etiam, ſibi honori fore, ſi ad Menkenii, qvem Rectoris Academiae munere perfungi audio, patrocinium munire viam velis. Sed ignoſce audaciae meae, et diſſertationem, de obitu Pacuvii Vitembergenſis, Neandri, a me ſcriptam, recipe, et mihi, ut antea ſoles, fave, collegasqve tuas ſaluta. d. XI. Octobr. cIↃ IↃc LXXV.

CCLXXIII.
ADAMO CHRISTOPH. IACOBI,
IC. Dresd.

LVculentam ſane voluntatis in me tuae ſignificationem dediſti, ac ſubtimenti animum addidiſti.

diſti. Eſtqve haec tua laus propria, et peculiaris, qvod eruditos patrocinio complecteris, et me cum primis foves. Qvem animum ut retineas, clientemqve, cum opus eſt, adiuves, enixe rogo. Ceterum, qvod ad curam inſtitutionemqve filiorum tuorum pertinet, opto, ut peritus tibi contingat, et plane talis, ut ſpei tuae ſatisfaciat. Pauci enim ſunt, qvi intelligunt erudiendi artem, pauciores, qvi in ſtudio humanitatis perſeverant. Alioqvi Dresdae eſt aliqvis, nomine Stubelius, Magiſtri honore auctus, eruditus iuvenis, et apud magnificum Hundium munere praeceptoris functus, qvo non poſſim invenire aptiorem. Verum, ſi hic alii iam tum ſe obſtrinxit, videbo, ut de docto, atqve diligenti homine filiis tuis provideatur. Cupio enim, ut et recte proficiant, et traditam a Patre gloriam feliciſſime tueantur. Oldenburgeri theſaurus, pro theſauro, carbones affert, et ſane ineptus eſt ſaepe, ac non vult Conringius, eum ſibi imputari. Albertus craſtino die ex prelo exit, ut qvamprimum ad te veniat. d. XV. Octobr. cIɔ Iɔc LXXV.

CCLXXIV.
EIDEM.

ID vero, qvod, de ornanda praeceptoris domeſtici ſparta, abs te ſcriptum eſt, ſedulo curavi. Eſt hic qvidam M. Hilſcherus, probatus et moratus iuvenis, nec imperitus bonarum literarum, qvi eo per me affectat viam. Sed haec certe praeſidia, qvae a me reqviruntur, ſibi non comparavit. Nam

Nam optem, talem tibi virum, qvi penitiſſime perſpectas habeat docendi rationes. Alius mihi hic notus eſt, qvem perſvadebo, ad ſuſcipiendum hoc munus, peritiorem certe, atqve ex ſcholis meis profectum. Commentatio mea, de Alberto, nondum exiit, qvae eſt operarum noſtrarum tarditas. Suedorum res plane in deterius eunt, et, qvod ſemper futurum credidi, ſi praecipiti conſilio partes eligerent, plane in exitium ruunt, ſane illorum culpa, qvi impetum pro ratione adhibuerunt. Aditus, qvibus in Pomeraniae viſcera penetratur, non magno impendio ſunt occupati. Ordo Academicus, de praemio luculento tibi dando, conſilium init, propterea qvod Principem Saxoniae ad tam inſignem liberalitatem hortatu tuo induxiſti. Ego alioqvi valde gaudeo, mea tibi probari. d. XXII. Octobr. cIↃIↃc LXXV.

CCLXXV.

M. HEIGELIO.

PLacet mihi animus tuus, eo magis, qvia cum utilitate hiſtoriae coniunctus eſt. Probo enim Baluzii inſtitutum, cum, qvia alias ſcio, eum in monumentis Karolingicis eſſe verſatiſſimum, tum, qvia ex longinqvo ſtudiis meis favet. Sunt mihi qvidem numi, et *diplomata*, ad eam hiſtoriam pertinentia, ſed ea, non dubito, in Baluzii qvoqve manus veniſſe, qvi in regno, literis ac eiusmodi ſupellectile florentiſſimo, vitam ducit. Cetera, qvae ad Saxonica pertinent, attigi in vita Alberti animo-

animoſi, qvae, nunc e prelo exit. Id etiam pro certo habeo, Karolingos in oras has profectos, cum a Sorabis, qvibus poſtea ſucceſſere Saxones, incolerentur. Cuius fidem mihi faciunt numi e vicino loco eruti, ac ad me allati. Interim vale, et Vagenſeilium, virum celeberrimum, a me ſalvere iube, cum eo clariſſimum, Arnoldi, cui qvamprimum copioſe reſpondebo. Raptim, cum rationes publicae eſſent conficiendae. d. XXVI. Octobr. cIↄIↄc LXXV.

CCLXXVI.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

Accipe tandem, qvas promiſi dudum, in Boiemum animadverſiones, et de pietate mea cognoſce. Cum enim ſaepe virtutum tuarum recordor, tum plane miror reconditam prudentiam tuam, et ſcio, tibi curae cordiqve eſſe literas, qvibus ipſe tu dignitatem longe maximam attuliſti, ſermonesqve freqventiſſimos, de utilitate hiſtoriae, de imperiorum initiis, de progreſſione urbium atqve incrementis, de commutatione fortunae atqve temporum, de converſionibus et viciſſitudinibus familiarum, de pacis, belliqve negotiis, et cauſis momentisqve aliis, qvae nemo te melius aſſeqvi, nemo te rectius iudicare potuit. Neqve hic admiranda cognitio tua finitur, ſed in res abditiſſimas penetraſti, Hermetisqve myſteria omnia exploraſti, usqve eo, ut nihil de fugiat, qvod vel ſcire te deceat, vel indagare mortalium induſtria poſſit. Res Svedorum non afflictae modo, ſed

etiam

etiam deſperatae ſunt: in Rugiam ſe receperunt, ut brevi omnes copiae deleantur. Miror praecipitia iſthaec conſilia, et audaciam, donec erunt, poenitendam. Nam nulla alia ſecuritatis reſtituendae ratio inibitur, qvam, ut ultra mare redeant, et in montes, ſilvasqve reiiciantur, qvi Germaniam, hoſtis cauſa, diſturbarunt. Qvanqvam ego ipſis opto mitiorem fortunam, et celerrimam pacem, qva ſola ſe ſervabunt, negata, haud dubie peribunt, et dudum parta, magno famae, regniqve detrimento, amittent. d. VI. Nov. clↄ Iↄc LXXV.

CCLXXVII.
ERNESTO BAKIO,
Doctori Theol.

Ex qvo coepi praeſens noſcere magnopere ſum laetatus, cum, qvod conſpectu tuo fruerer; tum qvod virtutes tuas propius intuerer. Vix a nobis diſceſſeras, cum Academici cives freqventer ad me commeant, rogantes, uti per me ad patrocinium Bakianum via ſibi muniatur. Qvibus, ut meus qvidem animus eſt, deeſſe non potui, coepiqve adeo fiduciam, non tibi poſſe hoc, qvod ſuſcipio, bonorum iuvenum cauſa, diſplicere, horum maxime, qvi te usqve eo aeſtimant, ut difficilimis, afflictiſſimisqve temporibus, ad te unum, qvaſi portum, confugiant. Inter eos ſunt Martius, Crogius, Magiſtri honore auctus, et qvi has ad te literas curat, Scheffinius, iuvenis apprime doctus, et humaniorum literarum peritus, inopia

opia, afflictisqve patriae rebus huc adductus, ut omne fortunae praeſidium in mea commendatione, tuaqve propenſione ponat. Proinde, Patrone, da hoc meae petitioni, ut praedictos honeſtiſſimos, ac perdiligentes iuvenes auxilio tuo ornes, in primis autem hoc Scheffinio, qvem Sileſia ad nos dimiſit, tribuas, ut honeſta mercede ad obeundum privati praeceptoris munus conducatur. Ego, ſi qvid viciſſim ad tuas utilitates conferre poſſim, nunqvam praetermittam, et dabit operam Scheffinius, ut cum ſempiternus tuae benevolentiae praedicator, tum apud DEVM, pro incolumitate tua perpetuus ſit deprecator. d. IX. Nov. clɔ Ioc LXXV.

CCLXXIIX.
HENRICO, L. B. A FRISEN.

Foeda per Hollandiam tempeſtas borealem partem inundavit, ac vicos, domosqve demerſit, ac merces qvamplurimas, in cellis abditas, obruit atqve corrupit. Foedum ſpectaculum auget recordatio belli Gallici, et renovat dolores nondum meliori fortuna mitigatos. Ager Bremenſis paluſtris alioqvin et lubricus, vix obſidentium veſtigia ſuſtinuit: adhaec morbus caſtra inceſſit, infecitqve, ut obſidio plane ſoluta fuerit, primo vere, cum clementius coelum erit, repetenda. Vna enim haec reſtituendae ſecuritatis via creditur, ut Svedi reiiciantur in ſuos montes, qvi ſpreto iure, et viribus, fortunaqve impares, talis belli concitandi cauſam dederunt. Brandenburgicus arcem

Voldgaſtianam, veterem Voldgaſtianae propaginis ſedem, deditione accepit. Sedino panicus metus eſt iniectus, et ignem tormentaqve Brandenburgici formidat: Stralſundium expectat fortunam, et, propter Svedos, extremum rei navalis periculum, qvod a Danica claſſe, in Rugiam excenſura, imminet, non adibit. Viſmaria, muniſſima ad ſinum Codanum urbs, aegre liberabitur a Svedis, qva expugnata, Stadae deditio ſeqvetur facilius, et bellum ſociale felicius finietur. Vrangelius ſpe, animoqve cecidit: ſolus Koenigsmarckius erigit ſuos, et adhuc in officio conſervat Stralſundenſes, ac omnibus modis demeretur, atqve prolixiſſime ventura ſubſidia pollicetur, tali, opinor, eventu, qvali initio bellum eſt coeptum. Interim te DEVS ſervet, Domine. d. XII. Nov. cIↄ Iↄc LXXV.

CCLXXIX.
AMICO CVIDAM.

Recte tibi conſulunt, qvi auctores ſunt adeundae Viennae, ſi modo emergendi ibi locus eſt. Raro enim vacant munera, qvae ambis, et vix occaſio erit, hoc tempore, vivendi alieno ſumptu. Nec ſcio, an illic ſit, qvi mercede te conducat ad prolem erudiendam. Sinzendorfius filium natu maiorem dimiſit Vratislaviam, addito vitae, ſtudiorumqve moderatore. Vindiſchgraezius difficilis eſt omnibus, qvi ex eius auctoritate, nutuqve pendent. Bruningus et Portnerus non aucti ſunt ſobole, eoqve non egent domeſtico prae-

praeceptore. Ille qvoqve per ſe curat negotia ſua, iſte vero agnatum a ſecretis habet, et ſedulo facit ſua, et accurate exigit, qvae facere clientes ſuos iubet. Legati, qvi eo veniunt, plerumqve ſecum afferunt, qvorum miniſterio utantur. *Reſidentium*, qvos vacant, duo ſunt, et curatores negotiorum principalium, qvi *Agentes* nominantur, vix plures, qvam tres, aut qvatuor, reperiuntur, qvibus nolim te offerre operam, ſi, perſeqvi ſtudia, conſtitutum habes. Non ita pridem eo venit Princeps Gothanus, in Italiam profecturus: illum qvatuor Friſii ſtipabant, qvibus te itineris comitem adiungere potuiſſes, ſi tanto peregrinandi ſtudio teneris. Vindiſchgraezius, ut audio, ex aula Caeſarea ad conventum Mulhuſanum deſtinatur, a Saxone illuc mittetur Gersdorfius noſter. Vale. d. XII. Nov. cIↃ IↃc LXXV.

CCXXC.

N. N.

HEino, iuvenis eximius, ac utriusqve noſtri ſtudioſiſſimus, literas tuas dudum mihi attulit, magnaqve laetitia me affecit, cum, qvod laetarer, te mihi paratum eſſe amicum; tum, qvod iucunda eſſet conſideratio eorum, qvae ad me curaveras, ingenii tui monumentorum. Itaqve rogo te, uti porro hanc mihi benevolentiam navare, ac plane de me exiſtimare velis, fore me honoris tui cupidiſſimum, ac petere abs te, ut novo auctoramento hanc amicitiam confirmes et Heinium pariter, atqve hunc ex ludo Thomano,

qvi Lipſiae eſt, profectum, tuiqve audiendi avidum patrocinio ornes. Pater ei probus in vicino oppido eſt, qvi filium hunc Gymnaſio expoliendum tradit, famae, induſtriaeqve tuae laude excitatus. Neqve eum haec ſpes fallet, et uberem ex inſtitutione tua fructum referet, ſi doctrina tua dignum ſe praeſtiterit, ac diligenter, uti ſpero, partes ſuas obierit. Ceterum vitae ſubſidiis amplioribus deſtituitur, et cum animo conſtitutum habet ferre grave onus, et diligentia ſuperare, praecipue te auctore, atqve duce ad ſtudium ingrediendum. Nec ſinent, qvorum neceſſarius eſt, ut operam ingratis ponas, ac, qvantum in ipſis eſt, oblivione ulla deleatur. Ipſe ego meritis tuis laudem, pro eo, ac debeo, rependam, et, qvos mihi commendaſti multum, atqve diligenter, vel ſola tua cauſa adiuvabo. Vita Alberti a me edita eſt, in qvam breves animadverſiones extare volui, qvas ut accipias aeqvo animo, et mihi proliximme faveas, ac manu exaratum codicem de rebus Luſaticis, qvi in tua manu eſt, transmittas, enixiſſime te ſane rogo. d. XIV. Novembr. cIↄ Iↄc LXXV.

CCXXCI.
HENRICO, L. B. A FRISEN.

NOndum Viſmaria dedita eſt, propterea qvod cives firmati ſunt auctoritate cuiusdam Ludovici ſacerdotis, qvas partes multo ante, qvam huc venit, in caſtris Svedorum obiit, et mature ſe moribus, atqve obſtinationi militari aſſvefecit,

re

re talem ſe praeſtare volens, qvalem olim praeſtitit Chamierus, ſacerdos Hugenotticus, cum Montaubanum obſideretur. Qvanqvam enim alias collaudatum eſt officium civis, qvod Principi tali rerum ſtatu ponitur: tamen nunc ea eſt conditio rerum Svedicarum, ut ſacerdos omnia extrema urbi imminere cernat, et ſciat, non eſſe ſupremo Svedorum imperio obnoxiam, ac ea de re ſaepe monitus ſit, Caeſaris hoc, Imperiiqve eſſe decretum, videatqve, qvotidie domos igni deleri. Sed retinet ingenium, et omnium capita, atqve fortunas in periculum vocat. Interim Brandenburgicus cunctationem Dani permoleſte fert, ac per Baronem Kneſebeckium hortatus eſt, uti obſeſſos urgeret, ac omnibus modis ad deditionem compelleret. Eo conſilio qvasdam cohortes, cum tribunis obſidionum peritis, Regi ſubmiſit: qvi cur eiusmodi hominibus careat, vehementer mirantur viri belli prudentes. Koenigsmarckius qvidem ſpem liberandi Vismarienſibus fecit; ſed mox intellexit ſe opinione ſua deceptum, ac ſe in Rugiam recepit. Batavi denuo, qvartam eius pecuniae partem, qvam ſubſidiorum nomine ab ipſis ſtipulati ſunt foederati Principes, depenſuros ſe, receperunt, cauſati calamitates, ex proxima eluvione ortas. Vicofortius, qvi ſcelus in Principem molitus eſt, qvaeſtioni ſubiectus, ſemina novae coniurationis protulit in lucem. Nunc certe ea ſententia eſt Caeſaris, et Principum, non eſſe aliud diſcordantis patriae remedium, qvam ut Suedi expellantur. Interim, Domine, te DEVS

V 3 ſer-

Digitized by Google

ſervet, et gentem tuam, nunc qvoqve Stolbergenſibus neceſſitudinibus immixtam, augeat. d. IV. Dec. cIↄ Iↄc LXXV.

CCXXXII.

ADAMO CHRISTOPH. IACOBI,

SOlicitat meam operam, commendationemqve M. Seidelius, qvi Miſnae commoratur, notus mihi, et, cum hic eſſet, familiaris, atqve humanitatis, et Graecae lingvae apprime peritus, niſi qvod mores ab aulica elegantia alieni ſunt, qvi probi tamen, et vere ingenui. Patria ei eſt Zviccavia: neqve ipſi illiberale ingenium contigit, qvod privata inſtitutione diu acuit, atqve praeparavit. Si tamen M. Stubelium conducere poſſis, non diſſvadeo, qvatenus doctrinam ſpecto. Aetate ſane Seidelio eſt minor, et moris elegantia dignoſcitur. Alioqvi neſcio, qvae fama tulit, te minus belle habere: qvod vehementer doleo, atqve opto, ut qvamprimum convaleſcas, et propter notam controverſiam me illuſtriſſimis Proceribus commendes, ſimul ac purges. Ita te DEVS cum nobiliſſima familia conſervet, ac annos, aetatemqve tuam cumulet benigne, et proroget. Futuro *Paſchatis* ſacro, aut paulo poſt, qvam *Decanatus* munere perfunctus ero, praeſens a Senatu veſtro iuſſa, et leges accipiam. Publice nunc praelego Moſellam Auſonii, et diſſerendo fere commentor, ut neſciam, qvomodo ſpecimen operae meae illuſtriſſimo Senatui veſtro, ſemeſtrium laborum rationes repoſcenti, exhibeam.

Forte

Forte enim fingat calumnia, me pro lubitu hoc facere, et omittere obſeqvii gloriam: qvod ſane impium foret, et plane beluinum. Iterum te DEVS ſervet, Patrone maxime. d. X. Decembr. clɔ Iɔc LXXV.

CCXXCIII.

N. N.

IPſe mihi iraſcor, et ſuccenſeo, propterea qvod tantam moram interpoſui, priusqvam tibi reſponderem, non tergiverſatione qvadam, aut oblivione amicitiae tuae, qvam ſcis coli a me, et ſingulariter obſervari; ſed occupationibus, inopinato me impedientibus, qvibus ita me diſtractum fuiſſe, fateor, ut in hoc uſqve tempus reſponſionem differre neceſſe habuerim. Itaqve ignoſcendi locus eſt, et oro te, obteſtorqve, ut cunctationem meam ne moleſte feras, et de me ſtatuas, honoris tui fore ſtudioſiſſimum, ac omnes rationes, atqve conſilia eo referre velle, ut, qvacunqve etiam re poſſim, tibi inſervire ſtudeam: eo magis, qvod apud exteros praeclare de me exiſtimaſti, et honorifice es locutus. Qvale officium nemo alii, niſi amiciſſimus ponit, qvod ſane eiusmodi eſt, ut viciſſim pro te anniti cupiam, non qvia mihi hoc tribuam, ut fortunis tuis ego, ipſe in his terris peregrinus, atqve advena, conferre aliqvid poſſim; ſed, qvia ad me pertinere, cenſeo, ut qvamprimum teſtatum faciam, qvid tibi debeam eo nomine, qvod immerenti operam multo gratiſſimam collocaſti, et, qvanti mea ſtudia

aeſtimares, in Auguſta Vindelicorum oſtendiſti. Illud vero per iocum te ſcripſiſſe, arbitror, qvod carmina, qvae rudi, invitaqae Minerva pangere ſoleo, a me flagitas, tu qvidem, inter poetas optimus, et dudum hoc laudis aſſecutus, ut, qvi eam artem docent, ipſe tu eos docere poſſes. Alioqvi diſſertationes oratione proſa tibi non invideo, ac de me nihil magis opto, qvam ſi Georgius de provincia decedat, ex poeta evadere hiſtoricus, et hoc demum conſeqvi, in qvo maximam aetatis meae partem conſumpſi. Ita te DEVS cum nobiliſſima familia conſervet. d. XV. Dec. cIɔ Iɔc LXXV.

CCXXCIV.

FRIDER. IAC. LEICKERO.

ABunde meae expectationi ſatisfeciſti proximis literis: et, cum de tali hoſpite, qvem colui ſemper, et magnopere aeſtimavi, tibi gratulor, tum impenſe gaudeo, Lipſiam ſtudiorum ſedem tibi contigiſſe. Illa, ut auguror, ornabit te, et acuet animum, vitaeqve civili magis praeparabit. Veni enim diu in hanc ſpem, et animo providi ornamenta, qvae diligentia promeritus eſſes. Illud autem cumprimis laetitia me afficit, qvod memoriam meae conſvetudinis, ſtudiiqve in te, ex animo delere noluiſti. Eſſet ſane mihi nihil optatius, qvam in poſterum e longinqvo etiam inſervire, praeſertim in eo eruditionis genere, qvo me ſcis eximie delectari. Verum, qvia pro te ipſe omnes rationes ingrediendorum ſtudiorum intelligis,

gis, me non eges monitore, amico tamen perpetuo, coniunctiſſimoqve frueris. Qvod alioqvi de Alphonſo Delbeneo ad me perſcripſiſti, verum eſt prorſus, atqve auctori ea laus convenit, qvam ei de ſententia celeberrimi Franckenſteinii tribuiſti. Vix enim ullum reperi ſcriptorem, qvi perinde eſſet curioſus, atqve diligens in inveſtigandis Burgundiae Transiuranae rebus, ac ille qvidem fuit, argumentum profecto graviſſimum complexus, unde interioris hiſtoriae Germanicae initia, cauſaeqve aperiuntur. Nihilo ſecius laudandum eſt opus de ultimis S. Aegidii Comitum originibus, Caſſellis mihi viſum, lectumqve: hic, qvod fateor, non viſum; qvod ſi tuo beneficio, conceſſuqve ad me perveniret, aeterni monumentum amoris futurum eſſet. Ita te DEVS patriae, patriqve ſummo ſpem ſervet. d. XV. Decembr. cIↃ IↃcLXXV.

CCXXCV.

CHRISTIANO FRIDERICO FRANCKENSTEINIO,

QVod a me flagitas, non abnuo prorſus, etſi de Chytraeo exiſtimo, rem eſſe difficiliorem, ac recordor, Chytraeum ipſum lente proceſſiſſe ad hoc opus, et primo breviter, ſtrictimqve, ſub Sudioſi nomine, tituloqve Cranzii continuationem exorſum eſſe; deinde ſeparatis, et minori forma concinnatis diſſertationibus, qvarum pleraſqve aſſertationibus, qvarum pleraſqve aſſervo,

 iuſto

Digitized by Google

iuſto volumini, in qvod deinceps redactae ſunt, bene, feliciterqve praeluſiſſe; ſed, poſteaqvam ad exitum perduxerat, operae eum navatae poenituiſſe, propterea qvod intellexiſſet, invidioſiſſimam fuiſſe, et qvaedam, qvibus propago Lauenburgica attingitur, partim metu, partim ſtudio, immutari oportuiſſe: vix autem, qvaſi pertexere hanc telam volentem, talia monere auſum, ut credam, id prudenter diſſimulari. Tum vero in primis extimeſcenda eſt offenſa in rebus noſtri ſeculi, praecipue, ſi fontes, cauſaeqve aperiendae ſint. Alioqvi fateor, mihi ſuppetere materiam, et agitaſſe me ante hoc conſilium, qvam literae tuae exoptatiſſimae ad me perferrentur. Omnino tamen cenſeo, opus Chytraei utiliter recudi poſſe, et, qvae ego pari inſtituto editurus ſum, non continuationis titulo, etſi revera continuatio futura ſit, ſed, Chytraeani imitatione exempli, Saxoniam Vandaliamqve inſcribenda eſſe. Fabricii continuatio multo eſt facilior, qvia uni argumento immoratur, et a Chytraeo multis modis vincitur, niſi qvod huius ſtylus, decorumqve pragmaticum non ſemper expectationi reſpondent: qvod ſane in viro, literis divinioribus dedito, minus eſt mirandum. Scio tamen, id diſplicuiſſe Thuano, et eum, ſi nonnunqvam integras ex eo paginas deſcripſit, immutata ſolum ſtyli facie, explanaſſe ornatius, atqve perpoliviſſe: tum civilis iudicii vim expreſſiſſe magis, et interiores actorum rationes explicaſſe diligentius, atqve tenuiſſe. Qvae cauſa eſt, cur de Brachelio non admodum praeclare ſen-

ſentiam. Merae enim narrationes ſunt, qvae longe abſunt a laude hiſtoriae civilis, et, fere ex Germanico in Latinum ſermonem converſae, ne qvidem ſufficiant in republica mediocriter verſato. Thuldeni autem, qvi eum continuat, ineptae, et Breveri demum, pueriles fere, mihi videntur. Ego vero, celeberrime vir, nihil in me ſuſcipio, priusqvam munere praeſidis ſapientiae Ordinis perfunctus fuerim, optoqve praeſens tecum colloqvi, et, ſi tale qvid conabimur, vires, atqve conſilia ſociare. Ita valere te cupio, et peto, ut pro ſingulari erga me animo veniam morae, qva in reſcribendo uſus ſum, benigne mihi facias, credasqve, tui nominis, familiaeqve nobiliſſimae ſempiternum fore cultorem. d. XVI. Decembr. cIɔ Iɔc LXXV.

CCXXCVI.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

AVſtriorum in bello perſeqvendo conſtantia, et Batavorum continuatum foedus, odiumqve Dani in Suedos implacabile, et Brandenburgici contra vicinos aemulos animi firmitas, aut brevi aliam faciem Germaniae Cisbalthianae, totiqve Septentrioni induent, aut Suedos ad deſperationem adigent, in qva ipſis ſaepe qvidem nutantis praeſidium fuit fortunae; ſed qvod nunc ſane futurum eſt periculoſiſſimum, ubi nihil ex propinqvo amicum, omnia hoſtilia vident. Gallum urgent, et rationibus impellunt ad maturanda pacis conſilia, qvorum ipſi, ſi paci ſtuduiſſent, moderatoros

res atqve arbitri eſſe potuiſſent. Deſerti autem nunc a ſociis, propterea qvod ſocios oppugnarunt, obliti Guſt. Adolphi moris, qvi, utcunqve acri militari animo eſſet, tamen, diffidens viribus, ab initio cunctabatur, et, legatis Principum, qvi a Caeſare ſeceſſionem, ex cauſa gravi, atqve neceſſaria, fecerant, ad ſe profectis, velut imparem ſe tantae domui prudenter excuſans, reſpondebat, arma, et pecuniam non eſſe ſibi ſuffectura; nec prius ſe bello, et qvidem iuſtiſſimo, ſe immiſcuit, qvam haec omnia ultro, et periculo ſuo, offerrent. Iena Brandenburgici conſiliarius ſanctior, et gratia validus, omnia conſilia ad extremam Suedorum perniciem confert; ſentiuntqve vicini aliqvot, ſtudium in Suedos accipi in malam partem, et, milite per hiberna apud ipſos diſtributo, tacite vindicari. Thuringia, qva tantum Ducibus agnatis noſtri Saxonis paret, onere, malisqve feſſa eſt, neqve Ienae Muſarum ſedi parcitur. Svevia non ſecus, atqve ab hoſtibus tractatur. Nihilo meliora ſunt Franciae orientalis fata, praeſertim qva *Comitibus*, et civitatibus imperii ſubeſt, opprimunturqve multi ſperantes libertatem. Viſmaria adhuc inter ſpem, metumqve haeſitat, ex qva pendet fortuna Dani, et futuri conſilii ſucceſſus, qvem opto rei Chriſtianae pariter, ac publicae eſſe ſalutarem, et tuae curae, expectationiqve reſpondere. d. XVII. Dec. clↃ IↃc LXXV.

CCXXCVII.

CCXXCVII.
EIDEM.

EX qvo Danus Viſmariam deditione accepit, venit apud omnes in opinionem fortitudinis, atqve gloriae. Vſus eſt cum primis opera Ducis Holſatiae Ploenenſis, qvi tenuem rem ſtipendiis militaribus, et proximo bello valde dignitatem ſui nominis amplificavit, omnium iudicio dignus, qvi militiae Danicae cum ſummo imperio praeficiatur. In urbe ſalis, et ligni inopia fuit maxima, et periculum caedis, ſi, propugnaculo, qvod urbi iungitur, expugnato, urbs apud Codanum ſinum e gregia impetu caperetur. *Landgravius* Hornburgicus repreſſit Koenigsmarkium apud Volgaſtum: qvi Princeps eſt re tenui, animo contra maximo. Ego nunc hoc de Gvelforum Duce, Henrico Leone, ſpecimen offero tibi, atqve exhibeo, qvod cur ad Guntherum direxerim, cauſa eſt, qvia alioqvin ius diſputandi ex hiſtoria mihi non conceditur. Credo tamen, tuo, et Fratris permiſſu, beneficioqve, in poſterum eſſe impetraturum. d. XXIV. Dec. clↄ Iↄc LXXV.

CCXXCIIX.
N. N.

GRatum eſt cum primis mihi, atqve honorificum, qvod amicitiam, fratre meo interprete, firmatam, ſancte conſervas, et, qvid apud nos agatur, ex me ſciſcitari conſtitutum habes. Ego qvidem bene valeo, et cupio, ut aeqve recte habeas;

Digitized by Google

as, floreasqve, et doctrinae, meritorumqve fructum in aula orientalis Friſiae Principis capias. Ioannes Strauchius, ſummus vir, Gieſſae Haſſorum ab omnibus colitur, et gaudet rebus praeſentibus, et ſecure nunc contemnit invidiam, ſeculi malum, aulae peſtem. Henninges, adverſarius Ziegleri, adhuc turbat, et, eo ſilente, collegam eius, Gvilelmum Lyſerum, pungit, ac vellicat. Cauſam dedit diſſertatio de Dominio eminenti, nuper edita, qvam forte ipſe tu vidiſti. In aditu libri fecit qvoqve mei nominis mentionem, et profitetur, ſe expectare, qvae ego editurus ſim in Grotium: perinde, ac ſi ego iſtum mihi adverſarium deſtinarem, et tempus inutili contentione perdere decreviſſem. Qvapropter etiam tibi gratulor, qvod in hiſtoriam tuae gentis incumbis, et res, actaqve temporum, unde omnis prudentia animam, viresqve ducit, perqvirere ſtudes. In qva parte Friſiae ille Livius, Vbbo Emmius, exemplum inſigne tibi tradidit, qvanqvam ſaepe ſtudet partibus eius Reipublicae, ſub qva vixit, animoqve eſt iniqvo in Friſones Orientales. Is autem, ubi difficilima eſt Friſiorum hiſtoria, praeſertim in medio aevo, uſus eſt Eggerico Beninga, Grimershemio, qvem nullo negotio poſſis tibi comparare. Minus accurati rerum veſtrarum ſcriptores ſunt Cornelius Kempius, Suffridus Petrus, qvorum alter ineptiis ſuis Emmio ſtomachum movit, ut eum peracerbe caſtigaret. Adhaec veteris Saxoniae hiſtoria gnaviter tractanda eſt tale opus ſuſcepturo, ac ab ultimis Anglo-Saxonum originibus repetenda: ſpectant-

qve

qve eo res Oldenburgicae, connexae ſaepe cum veſtris, atqve ita copulatae invicem, ut neutrae ſine iis intelligi poſſint. Nec *praetenſiones* Oſtfriſiae Principis in Dynaſtiam Ieveranam feliciter eruet, qvi omittet curam hanc, atqve cogitationem. De Belgicarum rerum commutatione veriſſime ad me perſcripſiſti, perculitqve in primis infortunium iſtud foederatos Principes, qvi non exiguo Batavorum ſumptu bellum huc uſqve gelſerunt contra Suedos. Aeqve verum eſt, qvod exiſtimas, Suedorum lapſas res non aliter, qvam pace fulciri poſſe. Eam vero expugnatio Viſmariae, et Bahuſii valde remorabitur. Brandenburgicus agitat conſilium Sedini obſidendi, occupato nuper Volgaſto domum reverſus, ut opportunam anni tempeſtatem opperiretur. Nec fallet eum ſpes, ſi humani iudicii ratio habetur. Itinera enim Pomeranica paſſim occupata ſunt: Viſmaria, unde excenſio fieri poterat, intercepta: claſſis auxilia deſunt. Atqve hoc ſane induxit Gallum, ut pacis conſilia feſtinet, ne ſociali bello Auſtria potentia, qvae Suedos amicos, non vicinos optat, nimis ſe efferre poſſit. Caeſar, et Hiſpani, ſua impenſa alere bellum velle ſe, receperunt, Mulhuſium, miſſo Vindiſchgraezio, qvi utriusqve Saxoniae Duces ad bellum hortaretur. Non enim prius Sileſiae fines tutos reddi, putant, qvam illi e Pomerania excedere cogantur. Steinbockius, ob conſilia de claſſe non emittenda, in iudicium capitis eſt vocatus. Ego doleo, praecipitibus qvorundam in ſeptentrione conſiliis, rem eo eſſe dedu-

ctam

ctam, ut in comitiis pro imperii aggreſſoribus iudicati fuerint. Id ſane conſtat, Albim, ubi Magdeburgici fines aperit, occupare voluiſſe, eoqve non Marchiam, et ulteriorem Pomeraniam turbaſſe ſolum; ſed in viſcera Germaniae penetrare voluiſſe, in Galli pro hoſte habiti gratiam. d. VI Ian. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCXXCIX.
HENRICO, L. B. A FRISEN.

SEro ad te perfertur mea gratulatio, qvam Kalendae Ianuariae exigebant. Nunc vero dolore temperatur, poſtqvam de adverſa tua valetudine accepi. Igitur DEVM obſecro, ut diu te ſoſpitem eſſe iubeat, et patriae conſervet, praeſertim miſeris his temporibus, qvibus conſilii, prudentiaeqve tuae indigemus. Belgae, nuper inaeſtimabile damnum aqvis paſſi, ſperant, qvaerunt urgent pacem, qvippe ex ditiſſimis pauperrimi facti, ut paſſim ibi qverelae audiantur, et calamitates tantae ſint, ut vix ſibi iam ſufficiant eae regiones, alioqvi florentiſſimae; ſed ſuperiori tempeſtate, eluvioneqve proſtratae paene, ac perculſae. Pacem, inter Danos, Suedosqve coalituram, Viſmariae, Bahuſiiqve expugnatio remorabitur. Tum Carlsburgi deditio animum fecit Luneburgenſibus: neqve Suedis ſecius erit difficilis Brandenburgicus, cuius ſanctior conſiliarius, Iehna, vir animo conſiliisqve acer, miſſionem petiit, propter moris inſtitutiqve Sveriani, ut creditur, diſſimilitudinem. Steinbockius in diſcrimen capitis vocatus eſt, propterea

pterea qvod impediviſſet claſſis, Viſmariam liberaturae, apparatum. Gardie contra floret, civili ingenio, cultuqve aulico inter omnes Suedos excellens, et demerendis regibus natus. Brandenburgicus, pro commoto in Suedos animo, vix nomen gentis moderate fert, et uſqve eo indignatur, ut Sedini veteris obſidionem moliatur. Ducatus Bremenſis eripietur omnis, ſi terra, gelu durata, viam per loca uliginoſa muniat. Vsqve huc enim terrae lubricum aditum prohibuit, et metus erga Viſmariam, cum ditionis Svedicae eſſet. Interim, Domine, votis, precibusqve te, vitam, vires, valetudinem, qvam opto eſſe proſperam, et firmam, commendo DEO immortali. d. VII. Ian. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCXC.
CAROLO, L. B. A FRISEN.

DVdum intelligo, ad me pertinere, ut de anno feliciter exacto tibi gratuler, et DEVM orem, ut poſteros annos felices qvoqve, et fauſtos tibi eſſe iubeat, et gloriam tui nominis, ornamentaqve eodem tenore conſervet, et, qvae deſtinas, qvaeqve agis, approbet, fortunetqve, ut, te, fratreqve ſalvo, ſalva ſint omnia, floreant ſacra, et literae, qvae curis, meritisqve tuis famae aeternitatem rependent. Nec fieri poteſt, ut vota noſtra, qvae pro te ſuo qvisqve loco facimus, irrita ſint, qvippe qvibus coelum ipſum expugnamus, et DEI gratiam tibi, alioqvin pro DEI, ſtudiorumqve honore nitenti, conciliamus, et hoc cogi-

by Google

tamus, hoc optamus aſſidue, ut Friſii fama, felicitateqve perpetua floreant, et firmi contra ſeculi mala ſtent, et, virtute ſua freti, invidiam vincant fortiter, ac triumphent. Haec pietatis meae ſumma eſt, qvam perpetua pietate teſtabor, faciamqve, ut brevi literatus orbis, qvi paſſim Friſios admiratur, intelligat. Ita te DEVS, illuſtriſſime heros, cuſtodiat, protegat, tueatur. d. VII. Ian. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCXCI.
ERNESTO BACKIO.
Doct. Theol. Magdeb.

Valde gaudeo, valuiſſe petitionem meam, cum ut fortunis iuvenum, qvos tibi commendavi, conſuleres, tum ut auctoritate, conſilioqve praecipue iuvares. Haud dubito, qvin eodem animo erga eos in poſterum ſis futurus, ſi voluntate, moribusqve non mutati fuerint, et tales ſe tibi probaverint, qvales mihi dudum vitae innocentia, laudabiliqve propoſito ſeſe probarunt. Neqve aliter exiſtimabis de Ioanne Chriſtoph. Heinio, Saganenſi Sileſio, qvem dignum iudico eo munere, de qvo proxime ad me ſcripſiſti. Iuvenis eſt compoſiti animi, doctrinae elegantis, et Graecae pariter, ac Latinae lingvae apprime peritus; neqve in antiqvitate, et prudentia civili hoſpes. Praeterea verſatus eſt in Caſſelianis ſcriptis, et, me conciliatore, in Chriſtophori Schraderi, oratoris Iulii, amicitiam feliciter ſe inſinuavit. Veniet ad

vos,

vos, ut primum libuerit tibi, et ſummam felicitatis ſuae partem tibi debebit, ſi enitaris, atqve efficias, ut regendis adoleſcentum ſtudiis adhibeatur. In patria eius res miſerae ſunt, et usqve eo afflictae, ut nulla cauſa ſit, cur ibi luculentam functionem ſperet. Itaqve experiri fortunam conſtituit, et docendo accipere mercedem, iis qvidem conditionibus, qvas ad me perſcripſiſti. Qvanqvam autem ſtudio ſacro eſt addictus, et profectus in eo non plane nullos fecit: tamen in rebus, ad liberalem inſtitutionem pertinentibus, eximie eſt exercitatus, ac res ſuas, atqve ſtudia non leviter, ut multi, ſed accurate diligenterqve tractat. Supervacuum eſt deniqve eum laudare, qvi re oſtendit ſe eum, qvem optas, et, beneficii tanti memor ſemper, colet te, atqve venerabitur. Ita te DEVS ſervet, et hunc, poſterosqve annos felices tibi, ac fauſtos eſſe iubeat. d. IIX. Ian. clↄ Iↄc LXXVI.

CCXCII.
N. N.

MVlto mihi gratiſſimus eſt animus tuus, qvem mihi duabus ſane epiſtolis confirmaſti, qvibus me, dudum amicitiae cupidum, excitaſti langventem paulo, atqve inflammaſti. Itaqve omni ſtudio, operaqve faciam, ut intelligas, viciſſim pro te, honoreqve tuo anniti velle. Moram condonabis homini certe occupatiſſimo, nominis alioqvi tui ſtudioſiſſimo, et nullam, crede, occaſionem praetermiſſuro, qvae ad te qvidem ornan-

dum pertinere videatur. Ioannis Palatii ingenium miror. Qvanqvam enim apparet, eum non eſſe indiligentem, et pro captu gentis curioſum: tamen multis indiciis cognovi, in ultima aeqve ſolida medii aevi antiqvitate non eſſe tam verſatum, qvam nitor typi, iconumqve prae ſe fert qvidem, qvi oculos eruditorum delectat, vulgi certe perſtringit, aut faſcinat. Si vir eſt, eruat res Longobardicas, et penitius numorum ope rimetur, cum propter regnum Italiae, ex qvo inſigniores urbes detractas Veneti poſſident, tum propter hiſtoriam Caroli Sigonii, ſummi viri, ſi aſſentandi Pontificibus ſtudium ſeparo. Qvid de eo in hiſtoria Saxonica ſentiam, monebit, opinor, commentatio mea in vitam Alberti, a Boiemo deſcripta. Nam plus ſemel ineptiis ſuis ſtomachum mihi movit; piguitqve me in eo confutando operam ponere, qvi neqve veteres codices, neqve tabulas vidiſſet unqvam, atqve expendiſſet. Fragmentum, cuius copiam feciſti, optarem, eſſe integrum. Placet enim, et veris argumentis mihi ſe commendat. Vale, et ignoſce feſtinationi, et ſchedas accipe, qvas ad te M. Bittelmaierus curat. d. X. Ian. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCXCIII.

IO. FRIDER. VOLHARDO.

Accipies, qvod deſideras, et moram mihi non vertes vitio, qvi in hunc usqve diem tot rebus implicitus fuerim, ut opuſculum perficere non potuerim. Tribus certe *qvaternionibus* conſtabit:

ſtabit: primum ad te perferri curabo futura die Veneris. Tantum mihi expone, qvemadmodum ſcribi debeat diſputationis initium. De cetero miror, cur librum, diu a me expetitum, Leuberi ad me non mittas: item epiſtolas, qvas ſemel, iterumqve flagitat Daumius. Viciſſim enim gratificari amico, aeqvum eſt. M. Vogelius Dreſdam ſe brevi conferet, et idem negotium aget, atqve ſuſcipiet. Fac ergo, ne opinio, auctoritasqve noſtra apud virum obſoleſcat, qvi ubique aeſtimatur ob literas, qvas Philologi colunt. Pecuniae plus non poſſum polliceri, qvam qvae Gerſchwaldio eſt danda. Vale. Opto ſane, tibi fauſtum eſſe, et felicem, ac cum honore tuo in primis coniunctum hunc annum. d. XII. Ian. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCXCIV.
IO. IACOBI.

QVod de ritu Academico ad me perſcribis expeditum erit, et facile, ſi nomen initiandi excitatae indolis pueri qvamprimum per te fiat notum mihi, atqve manifeſtum. Sumptus non excedit numum uncialem. Partem Academiae Rector, partem ordinis ſapientiae Praeſes accipit: contra, qvam Lipſiae eſt receptum, ubi cum eo ritu nihil commune habet Rector. Sigfridus proxime ad me ex Pruſſia dedit literas, ac te perofficioſe ſalutat, vehementerqve dolet, literas, ab ſe aliqvoties ſcriptas, non eſſe perlatas. Vnum te rogo, ut patrono, de qvo ſcripſiſti, operam

X 3 meam,

Digitized by Google

meam, atqve ſtudium commendes, ac te mihi amiciſſimum moneo, hortorqve, ut ſummos honores, qvos ordo noſter confert, ne recuſes ſuſcipere, atqve exiſtimes, me, regimen illius adeptum, nihil ſane eſſe praetermiſſurum, qvo diligentia tua ornari poſſit. Ita vale, et literas ad Flavium cura. d. XIV. Ian. cIↄ Iↄc LXXVI. qvem fauſtum eſſe tibi, et acceſſione honoris, munerisqve ſacri felicem opto.

CCXCV.
N. N.

SVmmo cum gaudio intellexi, iucundam eſſe tibi memoriam ſuperioris amicitiae, ſtudiorumqve conſvetudinis, cuius fructum cum cepiſſe te mihi ſignificas, tum cordate admones, ab eo tempore, qvo hiſtoriam ſcribere exorſus fuerim, paulo immutatam eſſe mearum rerum faciem, et multo maius exercitationi meae acceſſiſſe ornamentum. Noſti, me animo eſſe ingenuo, et iuvandae iuventutis cupido, ut ſemper cogitem, non, qvemadmodum mihi, ſed, qvemadmodum aliis recte, atqve in tempore inſervire poſſim. Eo laetior tua mihi epiſtola fuit, qvae prolixiſſimum affectum non declaravit modo, ſed etiam confirmavit. Itaqve viciſſim enitar, et efficiam, ut ſentias, homini ſtudioſiſſimo beneficium collocaſſe, et munere tali me ornaſſe; qvod nulla oblivio delere poſſit. Si qvid a me repoſcis, et vehementer expectas, rogo te, uti exiſtimes, paria me facere, ſi mittam tibi aliqvid earum rerum, qvas non plane

ne nullo ſtudio monumentis commendavi. Si privatas exercitationes, ſcriptas ſolum, et auditorum cauſa inſtitutas, tibi placere intellexero, faciam, ut, data commoda occaſione, ad te curentur. Nam ego nuncium miſi dudum iis ſtudiis, qvae acumen potius exercent, qvam animum, gaudeoqve, te in eadem eſſe ſententia, et veram, ſolidamqve eruditionem complecti, ac legere ſcriptores optimos, et omnem rimari antiqvitatem, cuius in vita uſus eſt maximus, virosqve intelligentes delectat cum primis, atqve ornat. Mentiuntur enim doctos viros, qvi, dum in ſuis qvisqve ſtudiis verſantur, nihil ab ſua origine repetunt, et rivulos tantum conſectantur. Melior tibi mens eſt, digna qvidem tua gente, et de qva tibi gratulari convenit. Vale cum patre maxime venerando, et familia ampliſſima, deqve me ſtatue, eius, et tui perpetuum me cultorem fore. d. XVI. Ian. clɔ Iɔc LXXVI.

CCXCVI.

N. N.

PLane ex voluntate mea confeciſti, qvod abs te nomine M. Schmidii, ſtudiorum cauſa apud nos commorantis, deſideravi. Is, ut ingenuus eſt multum eius rei cauſa tibi ſe debere, profitetur. Pomarii carmen, de qvo ſcribis, me ſane applauſorem non habuit; neqve eſt eius dignitatis, ut ſtomachum movere debeat, niſi qvod ſtudium rixoſi hominis praefert. Relinqvatur auctori ſuo, aut, qvi eum inſtigaſſe videri poteſt. Scri-

ptum, qvod a Titio adornatur, multos hic expectatione ſuſpenſos tenet. Rumor, crede, de inſtituto, ſed, neſcio, qvo auctore, eſt diſſipatus ex me nemo tale qvid cognovit. Audio tamen, a civibus veſtris, Titii ſtudioſis, eſſe huc perſcriptum. Qvod an ita ſe habeat, forſan erit occaſio ſciſcitandi. Arbitror, certamen ingratum fore, ut qvi audiverim, Aiacem illum nolle in poſterum dimicandi cupiditate cuiqvam eſſe moleſtum. Vtinam vero tandem id fieret, et publicae tranqvillitati ſedatis conſiliis conſuleretur! d. XX. Ian. cIↃ IↃc LXXVI.

CCXCVII.

ERNESTO BAKIO.

DImitto ex ſcholis meis, qvem deſideraſti, Heiuium, iuvenem probum, modeſtum, doctum, et ingenii, qvantum per fortunam licet, capacis. Ei providebis haud ſecus, atqve aliis, qvi tibi a me commendati ſunt. Nam et pari ſtudio faciet officium, et talem ſe geret, qvalem tu voles, pronus in officium, et mei in te amoris verus teſtis, atqve certus interpres. Vale d. XXI. Ianuar. cIↃ IↃc LXXVI.

CCXCIIX.

HENRICO, L. B. A FRISEN,

IVNIORI.

MAndavit mihi illuſtriſſimus Parens tuus, ut, ſtyli exercendi cauſa, inter nos colloqvamur, et ſcribamus. Qvod cum ſine impietate defugere

re non poſſim, et ſciam, ad illuſtriſſimae tuae gentis curam pertinere, duxi, opportune admonendum. Eqvidem reſpubl. a tuis ſtudiis permagna ſibi ornamenta ſperat, ac, me non monente, interpellat, ut, Scaevolam imitans, eloqventiae pariter, ac iuris peritiſſimus evadas. Vnum te oro, qvaeſoqve, ut, ſi libet, et vacat, per epiſtolam diſſeras, qvemadmodum vera, et civilis eloqventia ſit comparanda. Ego, ſi ab Cicerone diſceſſerim, in primis Caeſarem laudo, et ſeqvendum puto, lenem ſane ſcriptorem, ac profluentem, et Grotio qvondam, illuſtriſſimoqve Patri tuo amatum. Ex Muſeo. d. XXIII. Ian. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCXCIX.

EIDEM.

NEgotium, qvod, auctore mihi ſanctiſſimo, ſuſcepiſti, neqve mihi moleſtum eſt, et gaudeo, tibi gratum fuiſſe. Praeterqvam enim, qvod intellexi firmitatem animi tui, cognovi etiam de ardore, qvo incitaris ad gloriam, et non modo dignitate generis, ſed qvoqve ornamentis ingenii, diſtingveris a vulgo, ac proficis qvotidie, et vincis aeqvales tuos. Retine igitur hanc laudem, velut propriam tui nominis, ac praecipuam, ut ſtudiis, qvae tractas, non tu magis, qvam reſpublica, cui natus es, fruatur. Eo conſilio toleranter feres moleſtias, qvas hac aetate non minuit iuriſperitia, ſed auget, ut, rempublicam capeſſens, tanto maiori honore, utilitateqve cumuleris. Qvod ut tibi uſu veniat, et contra taedia, qvae ſumma ſpes lenit

qvodammodo, et conſolatur, paratus ſis, et conſtan
opto, petoqve, ut pro bonitate tua mihi declare
qvam horam deſignatam mihi velis, qva ſtudia me
tibi probare poſſim. d. XXV. Ian., clↄ, I
LXXVI.

CCC.
AMICO HELMSTADIENSI.

GRatulor tibi ingreſſo hac viam, qva et a vu
gi lubricis, auctoresqve ſuos fallentibus, v
ſtigiis diſceſſiſti, et totam mentem Deo, ſtudiiſq
optimis conſecraſti. Qvae ratio, pro temporu
horum conditione, utiliter a te ſuſcepta eſt, et m
hi in primis, tui ſtudioſiſſimo, probatur. Diſſe
tationes meas dudum ad te curare volui, qv
prout in manus venerunt, facili animo accipe,
de me exiſtima, nihil fore tam arduum, qvod am
ri tuo tribuere nolim. Summe venerando Bak
etiam aliqvid imperties, et confirmabis, fore,
inviſam, ſi vicerim hiemis moleſtias, qvae ſa
graves tam longo tempore mihi fuerunt. C
leberrimus Conringius, Schraderus, peroffici
ſe ſalutentur. Calixti liber de Iubilaeis perqva
gratus fuit, diligentiae luculentus teſtis. d. XXV
Ian. clↄ Iↄc LXXVI.

CCCI.
HENRICO, L. B. A FRISEN.

FIrma tua valetudo, et fauſtus illuſtriſſimi filii a
ventus, uno, eodemqve tempore plurimum ga
dii, voluptatisqve mihi attulerunt, niſi qvod fu

ma benignitas tua me pervicit, ut ſplendidum donum, abs te miſſum, fidenti animo caperem, et, licet rubore ſuffuſus, voluntati tuae acqvieſcerem. Intellexi qvidem, operam, qvam libello inſcribendo navare volui, gratam tibi, probatamqve fuiſſe, non, qvod mihi placere ſtudeam; ſed, qvia propenſiſſimo patrocinio, opeqve fultum, altera vice ornare, pro tua bonitate, voluiſti. Cuius rei memoriam ſemper conſervabo, et, qvanqvam alioqvi tuus ſum debitor: tamen plus pollicebor, non eqvidem tibi, ne promittentis audaciam graviter feras; ſed illuſtriſſimo filio tuo, cui omni mea opera, atqve honeſtis ſtudiis inſerviam, ut ornamenta, qvae ab eo respublica ſibi ſperat, vera, ſolidaqve laude cumulatiſſima conſeqvatur. Qvam de ſtylo vis, cum primis adhibebo diligentiam, atqve enitar, ut monitis pariter, atqve uſu civilis eloqventiae dignitatem tueatur. In hiſtoria, praecipue Habsburgicorum Caeſarum, Principumqve Imperii, eorum maxime, qvi creandis Caeſaribus ſummum obeunt munus, iucunde verſabitur, et minime in ſalebris haerebit. Sed, qvia haec ſtudia explent qvidem iucunditate animum, ſola autem non ſufficiunt tractaturo rempublicam, bene, atqve gnaviter ea de re commonebo, et rationibus, exemplisqve demonſtrabo, qvod perbenigne mihi mandaſti, ut ſciat, atqve ſentiat non poſſe regendis reipublicae conſiliis adhiberi, qvi non ſit iuris peritus. Itaqve imitabitur Scaevolam, genere, et iurisprudentia illuſtrem virum, cum ut ſummae tuae ſpei, tum ut gloriae ſuae prorſus ſatisfaciat.

Hoc

Digitized by Google

Hoc agam, hoc nitar, hoc certe a DEO immortali impetrabo. Nam in honore tuae ſtirpis vertit ſalus omnium, et conſiliis tuis tranqvillitas noſtra, atqve moderatio Saxonis, et felicitas Saxoniae continetur. Qvibus rebus priſcam dignitatem ſervas et aemulis etiam, ac hoſtibus pacis, admirabilem te reddis, ut nulla ſit gens, aut natio, qvae non optet tuam incolumitatem, qvaeqve non intelligat, tua auctoritate, atqve prudentia conſenſum, atqve concordiam in Saxonia viguiſſe. In vicina Marchia adhuc fervent belli conſilia, et brevi magna erit Pomeraniae citerioris commutatio. Inſtat, urget Caeſar, ut Sedinum obſideatur, qvod qvin ſe ſit dediturum minime dubito. Proxime Guldendloevius, Norvegiae Prorex, Svedos in Norvegia caſtris exuit. Omnia ipſorum, credo, brevi momento vertentur, niſi pace refloreſcant, cuius tantae erunt difficultates, et tam lentae, ut interim forte Svedi de reliqvis Germaniae portionibus periclitentur. Ceteroqvin te DEVS ſervet, Domine, et res, actaqve, et conſilia omnia fortunet, ut Saxonia te conſilii principe floreat, et illuſtriſſimo filio tuo, in eandem fortunam genito, applaudat. d. XXIX. Ian. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCCII.
CHRISTIANO SCHVZIO.

HAud mediocriter me delectant literae tuae, et legentem ſubinde retinent, commendantqve ſe mihi in primis cum ob lectionem, tum ob iu-

iudicium tuum. Rachelii diſſertationem vidi, qvam in eo capite probare non poſſum: puto tamen fore inutile, ſi qvis cum ipſo ſuper re dudum transacta contendat. Pari enim, aeqvoqve iure fruuntur *Reformati*, ex qvo ſanctio Veſtphalica coaluit, etſi prioribus retro temporibus multo aliter fuit: et Svedis debent hoc beneficium, qvod ſane eſt maximum. Conringii libellum perlegi, eruditum, atqve elegantem: ſed, multis Ebraice doctis, litem movet, et vereor, ne Vaſmuthius iterum indignetur. Pufendorfius, qvid nunc agat, qvae patiatur, hoc rerum ſtatu, ignoro, qvo totus ſeptentrio immutat faciem, auctore conſilii Sempronii, qvi redintegrat afflictam Danorum fortunam, et Viennam qvoqve in iuſtam ſui admirationem advertit. Svedis diviſa conſilia, ac intempeſtiva nocent. Eo minus ſperanda eſt pax, qvam neqve Caeſar cum iis deſiderat, neqve temere ſociales Principes. Vnum Svedos ſolatur, qvod, dum foris perit auctoritas, domi ſe reges faciunt, et iura ſua firmant contra plenum imperium Regis. Plura ſentio, qvam ut ſcribere expediat. Kal. Febr. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCCIII.

IO. FRIDER. VOLHARDO.

NOn diffido qvidem tibi; ſed certe miror, qvid fuerit, qvod, cum literas miſſurum te receperis, nullas tamen miſeris, nec indice ſubiecto pretium deſignaveris. Illud multo magis ad curam meam pertinet, ut abs te poſtulem, libros cum

cum primis ſelectos conqviri. Nam ex proximis, ſi a Dionyſio, qvem media parte tineae eroſerunt, diſceſſero, parum fuit, qvod accepi. Chronicon Glacenſe minus profecto, qvam debuit, me oblectavit. Nam plenum eſt ineptiarum, et iudicii, prudentiaeqve expers. Demoſthenis orationes neqve omnes, neqve eleganti prelo expreſſae erant. Haud meliora ſubiuncta Chronica fuerunt. Epigrammata non perinde mihi commodo ſunt, ac Philoſtratus, et Michael Epheſius. Qvare ſummam adhibe curam, et Miraei diplomata mihi, nulla interpoſita mora, transmitte, ut cognoſcam, te mei eſſe vere ſtudioſum. d. III. Febr. cIɔ Iɔc LXXVI.

CCCIV.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

PVdet me incuriae, et culpam deprecor, qvam proxime admiſi, cum a nobis diſcederet, ab ſecretis tuis, Lichtverus, vir promptus, atqve expeditus in curandis mandatis tuis. Ego, qvae praecepiſti, fideliter facio, et, ſi ex ſcholis iuridicis Scharſchmidii dimiſſus eſt Henricus tuus, dicendi uſum, exercitationemqve commonſtro. Loqvimur Latine ſoli inter nos, et eo familiarius, de omni genere civili; neqve ſcribendi officium intermittimus. Vita, mores, ingenium, ſtudia, magnam mihi, certamqve ſpem faciunt, eum fore illuſtriſſimum filium tuum, qvem tu, Domine, resqve publica expectant. Ita te DEVS, gentemqve tuam perpetuo, atqve conſtanter ſervet. d. IV. Febr. cIɔ Iɔc LXXVI.

CCCV.
IO. FRIDER. VOLHARDO.

CVra, operaqve tua mihi grata eſt, ſi libros, a me expetitos, fide mea curabis. Perezii Relationes, de qvibus ſcripſeras, exigenti reſpondit curſor publicus, eas ſibi non fuiſſe redditas. Indices remitto, viſos mihi, aeſtimatosqve. Pecuniam prius non accipies, qvam librorum pretium mihi perſcribas, et codices Herckero advehendos tradas. Noſti me ſolvendo promptum, paratumqve, ſi certus ſum rei, de qva inter nos contrahitur. Schedelii Chronicon accepi: ſolvam, qvod eo nomine impendiſti. Chronicon, manu exaratum, Miſniae, Cocceiiqve Dagobertum, prima occaſione emas: pecunia certo reddetur. Herckero non poſſum negotium dare, niſi ut fidem meam, voluntatemqve bibliopolae declaret. d. VII. Febr. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCCVI.
HENRICO, L. B. A FRISEN.

INcertum eſt, qvid de Conventu Neomagenſi ſperemus, prompto ad pacem Gallo, ut Svedos periculo eripiat, qvippe qvi in eo negotio, qvod ad ſalutem ſuam pertinet, nihil lente agendum eſſe, cenſent. In Norvegia multos eorum manipulos profligavit Vlricus Fridericus Guldenloevius, et Iemptiam, regionem opimam, ac fertilem ademit Ruſenſteinius, ſi verus rumor eſt, qvi Hamburgo ad me perfertur. Ineunte vere Scaniam, credo, adorientur Dani, et denuo tales conſiliorum ratio-

tiones explicabunt, ut belli ſedes ab ea qvoqve parte in Svedicis regionibus ſit futura. De caſtro Opslohio, cuius arx Agershuſia dicitur, intercepto error eſt. Nam in utraqve Norvegia res ſuas egregie firmavit rex, plura auſurus, cum naves Batavae ſubſidio venient. Haud melior Gallorum fortuna apud Meſſinam fuit, poſtqvam Reuterus, praetor navalis Batavorum, et Monteſarchio Hiſpanus, pernicioſa Vivonnae conſilia irrita fecerunt, Gallorumqve triremes toto mari Siculo feliciter, atqve animoſe diſiecerunt. Magna enim Italiae ſecuritatis pars ex Meſſina pendet, et, ea rerum facie, Hiſpanorum illud imperium ſummum paulo liberius ſpiritum ducit, ut, comparata diu ad premendum Gallum, conata meliorem exitum ſortiantur. Sane enim Gallo conditiones forent graviores; neqve is tam imperitus eſt, ut non ſentiat vim, ſeriemqve talium conſiliorum, qvae irruptione qvadam in Brabantiam ulciſci conſtituit. Ceterum, ut bella ſunt inter reges, atqve principes: ita non deſunt concertationes inter eruditos, praeſertim Theologos, qvos decebat moderationis, atqve concordiae eſſe ſtudioſiores. Helmſtadienſes enim, neſcio qvo *programmate* Theologi irritati, acrem moliuntur defenſionem. Conringium, Gvelferbyto reducem, gravior morbus lecto affixit, etſi ſpes eſt eo liberatum iri. Is edidit diſſertationem de Siclis, qva Vaſmuthium Kilonienſem acerbe notat, et haud ſecus, ac virum improbum, perſtringit. In Italia Ioannes Palatius de integro edet Aqvilam Francicam,

cicam, et Saxonicam: his addet Svevam, Brunſvicenſem, atqve Auſtriacam: demum Vagam pollicetur, et geſta Pontificum uſqve ad hodiernum Clementem IX. Lis inter eum, et D. Veielium exorta eſt, qvae forte in vanitate deſinet, ut qvi videam, Palatium ineptiis colorem qvaerere, multo ineptius, qvam ut viro tam docto conveniat. In Anglia, ubi ſuperiori anno deceſſit eius regni Hippocrates, Villius, Henricus Oldenburgerus gnaviter fovet diligentiam regiae ſocietatis curioſae. Batavia inter armorum ſtrepitum ſqvalet, et hoc ſtatu ſibi ipſi paene diſſimilis eſt. In Gallia Stephanus Baluzius magnam curam, laboremqve Capitularibus Karolingicis impendit, cui fragmentum Lotharii I. Florentia eſt transmiſſum, cuius copiam feci D. Thiloni, qvi an cucuraverit, adhuc me latet, propterea qvod nondum eſt reverſus. Verum te, Domine, DEVS ſervet, et conſilia, fortunamqve tuam contra morbos, et ſeculi mala tueatur. d. XI. Febr. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCCVII.

EIDEM.

PArvo temporis intervallo cohortes Caeſaris iterum conſiſtent apud Rhenum, ductu Lotharingiae Ducis ampliſſimam fortunam ſperantes. Iamqve ex hibernis exeunt, et, relicta orientali Francia, caſtra movent, ſub novo Imperatore magnum animum, ardoremqve oſtentantes. Nihilo ſegnius ſe comparant Batavi: neqve ex vano dixit Val-

Y deccius,

deccius, recentem hanc magis formidandam fore expeditionem. Eo minus Danus negligit occaſionem, et exercitum, qvem in Germaniam duxit, maiori parte conſumptum, reficit, ac tantam pecuniae vim cogit, qvantam nullus ante ipſum. Batavis tamen, in cuſtodiendam potentiae maritimae aeqvalitatem intentis, paulo diffidit, Trompio affuturus, ut propius obſervet imperium foederatae militiae navalis. Hamburgenſes adhuc, more ſuo, obſtinati ſunt, necdum eos emendare potuit Haubaeus, qvi Brema illuc venit, ut a ſtudio in Svedos tandem aliqvando avertat. Sed, ſui ſimiles, parum ſunt dicto audientes, qvod malo ſuo experiuntur, conſtituta in fortunas ipſorum poena a Brandenburgico, et Praeſule Monaſterienſi. Sedino magnus terror illatus eſt, accepto nuncio apparatus tormentarii, qvem curat Brandenburgicus, cupidus eius potiundae urbis. Straleſundium metu, et morbis conficitur, ac dolet moleſtias, difficultatesqve ſuas, et qveritur impeditam mari navigationem. Viſmariae Praefectus, ob urbem, Danis deditam, a Svedis in ius vocatus eſt, Phrygum conſilio, qvod ab ea gente poſt res afferebatur. Bavarus vires, potentiamqve Auſtriorum auctam cernens, moderatius conſilium capit, veritus, ne Caeſar aut Regno Bohemiae, aut Palatino aliqvando Palatinatum ſuperiorem repoſcat, propterea qvod aeqve, ac alii illius regionis ordines, tributa militaria pendere neceſſe habent, praetextu ſanctionis, ut vocant, *circularis*, revera ideo qvod Egoniſtarum factioni acceſſit, et, auctore Hermanno

res,

res, et conata Gallorum fovit, atqve ornavit. Neqve ſinet Caeſar, hanc ulciſcendi opportunitatem ſibi eripi, qvandoqvidem Galli vires diſtractae ſunt, ac imminutae. Neqve eo ſecius laborant Svedi, omnes Germaniae, qvas poſſident, provincias amiſſuri, niſi pacem ſeorſim faciant, afflictisqve rebus in tempore conſulant. A tergo Moſchus eſt, optans invadendae Livoniae occaſionem, a Caeſare atqve Brandenburgico per legatos inſtigatus. Qvo ſtatu magnopere cupit Palatinus, ut Philippiburgum, unde tot damna ſibi illata ſunt, obſideatur, Princeps conſtans; ſed in coarguendo vehemens, ac difficilis, et bene meritos, tanqvam exprobrantes, aſpiciens. Eid. Febr. cIɔ Iɔc LXXVI.

CCCIIX.

EIDEM.

DE Pace, Neomagi coitura, rurſus eſt ſilentium. Hiſpani cum primis remorantur conſilia, et lingva magis, qvam manu contra Gallos pugnant. Caeſar ipſe, repetitis ex proxima memoria exemplis, eorum inſolentiam exaggerat, et, qvam haud reverenter a tempore pacis, apud pyrenaeos montes compoſitae, cum Germaniae Principibus, conciliationis ſtudium interponentibus, egerint, graviter per Marqvardum, Praeſulem Aichſtadenſem pronunciandum curat, et Batavos iam tum ea de re commonefacit. Duces Luneburgici rogant Batavos, atqve orant, uti Dano validam claſſem ſubmittant, et propterea nervos

intendant. Qvo ſtatu miſera erit conditio Sundii, urbis cisBalthianae, qvae naves vix hoc tempore in tutum deducere poteſt, propterea qvod imminent Dani, et, ſimul ac ex portu ſolvunt, protinus circumſiſtunt, atqve belli iure capiunt. Sedini veteris praeſidiarios infecit morbus, qvi multos qvotidie abſumit, ut neceſſe habeat reficere ſaepius, ac ſupplere. Ioannis Friderici varii Principis, et virtuti fratrum diſſimilis, et, qvod vix alius qvisqvam auſus eſt huc usqve, in clientelas Saxonis, qvas in Thuringia habet, iniqvi, mors, optata ſane Gvelfis ac vicinis, perfertur. Interim DEVS reſpiciat Germaniam, ac in ſupplicationibus, qvas freqventer indicit religioſiſſimus Princeps noſter, ineſſe fortunae remedium iubeat, teqve Domine, et filium, qvi ſumma virtutis documenta dat, tuae ſtirpis monumentum eſſe velit. d. XIIX. Febr. clↄ Iↄc LXXVI.

CCCIX.
IO. FRIDER. VOLHARDO.

Placet mihi tuum conſilium, ſi prudentiae, eruditionisqve augendae cauſa peregrinaberis, et animo conſiderato, pietateqve in DEVM munito, ad hoc utile ſane, et viro, in vita verſaturo, dignum propoſitum aggrediaris. Nam, qvi vagantur, et curſant, ac tecta tantum, et lapides vident, hominesqve intuentur potius, qvam aeſtimant, ii plane ineptiunt, et tempus duntaxat perdunt. Tu ita omnia ages, atqve inſtrues, ut in patriam reverſus teſteris, te profeciſſe, et reipubl

inte-

interiores rationes, inſtituta, mores, reditus perſpexiſſe accuratius, atqve cognoviſſe. Simul rei Chriſtianae ſtatum, ritus, atqve religionem contempleris, exempla, in illuſtri poſita, expendas, et qvatenus ad inſtitutum tuum pertinent, obſerves, et praecipue pacis, belliqve negotia, eorumqve initia, atqve cauſas, in animum demittas, et, ubi imperii vis, ac robur ſit, qvibus conſiliis innitatur, qvos adiutores, miniſtrosqve habeat, qvibus modis firmetur etiam, et conſervetur, qvalia foedera ſint, et commercia, rerumpublicarum nervi, animo teneas fideliter, et cuſtodias tua, patriaeqve cauſa. Prudentia univerſalis, et hiſtoria univerſalis conſtant accurata reipublicae, rerumqve, in coetu DEI geſtarum, notitia. Qvod poſterius deficit in hiſtoria Polybii, alioqvin civili, et univerſali. Eam in rem videas Dieterichii Hodoepericon, et legas de eodem argumento Boecleri diſſertationem, conſiliaqve, publice deſcripta. de XIIX. Februar. cIↃ IↃc LXXVI.

CCCX.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

IVNIORI.

PRincipes, creandis Imperatoribus ſacri, qvi olim *Septemviri*, nunc, vocabulo non ſatis qvidem Latino, recepto tamen paſſim, et doctrinae gratia retinendo, *Electores* nominantur, iura ſummi civilis imperii, qvae Maieſtatis vocant in ſcholis, nunqvam habuerunt; neqve tunc etiam, cum Karolus

IV. Luzelburgicus conſtitutione de Septemviris lata, ſanciret, in eos admitti crimen perduellionis, ſive, ut dicitur, laeſae maieſtatis. Nullam enim per ſe legem ferunt: nihil ſuo nomine ſoli definiunt: nihil ſuo arbitrio moderantur. Cum imperatorem ſuffragiis deſignant, DEO, et ſacro imperio adſtrictos ſe, iurisiurandi religione fatentur. Nec iura imperii ſeparata ab aliis; ſed privilegia ſolum habent, qvae deſignatus, inauguratusqve imperator confirmat. Nec forma Imperii ſinit, neqve patitur coniunctum *Ariſtocratiae* temperamentum, ut ipſis iura maieſtatis tribuantur. Et illo ſane tempore, qvo Karolus auream *Bullam* promulgavit, iura Maieſtatis ſic comparata erant, ut ne qvidem Imperii Principibus coniunctim communicata eſſent. Qvo minus cum *Electoribus* ſeparatim a Principibus reliqvis communia eſſe potuerunt. Ius faciendae Imperatoriae ſanctionis, ſive *capitulationis*, ab exceſſu Maximiliani I. adepti ſunt, et non aliter, qvam privilegium, ſive, ut in comitiis loqvuntur, *praeeminentiam* habent. Qvanqvam et hoc in dubium vocant Principes, et perpetuam *capitulationem*, conſenſu Principum faciendam, iam pridem flagitant, innixi ſanctioni Oſnabrugenſi, quae iura leges ferendi, pace, belloqve negotia ordinandi, atqve huiusmodi alia, qvae imperatori non ſunt reſervata, omnibus Imperii Ordinibus largitur. Sententia Scharſchmidii haud dubie ex fontibus Boecleri hauſta eſt, atqve derivata. His, qvaeſo, acqvieſce, et, ut ſoles, devinctiſſimum clientem tuum complectere. d. XIX Febr. clↄ Iↄc LXXVI.

CCCXI.

CCCXI.

IO. FRIDER. VOLHARDO.

PRaeter meam culpam accidit, ut Herck. in exponenda pecunia tam difficilis eſſet. Vacat ſuſpicione amicitia, qvam certis fidei pignoribus non ita pridem corroboravimus, ut neuter alterius officium accuſare debeat: tu qvidem eo minus, qvod conſtantiam meam multis rebus perſpectiſſimam habes. Ex libris, qvos advehendos tradidiſti, nullus aeqve mihi placuit, qvam Xylandri Plutarchus, ex qvo omnem paene hiſtoriae Romanae, ſi ea intercideret, iacturam reſarcire poſſem. Demoſthenis *Scholiaſtes* in eruendo iure Attico, qvod ex ſolo Samuele Petito nemo intelligat penitus, ac declaret ſatis, prae aliis mihi probatur. Pari gaudio Ariſtophanem lego, in qvo Attici leporis praecipuum eſt exemplum. Stephanus in Geographia haud levis adiutor mihi eſſe poteſt, qvanqvam de eo affirmare tibi poſſum, multa mendoſa in eo reperiſſe, qvae in loco caſtigabo, verae ſententiae praeſidia allaturus. Origines Murenſes multis modis me delectarunt, in qvibus inveni aliqvid, qvod diſſertationem, brevi evulgandam, ornare poſſit. Vnum te id rogo, qvaeſoqve, ut, qva decet, fide omnem rem, cauſamqve expedias, et libros, indice ſubiecto comprehenſos, omni diligentia compares. Septem numos unciales Herckerus affert, qvi et fidem pro tredecim, proxime advehendis, interponet ſuam, ſi M. Ludewig promiſſi immemor, aes alienum non diſſolvat. Cetera,

Digitized by Google

tera, de qvibus inter nos conventum eſt, ſerio cura. Theocriti *Scholiaſtes*, Demoſthenes cum Vlpiani rhetoris annotationibus, adhibito commentario Budaei in vocabulis difficilioribus iuris Attici, Iſocrates Volſii, Ariſtophanes Biſeti, cum inſtitutionibus Henrici Stephani, ad accuratam lingvae Graecae notitiam erudiunt. Strabo pariter Geographiam, et hiſtoriam docet, qvi cum coniungas Stephanum Byzantium. Raphaelis Volaterani libri octo Vrbanorum qvoqve eo utiliter leguntur, conferendi cum Solino, et Mela, qvi commentariis aucti egregiis, atqve luculentis. d. XXI. Febr. cIɔ Iɔc LXXVI.

CCCXII.

N. N.

CVm ſaepe optaverim ſcire, qvid agas, tum ipſe commodum me admones, qvo loco ſint res tuae. Ego ſane, te ſalvum eſſe, ac ſoſpitem, gaudeo: neqve vero mediocriter doleo, ſpem tibi non ſupereſſe optimam, nec videre te qvomodo emergas. Sed hoc moderate ferendum eſt. Si ad me venias, pro viribus te iuvabo: qvanqvam et tunc mora opus eſt, propterea qvod non uno momento ſe dant occaſiones, uti homines volumus. Hominum, de me iniqve ſentientium, ſermones perinde mihi ſunt, ac ſaxis fluctus: verberant, et impellunt immotas rupes. Pluris enim mihi mea eſt conſcientia, qvam perverſa iudicia hominum. Edidi non pauca: hiſtoriam illuſtravi publice: in res Belgicas, vitam Alberti Animoſi com-

commentatus ſum: ſcripſi de Gvelfis: integros libros, nondum evulgatos, concinnavi: ſcripſi epiſtolas civiles, magno ſane numero, qvas poſteritas videbit. Luſatiam brevi eruam, argumentum perrarum, neqve Conringio ex inſtituto tractatum. Natali Principis Saxonis in templo arcis gratulatus ſum. Qvotidie diſſertationes nomine Academiae, ſcriptore me, in lucem veniunt, in qvibus obtrectatores qvaerant ſine ſtudio, qvid reprehendant. De barbaris, exempli gratia, *Tzar*, et ſimilibus, lex hiſtoriae vult, iubetqve, ut uſurpentur: perinde ac Thuanus vocabulum *Proteſtantium*, ac ſimilia, uſurpavit. Id oratori non licet; qvod vulgus ex Trapezuntio, interprete Rhetoricorum Ariſtotelis, diſcere potuit. Reipublicae Amphictyonum peſſime ominor, cuius cives, dum aliena agunt, ſummos Principes offendunt, perituri meliori parte, niſi Caeſarem, legesqve Imperii, in melius mutati, revereantur. d. XXV. Febr. clↄ Iↄc LXXVI.

CCCXIII.
HENRICO, L.B. A FRISEN, IVNIORI.

SAlvum te, ac incolumen rediiſſe, gaudeo; neqve dubito, profectionem eam magno tibi uſui fuiſſe, propterea qvod ex belli expertis cognoviſti praeſens, qvae de bello recte gerendo alias legiſti. Eſt enim hoc ingenii tui, eſt hoc proprium tuae laudis, ut, qvanqvam in toga honorem tuae gentis tuen-

dum, ornandumqve ſuſcepiſti, tamen belli qvoqve artes ſcire geſtias, Romanos imitatus, qvi rempublicam tractanti huius auctores conſilii fuerunt, ac praeclare cenſuerunt, omnes, qvi negotia conficere, legationesqve obire ſtudeant, belli non omnino eſſe debere imperitos. Qvamobrem prudenter abs te factum eſt, qvod ita diſpoſuiſti tempora, atqve diſpenſaſti, ut, ſi qvid ſtudiis ſubducas, id opportune conferas in meditationes belli, ac demonſtres, poſſe te otium, in Academia tributum, inter pacis, belliqve artes partiri. d.V. Mart. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCCXIV.

HENRICO, L.B. A FRISEN.

OMnia ſumma ingenio conſeqvitur filius tuus, princeps iuventutis, et te avoqve dignus omnino filius, in qvo non unius familiae, ſed omnium ſpes ſita eſt. Qvod vere tibi gratulor, et privatim gaudeo, eum, ſi ita pergat, doctrinae ſtudiis ipſos qvoqve doctores ſuos brevi eſſe ſuperaturum. De iure qvotidie diſſerit, et accurate meditatur: qvid recte, qvid perperam in republica fiat, praeclare aſſeqvitur: hiſtoriam omnium gentium pervolvit, et facta, eventaqve comparat, egregie, ac diſtingvit, partibusqve ſuis ita fungitur, ut boni omnes ab ipſo exemplum petamus. In Brisgovia proſpera fuit fortuna Caeſaris: Briſaci rector Monglas captus: multi Gallorum caeſi. Stadam diverſa parte aggredientur Foederati: *Ducatus* Bremenſis, et Verdenſis ceſſuri ſunt, ex pacto,

pacto, et ſententia Caeſaris, Luneburgicis: praefecturas Vildeshauſen, et Ordinghauſen cum magna pecuniae vi, accipiet Antiſtes Monaſterienſis, Chriſtophorus Bernardus. In aula Berolinenſi immite reſponſum tulit Seckendorfius. Pomerania morbis, et inedia perit: Sedinum, excitis in ultionem omnibus Marchiae incolis, in ſummo diſcrimine verſatur. Magnam ſolicitudinem Brandenburgico iniicit propugnaculum Leiſnicium, ſuperiore anno Svedis deditum. Qva de cauſa proxima hebdomade ſupplicium de auctore deditionis eſt ſumptum, etſi is culpam contulit in Principem Deſſavienſem cui dignitas ſua, et neceſſitudo Auriaca patrocinium in ea aula adhuc praeſtant. Interim te DEVS ſervet firmum contra omnia ſeculi mala, et proſperet ſummam fortunam. d. IX. Mart. clↄ Iↄc. LXXVI.

CCCXV.
IO. FRIDER. VOLHARDO.

MEa opinio eſt tibi ample, et graviter tractandum eſſe negotium, qvod utilitatis meae cauſa ſuſcepiſti. Geographos, a Stephano editos, ad argumentum veteris hiſtoriae adhibere mihi licet. Leges Lindenbrogii ad iura priſcorum Germanorum noſcenda valent: non tamen ſufficiunt; neqve mihi, ex fontibus eorum capita ducere ſolito, admirationem excitant. Diplomata Miraei aliunde mihi, copioſeqve conſtant, eaqve re in primis me oblectant, qvod ſcriptor illorum Iodoci Coccii meminit, qvem in Stemmatis Belgicis ſaepe,

ſaepe, nec ſine cauſa eſt ſecutus. Itaqve operam nava inſigniorem, et Pauſaniam, Michaelem Epheſium, Heliodorum, Victorem Schotti, Philoſtratum, Apollinarem ad me cura. Bocatium, Macrobium iam ante habui, qvam mitteres: Aratus in Anglia melior auctiorqve prodiit. Cetera, qvaeſo, cura expedias, et libros, gravitate ſtudii, pretioqve dignos Herckero perferendos tradas. De his, qvae promiſiſti, fac, ut praeſens videam. De Voſſio nolo te monere, ne obtundere te videar. d. XI. Mart. clↄ Iↄc LXXVI.

CCCXVI.

N. N.

PRivigno tuo, homini probo, atqve induſtrio, hoc officium tribuo, ut, qvanta poſſem opera, eum tibi commendem: non, qvod exiſtimem, eum teſtimonio indigere; ſed, qvia rationes eius poſtulant, ut ex me qvoqve cognoſcas, eius conſvetudine, uſuqve nihil eſſe mihi iucundius. Eo conſilio honore Magiſtri eum ornandum cenſui, ut diligentiae fructum caperet, et, ſponte ad decus excitatus, magis, magisqve confirmaretur. Qvod ut ipſi bene vertat, ſupplicabo DEO immortali, tuamqve ſalutem pariter, et honorem votis, precibusqve eidem commendabo, nihil dubitans, qvin de ſtudio, privigno fideliter navato, more tuo, recte, benigneqve ſis exiſtimaturus. Eid. Mart. clↄ Iↄc LXXVI.

CCCXVII.

CCCXVII.
CHRISTIANO SCHVZIO,

HIc annus initium erit maioris belli. In claſſem Danicam, auxilio Belgico fretam, omnes Foederati eriguntur, qvam reget Trompius, Reuteri aemulus apud Batavos, eoqve maiora auſurus apud Danos. Greifenfeldius arcanorum in Chriſtiani V. aula antehac arbiter, cuſtodia tenetur, qvod ſive rerum novandarum ſuſpectus, ſive Svedis ſpatium colligendarum virium dare voluiſſe viſus eſt. Oenopolae filius apud Fridericum III. valde, apud Chriſtianum immodice crevit, ſi in felicitate modum tenuiſſet, ex Comite Princeps futurus: adeo Regi, qvem nunc offendit, in deliciis erat. Caeſar aut nunc oſtendet ſe *Monarcham* Gallo, aut fortaſſe nunqvam. De carmine habeo gratiam, et vellem, eſſe laetum in eo nuncium. Nunc, ut vices ſunt mortalium, moneat nos humanae viciſſitudinis. d. XXIV. Mart. cIɔ Iɔc LXXVI.

CCCXIIX.
N. HEINIO.

DIſſidium, qvod inter Caium et Moevium exarſit, funeſti ominis loco accipitur a cordatis, qvi optant, vulnera Eccleſiae ſanari, et dolent, cicatrices obductas ſolo litigandi ſtudio refricari. Thraces mihi videntur imitari, qvos tamen a domeſtico bello abhorruiſſe conſtat, feros licet, ac pertinaces homines. Sed nunc omnis amor ex oculis ſublatus

tus Chriſtianorum erga ſe, et diſcordia aut dividit animos, aut turbat. Multi famae, multi irae, pauci conſcientiae ſerviunt. Qvod temporibus his luctuoſis valde me afficit, atqve angit; neqve tam mea, qvam religionis cauſa, qvae qvantum emolumentum ex concordia, tantum ex diſcordia detrimentum capit. Gaius nimius animi, et impatiens qvietis eſt, qvi qvae facienda ſint, ſcit rectius, qvam facit, vir expertae ambitionis, et toto vitae genere ſibi diſſimilis, ut, qvam iactat, pietatem non in animo, ſed in labris natam, forte exiſtimare poſſis. d. XXV Mart. clɔ Iɔc LXXVI.

CCCXIX.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

IVNIORI.

NOn diſplicet inſtitutum, Domine; neqve dero in tradendo infelicis diſcordiae exemplo. Verum exiſtimo, illuſtriſſimo Patri tuo gratius fore, ſi de argumento, heri ad deliberandum ſumpto, aliqvid ſtudiis tuis decorum, atqve dignum commenteris. De concertatione autem iſta infauſta, niſi leviter, ſtrictimqve, et qvatenus in ea aliqvid tranqvillitatis reipublicae verſatur, non perſcribas. d. XXXI. Mart. clɔ Iɔc LXXVI.

CCCXX.

IO. FRIDER. VOLHARDO.

ARtes intelligo, qvas uſurpas: eas praevidi animo, neqve tamen poenitet me impenſae operae, qvi plus indoli meae, qvam calliditati pravae

vae dare ſoleam. Fuit, qvi me in ea ſententia confirmaret, affirmans, abiturum te dixiſſe: qvae promiſiſſes non ſervaturum. Facias, qvod libet: ego mei ſimilis ſum, et laetor, habuiſſe de te merendi occaſionem. Suſcepi pro te honorifica, et perfeci: nihil tibi invidere volui: nullum beneficii fructum eripui. Diſſertationem diſtuli, occupationibus impeditus, non ut tibi officerem, aut commodis tuis, qvae, qvoad mihi licebit, curabo. Eo magis miror, enunciaſſe te hic cuidam, me moram duxiſſe tam longam, non alia ex cauſa, qvam qvod ſubveritus eſſem, te munus hiſtorici Principalis conſecuturum. Qvod longe ab ingenio meo eſt alieniſſimum: optoqve, ut tale qvamprimum conſeqvaris. Qvin et mihi gratulabor, tibi, ex diſciplina mea dimiſſo, hanc evenire fortunam, dummodo promiſſorum ſis memor, et rectius de me ſentias. Propterea, ut intelligas, nihil mutatum eſſe animum, curavi dedicationem, Titii, in qvo ſpem eius curandae collocaveras, plane oblitus. Bongarſius dominum ſuum repetet: ne putes, eſſe tuum donum. Manlius mendis ubiqve ſcatet, qvas vix toto anno repurgabo. Curavi ſcriptores Marchicos, ei aeqvales. Vnde a me illuſtrabitur. Vale. d. XXXI. Mart. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCCXXI.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

HElmſtadii nuper admodum Henricus Meibomius, Henrici, percelebris Hiſtorici, nepos, Georgio Gvilelmo, Duci Luneburgico, velut Gallorum

lorum triumphatori apud Moſellam, verſu gratulatus eſt. Eundem imitandum ſibi propoſuit Ioachimus Ioannes Maderus, recuſo Onuphrii Panvinii commentario de triumpho, qvo Duci ſuo laetum omen affert, eo praeſertim anno, qvo Academia Iulia ſecularem ſuum natalem ritu decenti, ſolenniqve celebrabit. Francofurti ad Viadrum Ioannes Chriſtophorus Becmannus hero ſuo, ad Sedini obſidionem profecturo, meditatur aliqvid pari inſtituto, ac molitur in animo commentationem de oppido, atqve Academia Viadrina. In Petri Schumacheri arculis Hafniae repertus eſt numus, qvi et nomen eius, et regni inſignia tenuit: qvod eo factum qvidam ſuſpicantur, ut haec teſſera Regis cum progenie peſſundandi eſſet. Verum, qvia aliter res cecidit, qvam deſtinavit Schumacherus, rex alium numum curavit cudendum, *cuius altera parte cernitur noctua, infauſta avis, ac proditionis imago credita, cum chartis luſoriis:* altera parte admiſſus error deſignat perditam fortunam, et verba haec *verſehen iſt verſpielet.* Ipſe eum, Berolino miſſum, vidi, et legi, hac forma. Sane qvam profuit legati Brandenburgici, qvi commodum Regi Daniae tunc affuit, conſilium, ut ſuſpectus ſceleris Greifenfeldius daretur in cuſtodiam, fuga elapſurus, ſi reſciviſſet, aliqvid rerum ſuarum emanaſſe in vulgus. Apud Rhenum habebit, qvod agat, Rochefortius: aliqvot velitationes proxime iterum feliciter noſtris ciciderunt. Lotharingus, magna auſurus, in procinctu ſtat, inſtat,

urget:

urget: caſtella *epiſcopatus* Leodienſis, et pleraqve alia, Gallis diffiſus, et militum indigus, iam dum ſolo aeqvavit. Idem inſidias in caput Brandenburgici comparavit, qvod induxit Principem, ut religione conſcientiae, iurisqve iurandi ſibi obligaverit viros a curatione annonae, atqve cellae penuariae, ſubmonitus, ut provideat ſibi. Gallorum Regi hoc ſtatu expedit mori, et lapſae fortunae, rebusqve miſeris, praevertere, aut accipere ingloriae pacis conditiones. Interim te DEVS ſalvum, incolumemqve ſervet, atqve illuſtriſſimam familiam contra qvosvis caſus, morbos, et ſeculi mala efficaciſſime tueatur. d. VII. April. cIↃ IↃC LXXVI.

CCCXXII.

TOBIAE PEVCERO.

M. Bremſius, vitae, morumqve praefectus duorum nobilium ex Norvegia, Viennam inviſet, ac perluſtrabit, qvibus mea cauſa auctor, adiutorqve eris fidelis conſilii, et, ubi commodiſſime vivant, ſubmonebis. Ego, qva poſſum occaſione, id demerebor, et navabo operam, cuius te minime pigeat. Edidi pleraqve, qvae ad te curabit frater. In Dania Greifenfeldius nuper admodum Seiani fortunam eſt expertus. Brandenburgicus ex podagra vehementiori convaluit, in Svedos iterum ducturus, qvem imitantur Luneburgici. Ita iam actum eſt de Svedis. Cum Gallis brevi eadem ludetur fabula, et diſcet Ludovicus malo ſuo, Leopoldum, per ſe miti inge-

nio Caeſarem, eſſe tunc Leonem, dum pugnatu contra hoſtes. d. VII. Apr. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCCXXIII.

IO. FRIDER. VOLHARDO.

ITane mutas amorem, animum, fidem? Incer tum habeo, qvid ſit, qvod ne qvidem reſcri bere volueris. Magis miror, abs te qvaedam eſ mutilata, qvae plena, integraqve tibi tradita fue runt. Ego igitur graves ſane cauſas habeo, cu in te officium deſiderem. In primis peto, ut co dicem Donationum piarum Miraei afferendum cu res: item chronicon Anhaltinum Brotuffii, ali qve iuſſu meo ad te perſcripta. Ita explorabo qvale ſit amicitiae pignus, qvod diſcedentes mu tuo dedimus, et ego, qvantum in me eſt, omni ſtu dio ſervabo. d. IX. April. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCCXXIV.

EIDEM.

MVltum amori meo tribuiſti, qvod comme tarios rerum Anhaltinarum mihi dono d diſti. Eos ſervabo in poſterum, et nomini, m moriaeqve tuae conſecrabo. Pauſaniam, Micha lem Epheſium, Nicetam, Zonaram, atqve Scr ptores Freheri, abs te expecto, qvibus aeg careo. XII. numos unciales, qvos mihi deb M. Ludev. meo nomine iuxta formulam exige. Dilichium mihi comparabis, permagnum ſane o ficium es navaturus. Xylander de Synchroni mis aurem tibi vellit. Interim de me ſtatua

nu

nullam mihi occaſionem ereptum iri, qva tibi, et ſtudiis tuis inſervire poſſim. d. XI. April. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCCXXV.
HENRICO, L. B. A FRISEN.

Apud Rhenum, Moſellamqve valde turbatae ſunt inſtituti Gallici rationes: verſus Philippiburgum omnes aditus, Luxemburgio, ac Rochefortio intercluſi, omnium paene animos ſuſpenſos reddunt. Princeps Condaeus, factam ſibi a Rege contumeliam, exiſtimat: nec ſimplex offenſae cauſa, et Regi ſane nunc pernicioſa. Hiſpaniam erexit felix claſſis Indicae adventus. Rex Angliae, alienior a Batavis una, atqve altera ex cauſa, non meliori utetur fortuna, ac Svedi, ſi ex conciliatore hoſtis fiat. In Daniae Regno odia intra neceſſitudines haerent: eo profectus Dux Hannoveranus, *qvem falſus rumor diu mortuum tulit*, ut ſororem, qvae illum in partes Foederatorum inflexit, inviſat, ac tueatur. Nam et in matrem ſuam iniqvo eſt animo Chriſtianus V. et omnia ſic agit, et moderatur, ut propriam Chriſtianis Danicis uſitatam ſeveritatem praeferat. Brandenburgicus et magna, et multa tormenta convehenda curat, minatus, urbem in cinerem redacturum, niſi ſe dedat. Stadae res erunt miſerae, et ſine dubio veterem dominum mutabit. Ceterum pro te DEVS excubet, et illuſtriſſimum heredem tuum tibi, et reipublicae ſervet. d. XIV. April. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCCXXVI.
N. HEINIO.

PRaeclaram mihi collocaſti operam, et opuſcula multo gratiſſima collegiſti, praeſertim Georgii Calixti, viri de antiqvitate meritiſſimi, et, ſi Dorſchaeum excipias, nemini in eo ſtudio poſtferendi; qvin etiam hoc maioris, ſi ad laudem Theologi adiungas, qvae oratori elegantiam, decusqve ſcripturae afferunt: qvam artem accepit a Ioanne Caſelio, ſummo viro, et tali, ut Melanchthonem noſtrum unus iſte et imitari, et aeqvare poſſit: cuius libellos te legere nunqvam pigeat, aut poeniteat. d. XVII. Apr. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCCXXVII.
M. IOANNI SCHEDIO,
Starizensi Sacerdoti.

CVrſim perlegi, qvae ad me perferri curaſti. Non eqvidem refragor inſtituto; ſed collaudo operam, ſtudiumqve tuum, niſi qvod monitum te velim, literas Graecas interdum perperam eſſe ſcriptas, et pleraqve loca non reſpondere ſuis ſcriptoribus. Alioqvi non dubito, te legiſſe Ioannis Meurſii Solonem, praeclarum opus, qvod materia uberioris notitiae eſſe poſſit. Ad qvam eruditionis partem Cragius, Emmiusqve conferunt plurimum, et delectant magnopere, credoqve, hos lectos pariter, atqve expenſos abs te eſſe. Ita valere te iubeo, et retinere animum, ad

or-

ornandas literas propenſum. d. XXI. Apr. clɔ Iɔc LXXVI.

CCCXXIIX.

IOANNI IACOBI

DVdum perſpectum habes, me tibi fidelis conſilii auctorem eſſe, et magnopere cupere, ut virtus, diligentiaqve tua praemio ornentur. Offero me ultro, ac ſcio, magnificum Patronum noſtrum nihil tale, in qvo honos tuus vertit, eſſe diſſvaſurum, praeſertim me ordinis praeſide, qvem alioqvi in clientum numero vir ſummus habet. Tempora vix meliora, aut tranqvilliora experieris, atqve haec, qvibus nunc colimus vitam, resqve noſtras ſuſtentamus. Maiora, ac difficiliora reſtant, qvae proſpiciunt prudentes, et pii omnes deprecantur. d. XXV. Apr. clɔ Iɔc LXXVI.

CCCXXIX.

IO. CHRISTOPH. FVGMANNO.

QVam laetor proſpero tuarum rerum ſtatu, tam doleo, ſiniſtrum aliqvid de ordine noſtro te ſuſpicari. Nemo, qvem qvidem ego ſciam, a te eſt abalienatus, niſi qvod pleriqve ea in ſententia fuerunt, te non eſſe rediturum; alii affirmarunt, te abiturum, multos ex ordine inſalutatos reliqviſſe, forte, qvod novo munere auctus, de ſtatione tua deceſſiſſe videreris. Me, fateor, alloqutus es, ad me ſcripſiſti; neqve hoc inficior: ſed unus ego ſententiam aliorum convellere non ſum auſus. Neqve ita tamen ſpe tua cecidiſti, et

redux explorabis animos, menteſqve omnium, ad honorem tuum converſas. Ipſe ego, qvoad poſſum, pro te nitar, et faciam, ut intelligas, me tuae dignitatis longe eſſe cupidiſſimum. Vnum te rogo, ut operam tuam conferas ad virum, qvem mihi commendaſti egregium, ordini candidatorum adſcribendum. Daſſovius et Prof. extra ordinem eſt factus, et in Senatum ſapientiae, me eius praeſide, cooptatus. De expeditione Brandenburgica omnes bene ſperamus. Caeſareanis aliqvot cum Gallis velitationes iam ex ſententia ceſſerunt: ut appareat, Carolum iuniorem Lotharingum magna eſſe auſurum, ſuo, et publico rei bene gerendae auctoramento. Danica claſſis in auxilia Batava, et praetorem inde accitum, Trompium erigitur, ſubmoto ex aula Petro Schumachero, qvi deſiit eſſe Greifenfeldius, poſtqvam ſecundam fortunam ferre non potuit. d. XXVII. April. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCCXXX.
M. N. HEINIO.
Sacerd. Magdebvrg.

AVſpicato, et feliciter creavi te, et renunciavi doctorem ſapientiae, qvem Magiſtrum vocant, in conventu civium freqventiſſimo, et conſpectu illuſtrium hoſpitum, qvorum de tua virtute eſt opinio recta, et iudicium meritis conſentiens, et plane, ac omnino luculentum. Haud inficior, periucundam mihi futuram fuiſſe conſvetudi-

tudinem tuam, ſi venire huc, et ſalutare Patres per tuas tibi occupationes licuiſſet. Sed abſenti honorem habui, poculumqve libavi, more amicorum, qvi hoc amicis dare ſolent, et inter epulas abſentibus etiam applaudunt, ac bene precantur. Ego DEVM oro, ut novum decus tibi fortunet, proſpereqve evenire iubeat, ne non coetum ſacrum pietate, et doctrina ornes, multaqve ipſi commoda afferre pergas. Ita te DEVS ſalvum ſemper ac ſoſpitem praeſtet. d.XXX. Apr. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCCXXXI.

ADAMO CASPARI de ARZAT,

CONSIL. VRATISLAV.

NVnqvam auſus fuiſſem ad te ſcribere literas, niſi Godofredus Kuffender, eleganti, et modeſto ingenio iuvenis, hoc mihi negotium dediſſet, qvi, me auctore, ſummum in ſapientiae ſtudiis honorem recte, ac ſine repulſa obtinuit, non qvi inanis iactantiae, ſed verae, atqve ſolidae laudis incitamentum eſſet. Itaqve me rogavit Ordinis praeſidem, praemiisqve dandis praefectum, darem hoc petitioni ſuae, et, tibi commendarem. Vnum vero te, et crebro memorat, et grata mente collaudat benefactorem, qvi nullam iuvenis ornandi occaſionem praetermiſeris, omniaqve eius commoda, pro eo, ac fieri potuiſſet, curaveris. Qva in re cum illi gratulor, tum ego nomine ipſius te obteſtor, uti perſeveres in ea bene-

Digitized by Google

volentia, et ſubſidia, qvibus indiget, conſtitua
ut ad metam, qvam ſibi propoſuit, feliciter co
tendat. Qvo facies, ut ille tuus cliens perpetu
ego tanti beneficii praedicator ſim futurus. Qv
opto, ut uterqve noſtrum conſeqvatur, et n
modo tu; verum etiam tota Reſpublica Vra
lavienſis, tuis curis, atqve conſiliis, ſub Aug
ſtiſſimo Leopoldo floreat, atqve hunc fruct
capiat feliciter, ac retineat conſtanter. d. II. N
clↄ Iↄc LXXVI.

CCCXXXII.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

MVltis modis, et praecipue negotiis magiſt
tus Academici, qvem per ſemeſtre ſpati
geſſi, impeditus fui, qvo minus obſeqvii, qv
abſens literis ſcribendis teſtor, ſignificationem
darem. Nunc vero, iſta moleſtiarum mole libe
to, iucunda eſt priſtini inſtituti ratio, cum ut pi
mea, tum ut conſtantia tibi approbetur. In Ita
praeterqvam Sabaudia, qvae factionibus contur
tur adhuc, antiqvitatis ſtudium cum primis re
reſcit, ſiqvidem Barberinus, ſummo vir inge
et praecipuus inter eos homines, qvos galerus
nat, tria ſcriptorum veterum, qvi de Geograp
Graece commentati ſunt, volumina prelo excud
da curat, Holſtenii ex aſſe heres, et, dum taler
praeſtat, dignus eo viro heres, qvi illos ſane lu
lentos, et poſteritati profuturos codices colle
rat. Romae Nazarius evulgaturus Diarium
qvo literatorum vitae, meritaqve illuſtrabun

M

Multum vero illud a Veneto, qvod in lucem prodiit, eſt diverſum, et, ſi recte accepi, multa continet ſingularia, ac merito ſervanda. Ibidem Svareſius, editis in aram Septimii Severi annotationibus, inſigne eruditae curioſitatis, antiqvitatisqve ſelectae ſpecimen praebuit. Ceterum in Germania noſtra, praeſertim in vicinia, non, qvomodo literis, ſed, qvomodo ultioni conſulatur, conſilia habentur. Decimus Maii dies, ut ferunt, repetita Brandenburgici, qvi nec Svedorum audire nomen, nedum ferre poteſt, expeditione inſignietur. Stada brevi dedetur, ſi militarium appropinqvationes operum fiant. Puſendorfius qvi vehementi ſcripto confutavit rationes Brandenburgicas, nunc, velut extorris, et Caeſari ſumme inviſus, qvaeritur, qvi hoc operae Svedicae auctoramentum eſt conſecutus, ut in praeſentiſſimo periculo verſetur. Interim te, Domine, DEVS, resqve tuas fortunet, et patriam, cui regendae, ornandaeqve Princeps te impoſuit, conſiliis ſalutaribus tueatur. d. IV. Mai. clↄ Iↄc LXXVI.

CCCXXXIII.
LVDOV. CASIMIRO DIEZELIO,
Theol. Comit. Hohenl.

Filius tuus, Henricus Fridericus, praeſtanti ingenio iuvenis, et multis induſtriae exemplis mihi notus, ac percarus, inſigni honoris acceſſione eſt cumulatus meo qvidem hortatu, cum et bene illi cupiam, et optem, his ſtimulis incitatum, contendere ad eam metam, cuius conſeqvendae opti-

Digitized by Google

mam viam, rationemqve tenet. Itaqve com
non poſſe tibi diſplicere meum conſilium, c
cauſas intelligis eſſe honeſtiſſimas, et ſane ad fi
tuum ornandum pertinere. Abhorreo enim a
pi lucro, et ſolum qvaero, qvemadmodum c
modo, honoriqve civium Academiae ſtudeam
qve poenitet me operae, cuius, ut alii multi
et filius tuus inſignem fructum cepit. Nar
in literis, qvae humaniores dicuntur, egregie
fecit, et Philoſophiam, non levem illam, ſed ſer
et gravem, praeclare didicit, et monumenta
qvitatis, atqve libros optimos diligentiſſime e
vit, rationi obtemperans, cum alii rapiuntur
ctibus, et monitis tuis ſane obſeqvens filius, in
omnia recta, et modica reperio, qvae in pr
ac erudito iuvene reqviras. Vnum abs te p
uti conatum filii optimum approbes, et mihi,
noris ſuſcepti auctori, ne iraſcaris. Faciam, u
ſpei tuae, et filii laudi ex aſſe ſatisfiat, ſi, q
nunc eſt, talis in poſterum eſt futurus. It
DEVS ſervet, venerande vir, et patriam omn
belli moleſtiis liberet, ac laudi, conſtantiae
Francorum aeternum hoc decus rependat, q
eorum ope, virtuteqve externus Galli domin
a cervicibus Germanorum eſt depulſus. d.
Mai. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCCXXXIV.
IOACHIMO FELLERO,

DOleo tuam vidui vicem, et revera illacry
orbitati tuae hoc magis, qvod ſcio, unu
te

terris delicium tibi eſſe ereptum. Nam et ſociam amiſiſti, qva meliorem eligere non poteras, et feliciorem non optabas. Grave id, fateor, eſt vulnus, qvod accepiſti, cuius ſanandi ratio difficilis eſt, et permoleſta. Omnia leviter feramus, ſi ex longinqvo inceſſunt nos, atqve tangunt: ſed ſi pars viſcerum, ſi conſors vitae, laborumqve eripitur, tunc demum mala noſtra noſcere incipimus, tum certe indignamur, ac nobis ipſis diſplicemus. Qvod etſi ego experiendo non didici, ſentio tamen, aliena miſeria affectus, et ſaepe ſcire cogito, qvale ſit, qvod pati cogeris. Itaqve medicinam pete a Philoſophia, qvae ipſum hoc doctrinae genus, qvod profitemur, meditatione mortis comprehendit. Nata eſt uxor tua mortalis, et aſſecuta ſempiterni aevi gloriam: non te deſeruit; ſed praeivit: qvam lacrymis, et perpetuo qveſtu proſeqvi, non viri ſit, nedum poetae, qvem nullus caſus deiiciet, aut expugnabit. Qvapropter ſume animum, et collige vires. Sufficit meminiſſe virtutis, qvam plorando non recuperabis. d. IIX. Maii. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCCXXXV.

N. N.

Literae tuae magnopere me oblectant, cum, qvia ſalvum te, atqve incolumem mihi nunciant; tum, qvia una ingenii tui inſigne qvoddam monumentum attulerunt. In primis autem tibi de tali filio gratulor, cuius ingenium, amoenitatibus poeticis praeparatum, ſpem mihi non facit modo egre-

egregiam; ſed etiam confirmat; Maronianae imi
tatione gravitatis. Cui qvantum inſervire hic po
tero, tantum vel tua ſolius cauſa debebo. D
victu ac habitatione opportuna providebo, itaqv
inſtruam, ut ſentiat, tuam auctoritatem apud m
valere plurimum, et non tam verbis, qvam rebu
experiatur ſtudium meum, atqve fidem. Acade
mia noſtra, pacata adhuc republica noſtra, flore
vicinia autem bello diſtrahitur, atqve exhauritu
Brandenburgicus d. XXIIX. Mai. auxilio Danic
Svedos denuo infeſtabit armis, et videbit, ut tot
citeriori Pomerania eiiciat, qvo procul habeat, qvo
antehac amicos dubios, poſtea hoſtes habuit. Nem
pe huius gentis arcanum nunc vulgatum eſt, poſſ
ab uno Germaniae Principe profligari. Stada bre
vi dedetur Luneburgicis, ut ſic demum intelligan
qvantum pondus ſit apud Germanos, praeſerti
ſi conſentiant contra externos hoſtes. Danus, ſub
moto ex aula Petro Greifenfeldio, conſilia iteru
firmat auſpicatis initiis, antiqvos fines, praecipu
Scaniam, recuperaturus. Sed ego Regis improvi
dae ingemiſco adoleſcentiae, et praecipitia Reg
Ordinum conſilia quae ad Muciani Romani pru
dentiam exigendae fuerant non probo, ac vehe
menter miror. Vna ſpes in pace ſupereſt; ſed pri
us, qvam ea componatur, forte omnium reru
ſuarum iacturam in Germania Svedi facient, diff
cili Brandenburgico, et occaſione ſua uſuro. Pr
mum, opinor, impetum ſuſtinebit, ſiqvidem poſſ
ſuſtinere. d. IIX. Mai. clɔ Iɔc LXXVI.

CCCXXXV

CCCXXXVI.
HENRICO, L. B. A FRISEN.

ILluſtriſſima coniux tua heri et venit Vitembergam et abiit, vix duabus commorata horis, qvas, optaſſem, ei non fuiſſe inſvaves, atqve iniucundas. Cuius inſtituti qvas cauſas habuerit, ipſa praeſens, et graviter expoſuit, ac fidem cuiusqve, et curam aeſtimavit. Ego ſane et ſtudui antehac, et in poſterum ſtudebo tibi, atqve illuſtriſſimo filio pietatis, diligentiaeqve meae rationes probare. Neqve defui officio meo, et omnes vires meas ad ornandam eius dignitatem impendi. Non enim ignoro, unum illum Henricum tuum et patriae ſuae ſpem, et familiae tuae eſſe munimentum, qvem opto incedere per veſtigia tua, atqve avi ſanctiſſima; eiusqve ſummi, acerrimiqve ingenii, qvod aetas firmat, ipſe ego teſtis eſſe poſſum. Noſtrum hoc umbratile vitae genus non contempſit, nec longius eſſe ſibi optavit. Salutantium honori, ex veteri Germanorum conſvetudine, aliqvid indulſit, et animi cauſa deambulavit, non prius tamen, qvam privati ſtudii partes impleviſſet. Qva ex cauſa ſaepe dixit, cupere ſe verſari inter externos, et procul eſſe loco, ubi freqventius viſeretur. Qvod ſi ei tribuas, ac permittas, Domine, affirmavit, exiguo tempore curriculum gloriae, qvod reſtat, confecturum eſſe. Tantum ei, peregrinaturo, tali viro opus eſt, qvi non modo Doctoris, ſed etiam aſſidui comitis, rectorisqve munere fungatur. Nam, ut ſe dant occaſiones: ita

ita ſaepe moventur animi, ac mutantur, niſi prae ſenti monitore confirmentur. Qvod ut tibi, a principi illuſtris iuventutis filio tuo fauſtum, at qve proſperum eveniat, dum vivam, votis, pre cibusqve a DEO immortali contendam. d. XI Mai. clↃ IↃc LXXVI.

CCCXXXVII.

EIDEM.

POſtqvam inſula Gothilandiae expugnata ren Svedicam inclinavit, Brandenburgicus cepi animum invadendae citerioris Pomeraniae, cuiu omne praeſidium eſt in Rugia, commeatibus ple na, et ſitu, viriſqve valida ad reſiſtendum Danis ſi forte in eam cum claſſe invehi, atqve excenſio nem facere conabuntur. Koenigsmarckius omni litora viris, opere, atqve vigiliis egregie, forti terqve communivit, ea animalia imitatus, qvorum ut ille ait, morientium morſus ſunt acerrimi, u prius perdat hoſtes, qvam pereat. Rumor hu perlatus eſt, arcem Volgaſtenſem, loco, atqv munitionibus firmam, et, qva in mare proſpicit itineri navali aptam, atqve operiendis Sedini fini bus opportuniſſimam, ab eo eſſe recuperatan contra, qvam memorant Berolinenſium literae Alarti tribuni, qvi tuendae arci impoſitus eſt, fi dem, conſtantiamqve praedicantes. Sed, qvan tacunqve etiam Koenigsmarckii virtus ſit, tamen erit tempus, qvo aeqve, ac Vrangelius, defen dendae Pomeraniae ſpem abiiciet, et reqviem i regno transmarino qvaeret. Nam, arce Visbyenſi

qv.

Digitized by Google

qva nulla in Gothorum annalibus celebrior eſt, intercepta, Svedi, alioqvi diſcordia ab ſe diſſidentes, aditu commodiori intercluduntur: resqve iam eo deducta eſt, ut Danica claſſis inter Scaniam, atqve Rugiam libere commeare, et omnes opportunitates hoſtibus praeripere poſſit. Rugia hucusqve Svedorum horreum fuit, qvae ſimul ac occupata fuerit, omnes viae inſideri poterunt, qvibus hinc annona in Pomeraniam invehitur. De Lotharingo, Caeſarearum copiarum ſummo praefecto, magna ſpes eſt, auctore DEO, iuſtaqve cauſa fretum, magnas, atqve memorabiles res eſſe confecturum. Initium expeditionis Hagenoae obſidio futurum creditur, inde viam ad Lotharingos, gentem ſuam, et ingenio, ſtudiisqve ſibi obnoxiam, facturus, ut tandem in viſceribus ſentiat belli vim Gallus, et conditionibus multo aeqvioribus cum ipſo, Germanisqve tranſigat. In Belgio Hiſpanico non irae modo indulſit ſuae; ſed etiam ferocivit, impetu, ut ſolet, pro virtute uſus: caſtra Conde, et Bouchain Hiſpanis eripuit: poſt, qvaſi victor, in Galliam regreſſus, ludibrium cordatis debere voluit, Belgis, qvos inter Vahalim, Moſamqve foede vexandos, diripiendosqve curavit, miſeriae imaginem relinqvere. Ei in mari Siculo Reuterus, praetor navalis Batavus, vicem reddidit, multasqve eius naves ſubmerſit, ac delevit: ceteras profligavit, ac Hiſpanis animos fecit, erecto in aemulationem laudis Trompio, et Svedis toto Mari omne ſuum, foederatiqve regis robur obiecturo. Interim, Domine,

mine, DEVS omnia tibi, et tuis conſiliis fa
ſta; et illuſtriſſimae tuae genti fortunata, atc
honorifica impertiatur. d. XIX. Mai. cIↄ I
LXXVI.

CCCXXXIIX.

N. N.

CVm nuper hac tranſiret illuſtris Seckendorf
us, literas mihi reddidit, qvi eſt ipſi a ſecre
qvas cum viderem a te ſcriptas, multis modis ſu
laetatus, cum, qvod ſalvum te, atqve incolume
tum, qvod aulae gratia adhuc florentem nunc
rent. Ego in fortuna mea, ſaltem mediocri, a
qvieſco, niſi qvod hoc iniqvo fato ex hiſto
diſputandi omnis paene aditus mihi eſt intercluſ
more, inſtitutoqve noſtri Ordinis, qvod credo
habere exploratum. Omnia hic tranqvilla ſu
civium numerus modicus: facultates plurimoru
non magnae. Vicinia bello conturbatur, qv
Suedis auctoribus, qvi regni arcanum vulgaru
apud Verbellinum ab uno Germaniae Principe v
cti, et non pro hoſtibus, ſed praedonibus habi
cum numus ad conſervandam eius victoriae m
moriam cuderetur. Vnum iis in Rugia praeſid
um ſupereſt, unde annona in Pomeraniam pla
exhauſtam infertur. Gothilandia, qvae aditu
Suediae aperit, erepta eſt: reliqva in extremo d
ſcrimine verſantur. Ita ſero, et ſuo malo, exp
riuntur Auſtriorum conſiliorum pondus, et p
tentiae magnitudinem, qvam antehac prope irr
debant, Gallico foedere ſubnixi. Leopoldus, ſu
vir

viribus, et Foederatorum ope; conſiliisqve rectiſſimis fultus, auget qvotidie, atqve amplificat res ſuas. Galli praecipitans aeſtus brevi deferveſcet, et cogetur in antiqvos fines, ſi Dux Auſtraſiae feliciter pugnabit, Vale, fautor honoratiſſime, et Illuſtri Seckendorffio, ad ornandam patriam nato, me plurimum commenda. d. XXIII. Mai. cIↃ IↃcLXXVI.

CCCXXXIX.
ALTERIVS NOMINE,
Ad N N.

NVnqvam deſiderio meo, neqve expectationi Germaniae ſatisfacies, Conſangvinee chariſſime, et vitam tibi inſuavem reddes, atqve iniucundam, niſi qvamprimum efficias, ut bellum, qvod patriam diu afflixit, nunc tandem, ductu tuo, in Galliam transferas, Scipionem imitans, qvi, Annibalem, Italiae infeſtum, non aliter profligari poſſe, cenſuit, et hanc utilem Reipublicae inivit viam, Italiamqve hoſte liberavit. Qvod cum et ſalutaris ratio, et felix eventus comprobaverit, non eſt, cur dubitandum putes, eandem tibi agendam eſſe cauſam, in qva mea et Imperii dignitas vertit. Idcirco te hortor, atqve iubeo, ut ab eo propoſito ne deduci te patiaris, qvin hoc velis magnopere, atqve hoc elabores, ut inclinatis imperii rebus intempore conſulas, et omnem belli trahendi ſuſpicionem, invidiamqve a me pariter, atqve a te amoveas. d. XXVII. Mai. cIↃ IↃc LXXVI.

CCCXL.
VINCENTIO GARMERS,
IC. HAMB.

POſtqvam filius tuus, uſu vitae, ſtudiorumqv
nobis coniunctiſſimus, in hanc Academian
commigravit, valde laetum id mihi accidit, ut qv
cupiam, eum amplificare paternam laudem, e
ad verum decus, remqve publicam capeſſendam
non leviter, qvod multi ſolent, ſed pleno grad
contendere, atqve huc eniti, ut tuam ſpem ho-
neſtis laboribus aeqvare poſſit. Ego, qvoad pos
ſum, et proſpicio, et conſulo ipſius rationibus, li
bris, et, qvibuscunqve poſſum, ſtudiis, operam
officiumqve libens praeſto: hortor demum, a
moneo, ut per tua veſtigia incedat, et inceptur
laudis curſum perficiat recte, atqve abſolvat. Ne
qve fallit hanc meam ſpem, et cum in ſtylo, h
ſtoriaqve, non ineptiente illa, et vana; ſed civi
ac vera, proficit indies, et, qvicqvid usqvam e
gregium reperit, obſervat, diſcernit, et confe
Populorum inſtituta, et leges, rerum publicaru
converſiones, incrementa atqve inclinationes, fa
imperiorum, et vices, aſſidue cognoſcit, et no
tantum in commentarios refert; ſed etiam in ar
mum demittit. Polybium, qvi unus hiſtoriae ſcr
bendae rationes tenuit, legit diligenter, et ia
non dubitat, ſolum Thuanum fuiſſe, qvi eius vi
iudicii inter recentes exprimere potuerit, et gr
vitate rerum, atqve maieſtate aeqvaverit. N
tame

tamen omittit Thucydidem, Tacitum, aliosqve: ſed in Hugone Grotio qvoqve Belgii Tacitum miratur, et in eius de iure belli, et pacis libris perpetuum exercendae induſtriae campum invenit. Reliqva mihi non ſumo, qvae ad ſcholas iuris pertinent, et nunc doleo, Svedos vulgaſſe regni ſui arcanum, et, ab uno Germaniae Principe victos, nihil poſſe ſine Germanis. Intempeſtive invaſerunt Germaniam, cum armata eſſet: iniuſte, cum partibus conciliandi fungerentur: imprudenter, qvia armis, virisqve, tanto negotio ſuffecturis, deſtituebantur, nunc ab omnibus deſtituti, poſtqvam, irato Numine, et Catones, et Scipiones ſuos amiſerunt. Ex Saxonia nihil eſt, qvod ſperent: Anglus errore alieno cautior erit: Polonia vix ipſa ſibi ſufficit, nedum ut pro Svedis arma experiatur, reſpublica alioqvin a bellis inferendis alienior, et nunc ſatis habitura, ſi bello Turcico, qvod Auſtriaca prudentia concitavit, ſe explicare poſſit. Gallus nunqvam antea magis, qvam nunc, ſibi timet, verens, ne, ductu Caroli, bellum in viſcera ſua transferatur: qvod niſi fiat, irridebit Gallorum poſteritas Germanos, bella inutiliter, et in ſuo tantum ſolo gerentes. Bavarus ipſe et conſilia, et animum commutavit, Auſtriae nunc addictior, et, ſi neceſſitas ferat, caſtra coniuncturus. Nulla, niſi in DEO, et pace ſpes eſt, optoqve ego, ut prolapſum culpa ſua regnum ex his moleſtiis qvamprimum expediatur, ac in priſtinum ſtatum, qvod tamen vix, ac ne vix qvidem futurum eſt, reſtituatur. In extremo epiſtolae

Aa 2 DEVM

DEVM oro, qvaeſoqve, ut te, nobiliſſimamq familiam tuam ſervet, ac contra ſeculi mala, i vidiam, atqve omnes calamitates defendat, han qve tuis, ſane illuſtribus, meritis gratiam repe dat, qvo intelligat poſteritas, Hamburgenſem re publicam tuis conſiliis ſervatam, auctamqve eſ d. XXIIX. Mai. clɔ Iɔc LXXVI.

CCCXLI.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

TAedet me, pigetqve temporis, qvo fruc literarum, qvas perpetua pietate ad te ſc bere ſoleo, mihi ereptus eſt. Qva ex cauſa d lorem capio, vehementerqve angor, niſi qvod clementia animum mihi facit, ac iuſtam ſolicit dinem levat. In Dania magna accidit perturb tio, poſtqvam Greifenfeldius, cui recuperatae D norum gloriae laudem poſteritas adſcriptura era in cuſtodiam datus eſt, propterea qvod conſi Regis hoſtibus enunciavit, ac eidem domi in diam, foris exitium paravit. Qvod conſiliu multo perditiſſimum inſtruxit Kielmanſeggius unus omnium Cimbrorum verſutiſſimus, qvi, oſtentato proditionis praemio, novum hominem nullis imaginibus decorum, a Regis ſui fide, peſ mis certe artibus, avertit, atqve huc fortunae d duxit, in exitiumqve coniecit. Is, ut accep oenopolae, haud tenuis fortunae, filius, literis tradidit, externosqve adiit, et Gallos, Italosq inviſit. Redux laudem ingenii uno, atqve alte ſpecimine ſibi comparavit, ac a Rege Friderico I

ha

hanc inivit gratiam, ut curandae bibliothecae praeficeretur. Qvas partes recte obiit, et Fridericum, pronum alioqvin in literatos Regem, valde ſibi devinxit; apud Chriſtianum vero, eius filium, immodice crevit, ut tandem non caperet fortunam, qvam aeterno cum dedecore corrupit. Bavarica Tanaqvil, infelicis conſilii femina, Henrietta Adelheidis, plane eius aulae faciem obitu ſuo immutavit, etſi Galli non dubitant ſuam ibi cauſam agere, qvam tamen nullo in hunc usqve diem ſucceſſu agunt, ut in capita eorum recidat, qvod in alios machinati ſunt. Trompio, Reuteri aemulo, belli navalis Danici praefectura eſt commiſſa, magna auſuro, et talia, unde pendet maior ſpes Foederatorum Principum, qvos inter Luneburgici, conventu Brookdorfiano, Stadae obſidionem certo decreverunt. Brandenburgicus valde laboravit ex podagra, qvam indignatio in Svedos ſumma excitavit. Nam et irae immodicus, et verborum, ad ultionem pertinentium nimius eſt, cum vel audit Svedos nominari, vel cogitat de Schumacheri, qvi deſiit eſſe Greifenfeldius, factione. Interim te DEVS ſervet, Domine, et moderati fideliſqve conſilii ſempiternum fructum capere Saxones iubeat. d. XXVI. Mai. cIↄIↄcLXXVI.

CCCXLII.

EIDEM.

AVguſtus Caeſar, qvi non magis utilitati ſuae, qvam aeternitati Imperii conſulit, nuper foederibus, nunc novis neceſſitudinibus domum

ſuam firmat, qvae ne orba relinqvatur, omnib
precibus a DEO contendere Germani debe
Hoc imperante ea laus Germanis parta, qv
nunqvam putaverant externi hoſtes, qvi nun
velut amiſſo aculeo, minus in poſterum erunt fo
midoloſi, digni, in qvos falſiſſime diceret, ac ſc
beret Alexander Iulius Torqvatus, acri vir ing
nio, et ſatyris faciendis famam adeptus. Neſc
aevi noſtri, an imperii, maior felicitas eſſe poſ
Vtrumqve enim literis pariter, ac belli artibus
luſtratur: utrumqve ſumptu, ac benignitate Le
poldi fovetur. Is tandem exemplo doceat p
ſteros, omnes Caeſares fortunatos fore, qvi Ge
maniae concordi imperaverint. Nulla enim e
peditior eſt exteris reſiſtendi via: nulla tutior r
tinendae tranqvillitatis. Carolus Dux, de q
tota Germania bene ſperat, Scipionem imitabit
et, perfractis Alſatiae clauſtris, hoſtem, tot m
nimentis defenſum, in viſceribus ſuis qvaeret, n
tamen mons Breſacus, priſcis Germanis, aeqve
Cteſiphon Romanis, creditus fatalis limes, pr
greſſuros arceat: qvae una eius regis cura e
poſtqvam amicis, ſociisqve omnibus deſtituit
Hiſpani, per Picardiam ingreſſi, multam praeda
retulerunt, vicos, pagosqve igni foedarunt.
Suedia omnium rerum eſt converſio: in cu
Ordines: in pago lemures tumultuantur. Ko
nigsmarckius huc usqve erigit orientales Pom
ranos, non cauſa, ſed fortuna, qvae duobus a
hinc annis apud Seneffium apparuit, ad res aud
cius gerendas ſublatus. Brandenburgicus n

ſu

ſuis, ſed Foederatorum viribus, Caeſarisqve auctoritate fretus, ob infelices aliqvot ſuorum velitationes, veluti macie extabuit, diſſimilis ſibi, et ſolicitudinibus confectus. Inſtituti tamen, conſiliiqve rationem eandem tenet, ut, eiectis Suedis, tandem neceſſitate perpetui militis alendi liberetur. Svingae amni impoſitum propugnaculum deditum eſt Luneburgicis: Stadae non melior fortuna erit. Eſt ibi volumen ſcriptorum Germanicorum, nondum editorum, qvos haud dubie fiſco inferet Caeſar, et Vindobonenſi bibliothecae attribuet: qvam fortunam revera invideo, et opto, apud Saxones manere. Sed non aliter cum eo, ac nuper cum bibliotheca, Bremae aſſervata, agetur, qvam repetiit Haubaeus, unde Flacium, dum Centurias ſcriberet, plurima deſumpſiſſe, ſcio. Tibi, Domine, felices annos, ſalutares curas, familiae perpetua incrementa, et in filio illuſtriſſimo munimentum eſſe, opto. d. II. Iun. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCCXLIII.

HENRICO ENGENHAGIO,

Theol. Lvbec.

Fīlius tuus, cuius in me propenſa voluntas, et magnus ſtudiorum amor eſt, propter arctiorem vitae, doctrinaeqve conſvetudinem huc me adduxit, atqve excitavit, ut de moribus eius, atqve inſtituti rationibus ad te referrem. Etſi autem hoc aevum fere licentia corruptum eſt: tamen ita ſe gerit, atqve honeſte moderatur, ut ne-

neqve vivat liberius, neqve levibus ſodalitatibu
indulgeat, infra ſe exiſtimans, ſi tale qvid ab ali
admittitur, qvos cum ſapientes nullo loco nume
rant, tum ipſe vivat prudenter, et cavet. I
ſcholis iuris aſſiduus eſt, et toto die occupatu
brevi daturus ſpecimen, ſi tuo aſſenſu, ſuffragic
qve comprobetur. Nec alienas a ſe exiſtimat li
teras, a qvibus omnis ratio honeſtae laudis profi
ciſcitur: excolit eloqventiam: res, actaqve tem
porum, conſilia, eventusqve in hiſtoria conten
platur, non eo modo, qvo multi ſolent; ſed qva
tenus rempublicam capeſſere volenti, et initia
cauſasqve civilium actionum rimanti, expedi
Ego, poſtqvam ab Hinckelmanno mihi commen
datum ſenſi, ſtatim omnibus modis ornandum pu
tavi, neqve etiamnum deſino, et pro viribus iuv
inſtruoqve. Libri, muſeum, aditus ad me libe
patet: operam, qvam a me petit, non recuſo, u
intelligas, optare me, et magnopere eniti, ut cu
ille filius tuus eius honeſtae diligentiae fructu
capiat, tum vero ſenium tuum optatiſſimo ho
praeſidio nitatur. Ita te DEVS, inclytamqve ren
publicam veſtram, et ſacrorum ordinem, qve
multis ornaſti meritis, volens, propitius ſerve
d. VI. Iun. clɔ Iɔc LXXVI.

CCCXLIV.
CHRISTIANO DAVMIO.

VOeglerus, integris moribus, perpolitoqve in
genio iuvenis, in patriam abiturus, hanc mil
a

ad te reſcribendi occaſionem dedit. Eius honori faveo, eo magis, qvia abs te miſſus eſt, vita, animoqve talis, ut nullum boni civis officium neglexerit, ac diſciplinae Daumianae, qva rectior optari non poteſt, rationem ex aſſe tenuerit. Itaqve in poſterum orna, et reducem patrocinio tuere, propterea qvod praeſidiis indiget, qvibus per iniqvitatem horum temporum caret. Ego publice in Moſellam Auſonii commentor, in qvem ſi, praeter Vineti, Scaligeri, Freheriqve notas, ſelectum aliqvid habeas, qvaeſo te, uti eius mihi copiam facias. Cupio etiam videre, qvae Kirchmaiero, collegae meo, commodo dediſti ex Barthianis ſchedis, ad Victoris epitomen illuſtrandam comparata. Maxime autem deſidero ſcriptores belli ſacri, qvos audio in tua eſſe manu, et gaudeo. Qvos ſi ad paucos menſes communicares mecum, et ſtudium, benevolentiamqve declarares, maximo beneficio me obligares, celeberrime vir. Bona fide, ſi accepero, reſtituentur. Vale. Feſtinantiſſime. d. VII. Iun. cIɔ Iɔc LXXVI.

CCCXLV.
HENRICO, L. B. A FRISEN.

PRoximus ſupplicationum dies inſtituti mei rationes turbavit, propterea qvod auriga non ea, qvam mihi condixerat, hora abiit, non ut falleret, ſed ut opportunitate exeundi, qvae, clauſis portis, interdum deeſt, uteretur. Qvod pro benignitate tua, qvi clientis animum bene cogni-

tum habeas, interpretaberis. Ego Ludovico, fu
neſtiſſimi, qvod geritur, belli auctori, idem, qvo
olim Guicciardinus Sfortiae, ominor, paratis
ultionem Germanis, atqve iterum, edita Galloru
ſtrage, famam, ductu Caroli Lotharingi, adept
Svedorum qvidem partibus fortuna affuit, cu
mare Balthicum emenſi, ad vias, aditusqve All
pervenirent: ſed, qvia milite, cuſtodiisqve omn
clauſa, firmataqve itinera fuerant, fruſtra con
lium fuit, eo magis, qvod Svingae propugnaculu
haud parvum rebus Germanicis momentum, q
adventus hoſtis opportuniſſime arceri poteſt, ia
tum Luneburgicis deditum cognoverunt. Sa
divinum aliqvid eſt in nominibus, et natalibus m
gnorum Principum, et experiendo didici, men
eos Caeſareis fauſtos, fortunatosqve fuiſſe, q
Caeſarum auſpiciis, nativitateqve illuſtrarentu
Atqvi hic dies, qvo ad te ſcribo, Domine, Aug
ſto noſtro ſacer eſt, et omnia laeta proſperaq
pollicetur, et ſpem poſteris, atqve Familiae m
nimentum. Qvod ut uſu veniat Auſtriae, Germ
niaeqve, foedere, concordiaqve ſociatis, et S
xoniae, tuisqve rectiſſimis conſiliis, multa, et m
gna commoda, incrementaqve afferat, et ill
ſtriſſimum Henricum tuum, per veſtigia tua i
cedentem, confirmet augeatqve, tota ment
animoqve Deum, illuſtrium familiarum Statore
obteſtor. d. IX. Iun. CIↃ IↃC LXXVI.

CCCXL

CCCXLVI.

GEORGIO HENRICO A LVCKOVENN,

CONSIL. VINDOBON.

SI, qvantum mihi eſt nomen tuum, tanta felicitas inſerviendi, opportunitasqve eſſet, dudum mihi plauderem, vir illuſtris. Nunc, cum mihi tale qvid uſu venire haud potuerit, ſubtriſtis ſaepe qveri fortunam meam coepi, et prope iraſci, donec Hammerus, pubis magiſter, auſpicatum mihi nuncium attulit, velle, iubereqve te, uti propinqvi nobilis cuiusdam ſtudia, vitamqve moderarer. Qvod non defugio, et qvoad poſſum, operam polliceor, atqve confirmo: qvin et hoc tua cauſa ipſi debere volo, ut arctioris meae conſvetudinis, familiaritatisqve fructum capiat, et iis literis, qvae ſummum nomen, famamqve tibi conciliarunt, recte, feliciterqve erudiatur. Vnum id vero tuarum partium erit, vir excellentiſſime, ut certa praeſcripta ratione hanc vitam ineat, et pravas ſodalitates, qvae veluti peſtis ſerpunt, iuſſu, conſilioqve tuo vitet, neu monenti hic difficilem ſe, durumqve praeſtet. Interim ego te, vir illuſtris, vires, valetudinem, bona in rebus humanis optima, DEO votis, precibusqve aſſiduis commendo. d. XII. Iun. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCCXLVII.

CCCXLVII.
SAMVELI HVNDIO,
IC. DRESD.

Mitto tibi carmen, honori nuptiarum Principis a me ſcriptum, non eqvitem aſpectu tuo dignum, ſed doctrinae, et ſtudii mei monumentum. Addidi diſſertationem funebrem: neqve alia mihi nunc ſuppetit fere materia ſcribendi, poſtqvam ita fines circumſcripti ſunt ab Senatu veſtro, ut poeticos egredi non liceat, et poetae etiam probro ſit tranſire in aliena caſtra, cuiusmodi nunc hiſtoriarum exiſtimantur; qvanqvam in docendo non poſſum non afferre antiqvitatis monumenta, qvae mihi Auſonii, poetae Chriſtiani, atqve nitidi, Moſella abunde ſuppeditat, in qvam, non dubito, qvin Marci Freheri commentarium, egregium certe, et hiſtoriae Germanicae, qvae a Rheno, Moſellaqve prima initia ducit, perutilem, poſſideas. Is vero qvantum Gvilelmo Kyriandro acceptum ferat, ipſa libri lectio te monebit. Liber per eſt rarus, nunc tamen in mea manu verſatur, qvem dono ſacerdotis Trarbacenſis ad Moſellam accepi. Broverum deſidero adhuc, cuius neqve volumina omnia edita ſunt, neqve edita in noſtris etiam regionibus facile offeruntur, niſi qvae in compendium redegit Ioannes Philippus Vorburgius, vir apprime doctus, ac diligens, in primisqve communis patriae natus. Tamen eius libri copiam fecit Trevir qvidam, haud imperitus rerum, propter Rhenum, Moſellamqve geſtarum

rum. *Caeſarei locorum difficultate, inviisqve fauribus montium impediti, et Lorgio in ſupplementum Luxenburgici eqvitatus profecto*, ſe recipiunt. Nunc intelligunt vicini Reges, qvantum in Germaniae Principibus ſitum ſit, ſi loco, numeroqve Germaniae Principum eſſe velint. Ita, Maecenas, valere te opto, DEVMqve qvaeſo, uti morbos, atqve omnes calamitates a familia tua avertat propitius, teqve ipſum, ſtudiis noſtris decus, atqve ornamentum, tueatur. d. XVI. Iun. cIↄIↄc LXXVI.

CCCXLIIX.

N. N.

VAlde mihi probatur ſtudium tuum, qvod in conqvirendis opuſculis diu, multumqve, nec ſine gaudio meo, navaſti: qvorum alterum legi iamdudum, alieno beneficio communicatum, more meo, qvo ſolent interdum eſſe homines, in aliena caſtra tranſeuntes; alterum legam propediem, et hoc tribuam memoriae ſcriptoris, cuius mihi omnia placent. Chronicon Bergenſe iam aliqvot abhinc annis venit in meas manus; ſed Valbeccenſe, Marienthalenſe, et alia qvaedam eius viri nanciſci nondum potui. Qvin et Gobelini Coſmodromium, ab eo editum, deſidero admodum, et abs te peto, ut indicem eorum, qvae adhuc Helmſtadii veneunt, ad me cures. Maderi induſtria pulcherrima eſt, et magnopere me oblectat, cupioqve, ut qvamprimum ex te intelligam, ſi qvid emittat, qvalecunqve ſit, etiam in argumento

ſacro.

ſacro. Scriptor, qvem repetita vice tibi ſign
co, eſt Ludovicus Hilleſſemius, qvi commen
tus eſt ſtylo non indecoro de vita ſanƈte inſtitu
da. Ex Graecis ubertate diƈtionis Chryſoſtom
et Nazianzenus ſe maximopere commendabu
In Baſilio etiam aſſiduus fuit magnus vir, Ioan
Caſelius, vir ad ornandam patriam natus: prae
hunc David Chytraeus, vir ſcribenda patriae
ſtoria magnam praecipue auƈtoritatem conſe
tus. In publicis Germaniae negotiis eſt qvaed
viciſſitudo, de qva praeſens ex me cognoſc
Ita valere te iubeo, et ſalvere Bakium, tranqv
ingenio virum. d. XIIX. Iun. cIↃ IↃc LXXVI.

CCCXLIX.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

IN hoc tanto conſiliorum, viriumqve appar
Foederati haud dubia ſpe ſibi deſpondent P
lippiburgum, et Stadium. Illi Faius, vir acris
pertinax; huic Hornius, in praecipiti gentis ſ
fortuna conſtans, eſt impoſitus. Vtriqve anim
minuit Germanorum concors, firmumqve prop
ſitum. His clades Luxenburgii in mari, c
Trompius invaderet, fuga, atqve oƈto naviu
qvae Svedis magno impendio conſtant, iaƈtu
fiduciam ſane qvam ſingularem addit. Brand
burgicus, more ſuo, lente feſtinat, et occaſion
rei bene gerendae captat, affirmans, ſi praeter ſe
Doerflingium qvisqvam ſuorum conatorum con
us eſſet, id cirmini daturos ſibi poſteros, et fore
aut ipſe enunciet, aut Doerflingius ſit proditor. D

mizium, qvod Albis parte continetur, dedi ſibi poſtulat, mandatis a Caeſare eo perlatis, ut Sveones omnino Albis aditu intercludantur, *Ducatum* Bremenſem, et Verdenſem vix, aegreqve recuperaturi. Batavi Traiectum ad Moſam; unde Vahalis, Moſaeqve tractus, perpetuo poteſt infeſtari, circumſidebunt, ut, qvia iniqvo loco ad pugnam congredi non audent, caſtro eo capto, excurſiones in Gelriam impediantur. Ii vero indigne ferunt de armis ſui haud benignos ſermones, et diſtractas ab eo Galli vires, et profligatam mari Siculo claſſem gloriantur. Comes Valdeccius in tribunum externum, menſae adhibitum, ſalſe dixit, propterea qvod tam temere de ſe, atqve Batava militia iudicaſſet. Interim Gallus, qvaſi ſiniſtrum aliqvid praeſagiens ſibi, legatos ad Neomagum Gelriae dimiſit, magna ſpe obtinendae pacis, qvae tanto melius coaleſcet, qvanto aeqvior ſatisfactio expectatur, qvam non precibus, et, ut Sveones cupiebant, novo exemplo, poſt pacem, ſed iuſtis armis ante pacem, more, inſtitutoqve gentium, poſcent Germani, et parabunt. Tibi precor, Domine, ut tam ſalutari inſtituto utilem operam, conſiliumqve naves, et hoc gloriae tuae, alioqvin omnibus numeris perfectae, abſolutaeqve, addas, ut Germania tandem, externo bello liberata, plaudat ſibi merito, ac de recuperata pace gratuletur. d. XXII. Iun. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCCL.

CCCL.
EIDEM.

SVeonum res, a Kalendis inde Iuniis, toto mari conclamatâe ſunt: navis praetoria, per imprudentiam navarchi merſa, propraetoria a Trompio, et Nicolao Iuelio ſuperata, igni, ab alio, ſuperatam neſciente, ſubiecto, conflagravit: aliae captae, reliqvae in clauſtra Sveonum maritima ſe receperunt. Qvibus rebus et Scania periclitatur, in qvam primo qvoqve tempore excenſionem facturus Danus eſt, et Pomerania expectat novas fortunae vices. Brandenburgicus, Princeps ſane Martius, atqve animi plenus, ea ex Sveonum clade ingentem animum capit, regia velut pompa invectus, cum diem XIIX. Iunii, ſuperioris anni victoria inſignem, ritu ſolemni, decentiqve celebravit. Longe alia fortuna in mari Siculo fuit, ubi Batavorum praetor, Haenius, qvem Reutero ſuffecerant, cecidit, pleraeqve naves bellicae ipſorum aeqve, atqve Hiſpanorum perierunt. Neqve tamen animos deſpondent Batavi, et cenſent, bellum eſſe perſeqvendum, auctore conſilii Henrico Gvilelmo. Recte ſatis, et eo qvidem tempore, qvo Germania omnes vires ad externum dominatum profligandum expedire poteſt, et iure debet. Traiectum ad Moſam, et Philippiburgum, Stadiumqve brevi obſidentium virtuti praemia rependent: et Saxoniae ad decus roburqve priſtinum proderit auxilium, qvod, rumor fert, Caeſari miſſum iri, luculento ſatis aucto-

ramen-

ramento, ac tuis conſiliis, qvae admiramur, illuſtrandis utili, peridoneoqve. d. XXIIX. Iun. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCCLI.
EIDEM.

LOtharingus, qvi hoc anno ſupremum militiae Caeſareae imperium iniit, mutatos tribunorum pecunia Gallica animos, neqve verbis, neqve exemplo ſuo emendare poteſt. Illi enim cum ſtudent utilitati ſuae, tum cupiunt trahi bellum, Caeſare etiam invito, et cupiente urgeri bellum, ſi eá mandata qvidem ſeria ſunt, qvae in caſtra perferuntur. Nam, poſteaqvam Bavari neceſſitudinibus, et conſiliis Auſtriis ſe immiſcent iterum, Palatini commoda aut impedientur, aut certe differentur. Caeſaris alioqvi mite, atqve moderatum eſt ingenium, et conſilium tale, qvale Adriano olim, qvi imperium intra terminos coercere ſtudebat, Traiano diſſimilis, qvi proferre eius fines omnibus modis laboravit. Accepi a viris, uſu, et conſilio gravibus, affirmaſſe Imperatorem, nec eius terrae, qvam Foederati occupaturi eſſent, particulam optare: agerent fortiter, et experirentur iuſtis armis, ac viderent, qvomodo parta tuerentur: ſibi ſatis fore, ſi Principes ſint concordes, et in fide ſua, et Imperii vivant. Ex qvo magna ei laus conciliatur, et auctoritas amore, benevolentiaqve creſcit. Aula ipſa heri exemplum ſeqvitur, et, perlato cladis Sveonum nuncio, non praefert, nedum intendit laetitiam, frui contenta

 bono

bono ſuo, ſive, qvia non expedit declarari, qvae penitus ſentiat, ſive, qvia non conducit unius potentiam nimis augeri. Sveonum alioqvi conclamatae res ſunt: in Scaniam excenſio facta eſt. In Pomerania omne robur in caſtris Stetinenſi, et Sundenſi firmarunt, eo iam a Brandenburgico redacti, ut in aciem deſcendere non audeant. Apud Stendaliam, Gazko, Tribſae, Panisqve aditum, partim fuſi, partim fugati ſunt, neqve eſt, ut ſperent, vires attritas adeo, proſtratasqve in tempore refecturos. Stetinum qvoqve cadit animis, et Sundium viribus diffidit. Hac tranſiit, qvi pro vero affirmavit, Koenigsmarckio receptum intra moenia denegaſſe. Anklamium brevi dedetur, et, ut initia ſunt, ita, exiſtimo, cetera fore, poſtqvam Sveones nec ſuis, neqve externis viribus poſſunt eſſe tuti. Stadium, ſi expugnatum fuerit, amovendae diſcordiae cauſa ſolo aeqvandum eſſe dicitur. Chriſtianus Mecklenburgicus, ut fama eſt, ſtudium nominis Gallici non impune feret, et iam fama eſt, adminiſtratione *Ducatus* Sverinenſis ei interdictum in magno civium gaudio, qvi Fridericum fratrem, animo, vita, ſacrorumqve ſecta placentem, ſibi praeeſſe cupiunt, optantqve. Ita vero DEVS te fortunet, Domine, et aetatem, viresqve firmet, conſilium demum, et res, actaqve proſperet, ut non modo nos, ſed etiam poſteritas tuarum curarum fructum capiat. d. XIV. Qvinctil. cIↃ IↃc LXXVI.

CCCLIII.

CCCLII.
EIDEM.

OMni ratione ſe ad bellum comparat potentiſſimi Saxonis noſtri heres, non modo qvod Auſtriis, maiorum exemplo, ſe totum tradit; ſed etiam qvia Germanicum nomen, qvod Saxones cum primis omni aetate ornarunt, fide qvoqve ſua, et omnibus viribus tuebitur. Opto, hoc bene evenire Principi, patriaeqve, et tibi, cuius amat conſilia, et colit, ut et fortunata ei expeditio, et populo Saxonicae ditionis honorifica ſit, atqve ſalutaris. Etſi enim varia eſt belli fortuna, et praeter ſententiam multa accidunt in caſtris: tamen ſua, et maiorum pietas, innocentiaqve Principem, bona cauſa fretum, et Caeſaris ſtudioſum, firmum contra caſus, providumqve damni praeſtabunt, ut affini Dano felicitate, victoriisqve haud inferior ſit, et palmis Gallicis onuſtus revertatur. Landskronium aeqve, ac Helſingburgum, Sveonibus erepta ſunt, Scania haud ſecus periclitatur, monetqve alios, intuta eſſe imperia, qvae civium benevolentia non muniantur. In Norvagia, qva in meridiem vergit, non ſunt reſiſtendo copiis Guldenloevianis: navale robur imminutum plane eſt, atqve exhauſtum. Natalis Caroli, inauguratio, initia belli, malorum omnium plena: contra Chriſtiano haec omnia benigne promiſit fortuna, et usqve huc implevit. Lacrymis maior calamitas eſt, qvam niſi pax emendet, Sveones perierunt. Brandenburgicus adeo compulit in anguſtias Koenigsmarckium,

um, ut Danis, ex mari Rugiam infeſtaturis, tota Pomerania, qva Sveonibus paret, in praeſentiſſimo diſcrimine verſetur. Nec video, qvibus modis periculo ſe expediant, deſtituti ab omnibus, qvia pernicioſa conſilia, qvae antea latuerunt, nunc tandem imprudentius vulgata ſunt. Recte Germani, qvos in partem conatorum veniſſe gloriabantur ſecurius, omni ſuſpicione ſe liberant, et cauſam Imperii aperte ſuſcipiunt, et illuſtria domus Saxonicae documenta imitantur. Interim DEVS te, Stirpemqve tuam, poſteris admirabilem, ſervet, ornetqve. d. XXI. Qvinctil. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCCLIII.
ADAMO CHRISTOPH. IACOBI, IC. DRESD.

CVm abhinc aliqvot hebdomadibus literae tuae mihi redderentur, magno me gaudio affectus ſum, et, qvale tuum de erudiendo bonis literis filio conſilium eſſet, cognovi. Eo conſilio ipſum monui ſtatim, et voce, exemploqve hortatus ſum, uti Livium imitaretur, et in omnibus ſcribendi partibus ad eius ubertatem omni cura, ſtudioqve ſe fingeret, ut qvo nullus aevo Auguſto vel praeſtantior, vel gravior, remqve publicam tractaturo aptior ſcriptor vixiſſet. Qvod Georgium Trapezuntium, magna doctrina ingenioqve virum, adduxit, ut unum eum omnibus hiſtoricis, ſaltem ſtyli ratione, anteferret. A qva ſen-

ſententia neqve Buchnerus noſter abhorruit, et Boxhornius qvoqve affirmavit, omnem civilem eloqventiam, qvae cultum nativum, et qvandam dicendi maieſtatem prae ſe ferat, ex Livio maxime comparandam eſſe. Itaqve hoc agimus, ut dignos nos tali ſcriptore praeſtemus, et commutemus eius ſententias, atqve expoliamus, et non verba tantum, ſed vim, atqve omnem ſcribendi dignitatem uſu aſſiduo, imitationisqve hoc inſtituto conſeqvamur, non immemores Libanii rhetoris, qvi declamandi, ſcribendiqve arte Iulianum ad laudes ſummas formavit, ut omnes retro priores Imperatores eruditione, qvam a vita, ceteraqve eius doctrina ſeparo, qvam longiſſime ſuperaret. Reliqvi ſcriptores aut prudentiae, aut delectationi interdum ſerviant. Nam parum in Livio eſt, unde regendae reipublicae artem, arcanaqve imperantium hauriamus. Proinde condimento opus eſt, et ii ſcriptores coniungendi, qvi erudiunt in primis vitam, et exemplis inſtruunt, atqve ex interioribus cauſis, initiisqve exempla petunt converſionum publicarum, aeſtimantqve rerum civilium momenta. Sed id ſupervacuum eſt longius perſeqvi. Nunc aevi noſtri felicitati convenit gratulari Leopoldo, ſuis, Germaniaeqve concordis viribus tuto, ad cuius militiae ſocietatem brevi ſe adiunget heres noſtri Saxonis, imitaturus maiores ſuos, qvorum fidei, fortitudiniqve magnum decus haud ingrata poſteritas rependit. De Philippiburgo, per Luxenburgium liberando, ſpes omnis evaneſcit, non paſſuro Lotharingo, ut

decus eius urbis recuperandae ab eo duce, cui Belgae perpetuum exitium optant, ſibi eripiatur: qvanqvam praefecti ipſius non ſatis fideliter munia obire dicuntur; et Vienna accepi, plerosqve in ius ab ſenatu militari Caeſareo vocatos eſſe. Fortuna Sveonum, qvae ex praelio navali pendebat, plane imminuta, Regi Daniae, atqve Brandenburgico magnos animos fecit. Iam duo *Ducatus* amiſſi, viresqve mari attritae foedum omen praebent: Scania, Pomeraniaqve in tali diſcrimine verſantur, unde ſe vix expediant. Ego opto, ut qvamprimum reſtituatur pax, ne Stadium proxime deditum lites, aemulationesqve ferat inter foederatos Principes, qvibus amovendis ipſe tu, vir ſumme, operam una impendis, et honorifica legatione fungeris, qvi labor ut tibi bene, reiqve publicae, qvam ſalutaribus conſiliis moderaris, feliciter eveniat, DEVM immortalem precor. d. XXIX. Qvinctil. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCCLIV.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

ARiae, munitiſſimi ad Liſſam, Flandriae amnem, oppidi, obſidio, a Gallis incepta, magnum et periculum Hiſpanis, et invidiam Auriaco conflavit. Sed huius, iamdiu apud ſuos paene laborantem, exiſtimationem vindicavit Valdeccius, poſtqvam, coniunctis cum Hiſpano caſtris, eam urbem liberavit. Illud profecto Hiſpaniae grave eſt, qvod Madriti etiamnum reperiuntur qvidam, qvi, pecunia Gallica conducti, multa enunciant,

qvae

qvae non ſunt e republica, et Regis adeo aetate abutuntur. Dani conſilia uſu, et ardore, qvem hoc bellum exigit, meliora ſunt. Landskronii arx adhuc reſiſtit Danis, et dici non poteſt, qvam rurſum vires, animosqve Sveones colligant, qvos erigit, confirmatqve Koenigsmarckius, neqve non ex Flandria novam ſpem oſtendit Gallus, qvae qvorſum evaſura ſit, brevi experientur, qvorum intereſt. Hornius, Stadii deditionem pactus, et rebus, et honori ſuo conſuluit ſatis. Brandenburgicus, partem imperii maris Balthici ſe conſecuturum, ſperat, novae acceſſione potentiae, ad qvam Danico, Batavoqve foedere excitatus, praecipuum aliqvid tota Germania obtinebit. Malunt enim, qvorum refert, Principem Germaniae pollere mari, qvam Svedos. Germani nec omnes contra ſentiunt, et pleriqve faſtidiunt etiam creſcentem indies potentiam, qvam Dani vicinia ſatis poteſt moderari, etſi ille nunc totus commodis, dignitatiqve Brandenburgici favet, Rugiam, invaſurus, ut ab onere eum allevet magis, et iuvet. Ita DEVS vero te ſervet, et res conſiliaqve fortunet.

CCCLV.
EIDEM.

Conſilia Belgarum commutavit fortuna, neqve prohibendi facultas fuit, qvo minus Aria Gallis dederetur. Caeſarei exercitus res in arcto ſunt, ac multi putant, noſtros tantam potentiam non adepturos, ut ſint reſiſtendo Gallis, viribus,

 et

et concordia firmis. Francofurtenſes, qvi ex propinqvo foederatae militiae conditionem perſpectam habent, ſane male ominantur. Cives Stralſundenſes metu confuſi ſunt: Gosmannus, praecipuus eius urbis ſacerdos, ut Berolino ſcriptum eſt, pro ſuggeſto dixit, dubitare ſe, an hoc rerum Statu pro Sveonibus, qvi iniuſtum bellum incepiſſent, deprecari DEVM poſſit. Anclamum ſub tormentorum ictibus laborat, cuius deditio metum vicinis urbibus, ardorem hoſti intendet, augebitqve. Stetinum, diſtractis Sveonum viribus, iam intercluſo duabus partibus commeatu, affligitur, animoqve cadit plebs in primis, inſolens ante contumaxqve, nunc, ubi ſerio rem agi videt, deiecta, Stadiiqve exemplo territa, qvod diu defendi potuiſſet, niſi fame laboraſſet. Pacis redintegrandae conſilia evaneſcunt, eruntqve Gallo ex ruinis Sveonum plures hoſtes. Interim DEVS et Saxonicam expeditionem, et tua omnia rectiſſima conſilia fortunet. d. XI. Sextil. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCCLVI.
M. SAMVELI IORISCHIO,
SACERDOTI MAGDEB.

MIror depravatos hominum mores, qvibus ita ſe fingunt qvidam, pravi ſane, ac degeneres, ut omnis recti exempli, officiiqve ſui obliviſcantur. Doleo vero, eam tibi moleſtiam accidiſſe, ut cum tali ingenio, in dicenda convicia prono, conflictari neceſſe habeas. Totus ordo ſena-

ſenatusqve noſter iſthac impudentia graviſſime eſt commotus, et, qvantum dotes tuas egregias, qvas praeſens in examine omnibus approbaſti, aeſtimat, tantum malitiam calumniae deteſtatur, nunc tibi conſilium dare contentus, ut excelſo animo levitatem obtrectatoris contemnas: ſi vero ne ſic qvidem corrigatur adverſarius, et manſvetudine, patientiaqve tua abutatur, litem illi intendas, et certum, atqve inſigne eruditionis tuae, praeclare in conſeſſu noſtro demonſtratae, teſtimonium expectes. Ipſe Academiae Rector, celeberrimus vir, et honoris tui in primis cupidus, magnopere te laudat, ſalutemqve tibi plurimam nunciat. Summe venerandum Bakium, peto, iubeas meo nomine ſalvere. d. XII. Aug. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCCLVII.

IO. CHRISTOPH. HEINIO.

DOleo, eam tibi accidiſſe moleſtiam, de qva ſcribis, et opto abs te laetiores nuncios, et corrigi domeſticam fortunam. Ex patria tua affertur, privilegia trium principatuum, qvos vacuos fecit mors Georgii Gvilelmi, de integro a Caeſare eſſe confirmata. Si Helmſtadium iter inibis, fac, ut ſciam. Habeo enim, qvae tibi committam, nomine meo curanda. M. Drebeſius nondum ſe liberavit aere alieno, niſi qvod in ſpem venio, fore, ut pecuniam mihi ſolvendam tradat Chriſt. Baleken. Atqve id ut faciat, tu meo nomine vehementer rogabis. M. Iulius etiam bonam adhuc partem mihi debet, et cupio, ut eo nomine

 mihi

mihi ſatisfiat. Diſſertationes plerasqve tibi miſiſſem, niſi, brevi ad nos te rediturum, intellexiſſem. Vtere igitur occaſione, et Magiſtri honores a Senatu noſtro pete. Ampliſſimum Papium ſaluta plurimum, virum vita, et more egregium, eoqve mihi impenſius aeſtimatum, qvia bene tibi cupit. Vale. d. XIII. Sextil. clɔ Iɔc LXXVI.

CCCLIIX.
ADAMO CASPARI de ARZAT.

Laeto, libentiqve animo literas tuas accepi non ita pridem, cum qvia meam commendationem valere voluiſti, tum qvia notum, teſtatumqve feciſti, qvam ad ornandum, iuvandumqve M. Kupffenderum propenſus eſſes. Qvo beneficio nihil ſane poteſt eſſe illuſtrius, neqve ulla mihi gratior, iucundiorqve recordatio accidere potuit. Ea enim uterqve, ego, et Kupffenderus, mente ſumus, ut nihil ingrati accipere velimus, omni ſtudio occaſionem teſtandae obſervantiae noſtrae captaturi, ut ſentias, qvantum ſummae auctoritati nominis tui debeamus. Ipſe ego civibus tuis nulla in re, qva tibi, vir generoſe, inſervire poſſim, concedam, et unum id precabor DEVM, ut Reſpublica Vratiſlavienſis ſumma cum laude ſub iuſto, moderatoqve Leopoldi imperio floreat, et prudentiae gloriam, ſibi velut propriam, peculiaremqve ſervet: hoc praeſertim tempore, qvo res Chriſtiana viris, circumſpecto animo praeditis, eget, ac lapſa fere, praecipitibus qvorundam conſiliis, fortuna eſt. Turbata bello vicinia,

totus-

totusqve ſeptentrio ad arma concitatus, conficit ſe, et conſumit. Pro qvibus olim foedera inita ſunt, contra eos, fortunae ſuae oblitos, nunc diriguntur. Interim creſcit Leopoldus, ſumptis iuſte armis, et contra externos hoſtes altum, magnumqve animum eſt teſtatus, Germaniam ſempiterno beneficio ſibi obligaturus, ſi, qvod brevi ſperamus fore, Philippiburgum, inſolentiae Gallicae refugium, Gallis eripiatur, et tandem Teutonica arma in hoſtiles terras inferantur. Batavi haud optime res ſuas curarunt apud Moſam, more ſuo moram ducentes, aut ſpem, conatumqve remittentes. In mari Balthico novum aliqvid molitur Anglus, et, occulto conſenſu, conſpirationeqve, Gallorum, Sveonumqve conſilia fovet, et, ut illa gens ingenia fert, fidem, ſuſceptumqve conciliationis munus utilitate metitur. Neqve Dani res tam proſpero ſunt loco, ut vulgo affertur: obſidionibus arcium, caſtrorumqve exhauſtus militum flos eſt: Trompius Rugiam irrito ſucceſſu oppugnavit: Brandenburgico Anclami deditio aliqvot millium impendio conſtitit. Galli potentia nondum eo reducta eſt, ut de provinciis Germanicis decedat. In mari Siculo per ſocordiam Hiſpanorum libere graſſatur, ac toti Italiae iuſtum metum infert. Mihi privato homini, cuius audaciae, qvaeſo, ignoſce, qvietem pacemqve Europae, in primis autem Germaniae, optare ſufficit, et hoc votis meis conſeqvi, ut Vratislavia perpetuo felix ſit, tuqve ſalvus, incolumisqve cum nobiliſſima tua proſapia floreas. d. XXX. Sextil. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCCLIX.

CCCLIX.
N. N.

D*Iu eſt, qvod ſuperioribus tuis, ſane eruditis, reſpondere mihi integrum non fuit.* Praecipue autem me delectavit, qvam commodum attuliſti, dubitatio, a qva te facile expedire poteſt Chronicon Veingartenſe. Novitii enim ſcriptores ſaepe rumores ferunt, transferuntqve alii ad alios, qvos ex incorruptis monumentis refellere in expedito eſt. Ei Principi nimia potentia cauſa exitii fuit, qvaeſito iniuriae praetextu, ut ſecurius ſubverti poſſet, a qvo imperator ipſe ſibi metuebat. Ipſum vero non ſecus, ac priſcum Germanorum Principem Ingniomerum, fortuna magis, qvam virtus deſeruit. Ita vero neceſſitati parendum fuit, erectis in augendas ſuas res Praeſulibus, et, qvod illo tempore non arduum erat, terras, regionesqve ipſius invadentibus, ex qvibus fere totam Angriam, et magnam, Veſtphaliae partem detraxit Antiſtes Colonienſis, pari ferocia, aviditateqve ceteri, hoſtes, aut veteres aemuli. Nam et occaſione ſua in primis utebatur Monaſterienſis, cuius ſucceſſor hodiernus nihilo remiſſior eſt, neqve ulli piorum retro Antiſtitum aſtu, conſilioqve concedit, nuper admodum toto Verdae *Ducatu*, et caſtris *Ducatus* Bremenſis potitus. Plura parat: maiora, ſi fortuna affuerit, conſeqvetur. Non peraeqve creſcunt *Proteſtantes*, et ipſi ſe conſumunt ſaepius, qvam iuvant: nunc tamen conſenſu, conſpirationeqve conſilia inſtruunt contra

Gallos,

Gallos, hoſtes adhuc ſatis inſolentes. Interim Sveones ſuccumbunt, etſi totis viribus nunc demum iterum fortunam ſuam inſtaurant. K. Sept. clↄ Iↄc LXXVI.

CCCLX.
HENRICO, L. B. A FRISEN.

MOntalius Comes, Eſtradii Filius qvi huc usqve Caroli caſtrum cum praeſidiariis tenuit, Traiectum ad Moſam a praeſentiſſimo periculo, obſidionisqve moleſtia expedivit, vir ad fallendos Batavos ſive natus, ſive induſtria factus, qvippe qvos altera vice deluſit. Nec melior rerum Sicularum facies eſt, per ſocordiam Monteſarchii, non ita pridem ab ſenatu Madritiano in ius vocati: qvo ſtatu tota Italia periclitatur. Fovent conſilia Angli et clanculum iuvant Gallos, Sveonesqve, pari metu foederatae potentiae, et communi utilitate, ſi foederatos reges, viribus, pecuniisqve exhauſtos, tueantur. Marqvardum Rotſteinium ab obſidione Gothenburgi abſtraxerunt, atqve excenſionem huc usqve Danorum impediverunt, ipſiqve Trompio, qvi Rugiae litora infeſtat, magnum metum iniecerunt. Sveones etiam inſtaurant fortunam, et apud Halmſtadium qvatuor millium Danorum ſtragem ediderunt. Anclami expugnatio plus, qvam duo millia militum abſumpſit. Iam Brandenburgicus, pari fortuna Demminum, atqve Dammam occupaturum ſe ratus, Sedinum omni aditu intercludet. Stralſundium Sveonibus adhuc tutum eſt refugium, nec

Trom-

Trompio tentata in continentem Rugiae excenſio feliciter ceſſit. Danus, verens, qvorſum ea res evaſura ſit, ſubſidia a Foederatis flagitavit, Sveonibus, ſi in aciem deſcendat, impar, qvae timoris ei, periculiqve haud vana eſt cauſa. De Philippiburgo, qvamprimum occupando, omnes nunc bene ſperant, ad qvorum utilitatem expugnatio pertinet. Prudentes paulum diffidunt, et, liberato Traiecto, niſi propior appropinqvatio operum fiat, male ominantur. In primis in ea obſidione Ducis Lotharingiae cura, Badenſiumqve *Marchionum* apparatus, et Verthmulleri aſſiduitas, laudantur. Namqve hi aliqvoties in periculum venerunt; neqve tamen deſinunt; vel ſui ipſorum commodi cauſa. Actum eſt de *Marchia* Badenſi, ſi caſtrum illud ſuſtineat impetum foederatae militiae, ſpatiumqve capiat parandae ultionis. Nec prius in Lotharingiam perveniet Dux Carolus, qvam deditum fuerit. Qvae ratio tanti eſt momenti, ut Caeſareis animos fecerit, eosqve in ſpem potiundi caſtri impulerit: qvanqvam nunc cum ſuis in campum Dux deſcendit, ſpe, metuqve pari, poſtqvam Galli a Moſa aſcendunt, ac impetum pro virtute habent, et defenſionis qvoqve laudem conſtantia tuentur. Palatinus ſuſpectam ſibi tot impedimentis, cunctationibusqve fortunam mente, animoqve moeſto contemplatur, ex qva aegritudine mortem illi haud pauci augurantur, Principi ſane ſuae indolis, id eſt, virtute ſua valido, qvem etſi omnia deſerunt, fortunam tamen patiendo vincit. Batavorum iactura, atqve irrita obſidio

ſidio non magnopere angit Germanos, et illos monet, qvantum debeant foederi Germanorum, qvibus tamen, excepta duntaxat Hollandia, ſtipendia perſolvere recuſarunt, tumidi nimis futuri, et ſeparatas rationes inituri, niſi talibus eventis obſtinatio emendatur, qvod eqvidem futurum ſperamus. Antiſtes Monaſterienſis, priorum retro ſeculorum Epiſcopos imitatus, *Ducatum* Verdae, et caſtra aliqvot *Ducatus* Bremenſis pacto eſt conſecutus: non ſecus, atqve aevo Friderici Aenobarbi idem ille *Epiſcopatus* ex ſpoliis, exuviisqve Henrici Leonis crevit admodum, auctusqve eſt. Ille tamen ſuae familiae, qvae in Veſtphalia exiguas iurisdictiones habet, luculentum patrimonium adiicit, cupiens qvoqve, ut hereditarius iſte *Epiſcopatus* fiat, ſi obtinere poſſit. Ferdinandus, Antiſtes Paderbornenſis, Furſtenbergius genere, proxime deceſſit. Ceteroqvin hic faciendus eſt mihi finis, et deprecanda neglecti huc uſqve officii offenſa, qvi diſtractus ordinis ſapientiae negotiis, qvae ne nunc qvidem me deſtituunt, non potuerim exeqvi, qvod ſerio, ſemperqve debeo, et volo. Kal. Sept. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCCLXI.
EIDEM.

ITerum florent Danicae res, expugnata Bahuſia, qvae totius Norvagiae aditum aperit, ſitu invicta, ſi aqva dulcis, cuius inopia laboravit, curari potuiſſet. Caſtrum Malmoenſe perinde, ac Stadium, terra, mariqve a Danis interclusum, obſidione non urgebitur;

bitur; ſed fame ad deditionem compelletur. Proximo conflictu Dani victores in caſtra redierunt, caeſo Aſchenbergio, praeſentis animi viro, et bellorum uſu, periculisqve tam confirmato, ut uni illi praefecturam militiae Norvagicae commiſerint. Pomerania iamdum pro amiſſa habetur: Lockenizium, firmum natura, operibusqve propugnaculum, qvod ſuperiori anno per iniuriam Brandenburgico ereptum eſt, ſe dedidit. Dammum metu eſt deſertum: recta iam Sedinum via patet: omne gentis eius robur adhuc in Rugia eſt reliqvum, qvam iterum maiori impetu tentabit Trompius. De Philippiburgo rumor allatus eſt, praeſidium Gallicum deceſſiſſe: Luneburgici novum conſilium ineunt, qvem admodum apud Moſellam arma expediant, et ſeparati a ceteris inſolentiam hoſtium aggrediantur. Nam haud omittenda opportunitas eſt, qvam et tempus hoc, et fides, atqve fortitudo Foederatorum poſtulata finiantur. d. IIX. Sept. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCCLXII.
M. PETRO MEDERO.

PRivigno tuo, homini probo, atqve induſtrio, hoc officium tribuo, ut, qvanta poſſim opera, eum tibi commendem: non, qvod exiſtimem, eum teſtimonio indigere; ſed qvia rationes eius poſtulant, ut ex me qvoqve cognoſcas, eius conſvetudine, uſuqve nihil eſſe mihi iucundius. Eo conſilio honore Magiſtri eum ornandum cenſui, ut dili-

diligentiae fructum caperet, et, ſponte ad decus excitatus, magis, magisqve confirmaretur. Qvod ut ipſi bene vertat, ſupplicabo DEO immortali, tuamqve ſalutem pariter, et honorem votis, precibusqve eidem commendabo, nihil dubitans, qvin de ſtudio privigno, fideliter navato more tuo, recte, benigneqve ſis exiſtimaturus. d. XVI. Octobr. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCCLXIII.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

POſtqvam altera vice me expedivi moleſtiis curandi *Magiſtrorum* epuli, et animum paulum allevavi a luctu domeſtico, qvi mihi ex patria nunciatus eſt, rurſum inibo muneris mei rationes, et fide, ſanctiſſimoqve cultu tenebo, a principio oraturus Numen, ut illuſtriſſimi filii tui iter fortunet, et ſalvum, atqve incolúmem redire iubeat, qvo non tibi ſolum, ac familiae tuae, cuius laudes toto terrarum orbe perſpectae ſunt; ſed etiam patriae, qvae ab eo officium reqvirit, fructum peregrinationis afferat, aetasqve tua ingraveſcens in hoc, qvaſi Stirpis tuae fulcimento, bene, feliciterqve conqvieſcat. Commune hoc votum mecum habet Schilterus, et, cum proxime hic me inviſeret, fide, ſtudioqve mei ſimilis, optat, ut omnia laeta, proſperaqve Henrico tuo, per qvem ſummae generis tui acceſſiones futurae ſunt, uſu eveniant. Tibi etiam gratulor, ingreſſo iterum felicis conſilii viam, ut qvi non modo Saxonem in iuvandae Auſtriae ſententiam auſpicatiſſime addu-

xeris; ſed etiam in ea confirmes, et non tantum de auguſta domo; ſed etiam de univerſa Germania bene merearis. Vnum Philippiburgum, Gallis ereptum, perinde aeſtimari debet, ac iuſta ipſorum clades, qvin immo in maiori numeranda eſt, qvam ſi integer exercitus proſtratus fuiſſet. Nam et Caeſaris apud Rhenum auctoritas, et Germaniae libertas iterum firmata novos animos addit Germanis, famamqve vehementer auget, ut afflicta, et prope oppreſſa reſpublica paulatim vires capiat, magisqve ad defenſionem erigatur. Ac erat ſane tunc, cum de deditione ageretur, magna, et memorabilis adventus Saxonum expectatio, cuius rei laudem tu tibi merito vindicas, qvod omnes tuas rationes pro tuenda Auſtriae, Germaniaeqve dignitate ſemper conſtitutas habuiſti. Par Gvelforum, et Antiſtitis Monaſterienſis ardor eſt, qvippe qvi, Saxonico exemplo inflammati, rurſum contendunt contra Gallos, Hiſpanica, Batavaqve mercede conducti, ut utriusqve gentis, per ſe imparis hoſti, et ob ſolutam Traiecti ad Moſam obſidionem, ſpretae paſſim, irriſaeqve, cauſam ſuſcipiant: qvanqvam puto, e Republica noſtra fuiſſe, qvod Batavi, rebus infectis, a Traiecti ad Moſam oppugnatione deſtiterunt, qvippe nimium difficiles, cum Foederatis pecunia ſolvenda eſt, et ſane futuri inſolentes, ſi, recuperata illa urbe, omni metu, ſolicitudineqve liberati eſſent. Qvod eo minus miror, qvia diffidunt Auriaco cuius intereſt trahi bellum, debilitandi populi cauſa, nimis alioqvi facile inſoleſcentis.

Bran-

Brandenburgicus, taedio, laboribusqve deſeſſus, Stetini obſidionem differet, contentus aditus, itineraqve urbem verſus clauſiſſe: qva ſi non potiatur, expectanda eſt ingens commutatio fortunae, non ingrata iis, qvi metuunt, augeri vicinorum vires. Marchiam non aliter, qvam cadaver, licet intueri: milites deſerunt ordines: ſubditi diffugiunt, pertaeſi onerum; neqve Danis extrema aeſtas tam fortunata fuit, qvam ſperaverunt. In Moſchorum minis parum praeſidii ineſt. Nam et mobilis natura populus eſt, et infidus, ſi irruptio non ſucceſſerit, nullo negotio in pacem inflectendus. Interim DEVS reſpiciat Europam, et Germaniam honeſtis, ſalutaribusqve conſiliis tueatur, ut hic annus, qvo Caeſaris potentia maxime inſtaurata eſt, poſtera tempora pari felicitate ſibi reſpondentia habeat, tuqve, Domine, omnia ex animi tui ſententia conſeqvaris. d. XXI. Octobr. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCCLXIV.
EIDEM.

Res Sveonum, perfidia Dunkamii transfugae, valde confirmatur, augeturqve. Pleriqve enim tribuni ab imperio militari Ducis Holſati Ploenenſis ſunt alieniores, qvippe qvi opum comparandarum ſtudio multos offendere creditur, non vane ſuſpectus etiam odii in Greifenfeldium, cum potentiae aulicae modum non teneret, comparati, ſive, qvia eius neceſſitudines refugiebat, ſive, qvis opum eius cupiditas ſtimulabat. Vereor ſane ego, ne

hiems magnam Danis commutationem, damnumqve afferat, propterea qvod Sveones per ſummas difficultates ad Scaniam recuperandam eniti decreverunt. Brandenburgicus, poſt perplexam, difficilemqve de Sedini obſidione deliberationem, aegre recedentis ſpeciem prae ſe tulit, poſtqvam eruptionibus ita fatigatus eſt, ut non duxerit e re ſua obſidionem continuare. Polonia ad anguſtias redacta, et de praeſidiis tam per luxuriam, qvam per diſcordiam deiecta, pacem ignominioſam iactura Camienicii, munitiſſimi Podoliae caſtri, redemit. Batavi pacem exoptant, et Danus ipſe, futurorum anxius. Galli, qvos improviſo metu Lotharingus obruit, qvippe in *Comitatum* Burgundiae tendens, et certa ſententia, firmoqve iudicio Imperii partes obiens, cunctationem legatorum Caeſareorum accuſant, ridiculo more feſtinare cupientes, qvod lente, nec ſine mora, moleſtiaqve tranſigi poteſt, hoc praeſertim tempore, qvo occaſio datur ad res Germaniae qvam optime conſtituendas, et intereſt omnibus ſatisfieri, qvi funeſto iſto bello detrimentum acceperunt. Interim dolendum eſt omnem prope ſublatam eſſe concordiam, et certamina nihilo infeſtiora inter Theologos exardere, ac prope videri multis ex religione artem eſſe factam. A qvibus diſſidiis ut animum avertant, paciqve ſtudeant, pro auctoritate ſua Principes anniti debent. Ita te DEVS ſalvum, ſoſpitemqve praeſtet. d. XXVII. Octobr. cIↃ IↃc LXXVI.

CCCLXV.

CCCLXV.
EIDEM.

VAlde pertimeſco temporum noſtrorum fortunam, ſi redux ex Pomerania miles a viciniis noſtris per hibernum tempus, qvod alioqvin grave eſt, atqve moleſtiae plenum, refici, et contra ruinas firmari debet. Nam militia Germanica non ſane eo valet, ut Germanis iugum ſervitutis imponat, niſi tamen publicae utilitati nunc id condonandum eſt, ut ex temporum horum ſtatu, atqve neceſſitate, qvae ſaepe legem non recipit, conſilium capiatur. Caeſaris honor, ſecuritas extremi limitis, de cuius recuperatione agitur, afflictae Brandenburgicorum res, conſumptaeqve in univerſum fortunae ſpeciem, coloremqve habenr. Qvod qvale ſit, et an eiusmodi conſilium mutari poſſit, tuae eſt ſummae prudentiae, qva polles, ad corrigendam fortunam animo, viribusqve promptiſſimis. De Sedini oppugnatione haud ſibi conſentiens fama percrebuit, excepto, qvod, igni iniecto, multarum aedium ruinae editae ſunt, pari civium periculo, atqve damno. Omnia ibi iacent: victus, aditu ad urbem intercluſo, difficilis: inopia omnibus atqve ſingulis gravis, ut, mea opinione, ultra futurum ver, ſe atqve dignitatem urbis tueri non poſſint. Koenigsmarckius, ſaepe multumqve iis conſideratis difficultatibus, praefectura militiae ſe abdicare in animo habuit, niſi magnis promiſſis ad retinendum munus ab Sveonibus, Galliſqve perſvaſus fuiſſet. Interea aut

aut ſperanda pax, aut Pomerania Sveonibus, qvos praeceps, fervidumqve conſilium in tantum periculum coniecit, certiſſime eripietur, promeritis hanc poenam, qvam culpa ſua, ut Gallo officium navarent, ſibi arceſſiverunt. Danus totis viribus in reficiendum exercitum incumbit, Malmogiam, ſine qva Scaniae poſſeſſio vix tuta erit, occupaturus, et omnia, qvae a tempore pacis ſeptentrionalis erepta ſunt, recuperaturus. Batavos, qvi magnifico ſumptu tot Foederatis ſtipendia pependerunt, difficultas rei numariae, impeditorumqve commerciorum adeo perturbat, ut, a proximo anno plures moleſtias comparandae pecuniae ſibi accidiſſe, affirment, qvam deſperatis Albani temporibus. Hi certe pacem extorqvebunt, in qva tamen moram interponi optandum eſt, ut Galli potentia magis frangatur, nec occaſio inſeqvendi Gallos, et in Lotharingiam Burgundiamqve ducendi, omittatur. Non multum temporis effluxit, cum apertus eſt ad regiones Galliae aditus, et huc fortunae pervenerunt Foederati, ut qvinto lapide a Caſtro Nanceiano conſiſterent, qvae felicitas ut perpetua ſit, et conciliandae Germanis gloriae amplioris inſtrumentum, ac tota ea expeditio cum primis nomini, commodoqve Saxonico bene eveniat, ac heredi Saxonico expediat, et ad immortale decus proficiat, patriae cauſa DEVM precor, ut ſoſpes, ſalvusqve ab Helvetio limite, belliqve glorioſis laboribus ad Saxones ſuos revertatur; idqve in gaudium maxime tuum, incrementaqve ſtirpis, et fortunatiſſimum, florentiſſimumqve ſta-

tum

tum cedat, utqve tuus eadem felicitate filius, ſenſuqve gaudii nunqvam immutati fruatur. d. X. Nov. clↄ Iↄc LXXVI.

CCCLXVI.

IO. FRIDER. VOLHARDO.

STudioſe colo amicitiam, qvam ab eo tempore, qvo Ienae fuiſti, nullis literis, qvas qvidem ego acceperim, renovaſti, neqve codicem reddidiſti, qvod tamen ad fidem tuam liberandam pertinet, neqve in ceteris rebus, ut ſane te decebat, mihi ſatisfeciſti. Spero autem de te recte, et eo minus dubito, qvia ingenuum tuum, atqve a mobilitate vulgi remotiſſimum animum iamdiu perſpectum habeo. Bernardum, ſummum belli ducem, laudaturo expedit legere in primis ſcriptores Gallicos, qvi partim de Ludovici XIII. rebus, partim de recentiori imperii ſtatu non inerudite, ſed lingva vernacula ſunt commentati. Nam in primis tibi convenit, ut fontes prudentiae militaris ibi inqviras, ubi optimos invenias. Qvod inſtitutum ut cone ſeqvaris, omnes Achillis, Hectoriſqve laudes, Vlyſſis, Lyſandriqve artes in illo uno reperias. Illa vero ſummo iudicio leges, atqve diſſimulabis, qvae ad offenſam Gallicam cum primis ſpectant. Nihil enim dubito, qvin, ſi diutius vixiſſet, iis lacertis, qvibus Auſtriam concuſſit, fulturus fuiſſet, cum a Gallis, Sveonibusqve gratia optime merito non optima referretur. Sed plura non auſim, qvi, me etiam non monente, ſcias, multa ſcire prudentem, non

Digitized by Google

omnia exeqvi debere. Vale. d. XIV. Novembr. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCCLXVII.

N. N.

POſtqvam animum meum a luctu, qvi me ferme depreſſit, paulum tandem allevo, confirmoqve, gratiam tibi referendam eſſe, ſentio, cum qvod nomini meo diſſertationem erudite conſcriptam dicare, tum qvod una, qvam carum me habeas, oſtendere tam luculenter voluiſti. Iis vero rebus fit, ut magis te diligam, et prolixe de te ſperem, pluraqve talia, nec indecora ingenii tui monumenta expectem. Navabo tibi, qvodcunqve poſſum, officium, et digna viribus tuis molienti opportunus adiutor ſum futurus. Non minori mihi voluptati fuit, qvod accepi, pulchre te ſtetiſſe, et a moleſtiis dubitantium gnaviter te expediviſſe, ac plane omnibus, qvi tui exercendi cauſa conveniſſent, ſatisfeciſſe, ut non ſine applauſu de provincia diſputandi deceſſeris. Qvod tale eſt, ut non poſſim non mea, tuaqve cauſa laetari. Ita Vale. d. XV. Nov. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCCLXIIX.

IO. CHRISTOPH. HEINIO.

DOleo, ex religione artem hiſtrionum fieri, qvae cum per ſe levis ſit, et contempta, tum minime decet Theologos, et cordatis profecto omnibus ſtomachum, ceteris riſum movet. Miror ſeculum, licentia prorſus corruptum, adeo, ut

ut ſacris controverſias pro ſuggeſto explicandas ad ſcenam inſtruat, et lites, ineptiasqve etiam theatro ſpectandas exhibeat. Mirabitur poſteritas hunc diſputandi morem, et, dum repetet, qvae inter ſacros viros geſta ſunt, averſabitur. Sed id paene me in ſtuporem abripit, qvod pueri qvoqve ad peragendam fabulam adhibentur, teneriqve illi animi corruptelis depravantur, qvos decebat formari ad pietatem. Inſinuant enim ſe vitia, cum ſpecie theatri blandiuntur, et vincunt, cum vel in conſpectum eius aetatis admittuntur. Intereſt igitur ad honorem ordinis, et publicum exemplum, talia omitti, et pueros ad honeſtatem inſtitui, ne ad ſeculi inania, ſcenarumqve ineptias invitati, turpitudine ſe contaminent. Mitto tibi diſſertationem de virgine natu magno propoſitam, et volo, ut credas, qvod abs te accepi, brevi cum foenore eſſe rediturum. d. XVII. Nov. cIↃ IↃc LXXVI.

CCCLXIX.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

POſtqvam legati, qvorum conſilia cum fortuna ſuorum Principum coniuncta ſunt, magnis itineribus Nimmegam diſceſſerunt, ſpes eſt, fore, ut bellum, varie huc usqve geſtum, finiatur, propterea qvod pleriqve Principes ita de praeſidiis ſuis deiecti ſunt, ut, bello continuato, non dubitem, in maiora pericula venturos, rebus ubiqve miſeris, ac tam exhauſtis, ut, niſi Batavi ſumptus collaturi ſint, ne dignitati qvidem ſuae ſervire

 poſſint.

poſſint. Qvod facit, ut ſapientes exiſtiment, Batavos haud noſſe vires ſuas, qvi intra qvinqve annos tantum pecuniae expenderint, qvantum intra plures annos vix parare potentiſſimi reges poſſint, adeo ut, ſi maior militiae pedeſtris cura eſſet, ſuis ſane opibus, et ſuis etiam ſolum armis bellum, qvantumcunqve futurum ſit, ſuſtinere valeant. Qvod ipſe Gallus reputat, et cum primis Batavos, populum in pacem pronum, et multiplicandis uſuris aſſvetum, ac ſedulum, ſolicitat ad hoc negotium, qvi ſi ſeiunctas a noſtris rationes habere vellent, de Sicilia actum eſſet, et iam tota Italia periclitaretur; Danus, et Brandenburgicus bellum abrumperent, et Germanis, iamdudum miſeram, inopemqve rempublicam habentibus, leges dicerentur. Qvem morbum ita perſpectum habuit Henricus M. ut gentilitium, et proprium Germanorum Imperii dixerit, et unum Hiſpanum, pari tunc faſtigio ſtantem, timendum duxerit, ceteros foederatos non magnitudine, ſed audacia iudicaverit, affirmans, fieri non poſſe, ut tantum corpus diu bellaret, et, qvod uni aerario reditus ſuos inferre non poſſet, ſua mole caſurum. Qvae ambitioſa ſententia ſi cum auctore ſuo deſiiſſet, Germaniam fortunae ſuae non poeniteret: nunc, qvia nepos ex eadem cauſa deſpexit Germanos, et pro libidine invaſit, dolendum eſt, omnes vix uni eſſe pares, qvi dum promittit ſibi victoriam ſimulacris, nomini Germanico obtrectat, dignus, ut longiori bello de propiore periculo moneatur, et, collatis in univerſum auxiliis, infeſtetur. Auriaci ad honorem

id

id ſane intereſt, qvi tot ſatyris, conviciisqve proſciſſus eſt, ut dici non poſſit. Germanos, qvorum cum ratione coniunctos impetus plus ſemel expertus eſt, iam tandem dicteriis laceſſere omiſit, Auſtriis plurimum tribuens, et Hiſpanis iratior, qvod tantos ex Germania hoſtes pro ſalute Batavorum propugnanda excitaſſent. Vtinam vero, ſicut coaleſcentis inter Principes pacis, concordiaeqve ſpes affulget: ita inter Theologos, acerbius diffidentes, conciliari poſſet, qvi ex religione ludum, artemqve hiſtrionum faciunt, malo pariter exemplo, ac damno coetus divini. Qvas corruptelas cordati execrantur, et mirantur ſimul, pueros ad tales ineptias inſtrui, ut prorſus appareant vitioſi mores, et publice noceant, qvibus pietas, ac modeſtia, non iſtae tales nugae, erant inſtillandae. Ita vero te DEVS, conſiliis nitentem ſalutaribus, pro ſalute et honore Saxoniae, cum tota gente tua ſalvum, ſoſpitem, ac laetum ſervet. d. XXIV. Nov. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCCLXX.
EIDEM.

PVlchrum, auſpicatumqve conſilium iniviſti, qvando vicit ſententia tua, qvae valuit ad prohibendum militem, qvi apud nos hiberna deſtinaverat, iam revocatus, retractusqve, magno huius regionis bono, ut intelligant exteri, et animos, et vires Saxoniae eſſe ſufficientes, qvibus et honorem, et commoda civium tueantur. Praeterqvam enim qvod iniqvum eſt facientem impenſas

ſas foris Saxonem domi accipere damnum, alienum qvoqve eſt a ſumma eius dignitate, qvam in hac ditione gerit, qvae inſidiis forte petitur, neqve permittendum eſt, ut poſtulatis eiusmodi convellatur: factumqve adeo ſumma ratione eſt, qvod externum militem aditu arcendum cenſuiſti. Caeſar, benigne patriae cupiens, eandem in ſententiam nunciandum curavit, videret vicinus ille poſtulans, ut alio copias duceret, non Saxoniae ſane detrimento hibernaturas. Illi cum ita viſum recte ſit, merito connubium cum Philippi Guilelmi filia eſt gratulandum, qvi Principi offenſas ſuperiores condonavit, et Palatinam, Baioaricamqve domum, contracta hac neceſſitudine, Auſtriae feliciter illigavit, et qvicqvid ad Rhenum, Danubiumqve potentiae patet, ſuae addidit, maieſtatemqve Auſtriae munivit. Verum Principi Mompelgardico, neutras partes amplexo, non ceſſit ſua fides feliciter, propterea qvod Luxenburgius oppidum, arcemqve, in aditu Burgundiae Tranſiuranae ſitam, deditione in poteſtatem ſuam redegit, Princeps cum familia exceſſit, fideiqve Heluetiorum ſe permiſit. Sveones, in Blekingia Chriſtianopolin occupaturi, cladem non ſane levem acceperunt, verentibus interim Danis, ne frigus robora virorum proſternat, obruatqve. Sveones enim hiemis inclementiam tolerabunt. Dano omnia in eo conſilia ſtant, ut Malmogia potiatur. Kalend. Decembr. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCCLXXI.

CCCLXXI.

CHRISTIANO SCHVZIO.

CVr tam ſero tibi reſpondeam promptus alioqvin ad colendam dignitatem tuam, cauſae duae mihi ſunt ad excuſandum efficaces: partim privatus luctus, qvi me perturbavit, ac ferme oppreſſit, partim ratio muneris Academici, qvod hunc ſane mihi fructum attulit, ut rationes meae ſaepius conturbarentur. Id vero minime eo valet, ut nomen amicitiae deletum cupiam. Tantum enim abeſt, ut abiecte de vobis ſentiam, ut qvoqve laetari debeam, veſtras voluntates longo ſilentio meo non eſſe immutatas. Tum vero ſubinde me delectant, et plane recreant graves, et luculentae tuae diſſertationes, qvibus ut dignum aliqvid rependam, annitar in poſterum, nihil dubitans, qvin in hac exercitatione, qvae argumentum inſigne, et periucundum complectitur, conqvieſcas. Qvod de fortuna Gryphis Danici abs te ſcriptum eſt, ego qvidem non negabo, nec protinus aſſentiar, qvippe in eam ſententiam adductus, ut credam, ambitione, avaritiaqve ex gradu aulae praecipitatum fuiſſe. Eo rem inſtigavit Dux Ploenenſis novitate hominis offenſus, qvod modum conditionis excederet, neceſſitudinesqve Principum ambiret. Occaſione utebatur hac. Diſſvaſerat bellum, Sveonibus inferendum, Greiffenfeldius, ad qvod Caeſar, Brandenburgicus, Batavi, praepotentes Foederati regem inflammabant. Qvod cum huius opinionem non falleret, pri-

primum, nec fauſtum regis abalienandi initium fuit. Inde odia, ſuſpiciones movebantur: mox capita accuſationum inſtructa ſunt, qvae et dignitatis, et opum iactura luit vir infelix, modeſtiam, modumqve ſervaturus, ſi recte ſuis rebus conſulere voluiſſet. Sed ſubeſt ultionis divinae ratio, ut conſtaret, ipſum qvoqve de faſtigio potentiae deiectum, qvi Petrum Rizium, a qvo non parum adiutus erat, nihil tale meritum, multis modis laeſiſſet, et auctoritatem non ipſius modo; ſed totius eqveſtris ordinis labefactaſſet, munera, contra, qvam ipſe ſvaſerat, ſacra pariter, ac profana, venalia reddidiſſet, et novorum tributorum, vexationumqve artes, qvae poſt auctori in exitium verterunt, reperiſſet, et talia admiſiſſet, qvae ſui oblitum indicarent. Cetera non capit epiſtola, neqve ea te fugiunt, nobiliſſime vir, qvem bene, feliciterqve agere opto. d. VI. Decembr. CIƆ IƆC LXXVI.

CCCLXXII.
JO. PHIL. SLEVOGTIO.

CVpio tibi gratificari, ſi et voto meo, et promiſſo tuo ſatisfeceris: qvod ut, pro amore noſtro te facturum, ſane credo: ita, ut libros, qvi tibi ſuppetunt in rebus Thuringicis, et Hiſpanicis, qvamprimum ad me cures, enixe peto. Sed paulum morae ducendum eſt, anteqvam perficiam, qvod ſolicitaſti. Neqve enim fieri poteſt, ut tale qvid, intra tam breve tempus, publica luce dignum pollicear: refertqve tua, ut mihi ſubmittas,

tas, ſi qvid eius argumenti habeas. Novi curioſitatem tuam, atqe ſtudium rimandi indefeſſum, ut, ſi qvid te fugiat, id fortuna temporum abſtuliſſe videatur. Muneri tuo, qvod ad pragmaticas literas ornandas pertinet, impenſe gratulor, et, ut eius magnum fructum capias, opto. Dania, qvae proxime copias ſuas cum Suedicis commiſit, adhuc in ſpem Sueonum, tota Scania pellendorum, erigitur. Auſtria neceſſitudine ſibi coniungit praepotentes familias, creſcitqve indies, qvia partis acqvieſcit, qvae prudentiſſima eſt ratio creſcendi. Cum Hiſpanis in Sicilia male agitur; neqve tamen Galli iſtis turbis aliud, qvam Italiae metum, odiumqve intendent. Hodiernus Pontifex eo animo eſt, ut Hiſpanis, qvorum id intereſt, non poſſit diſplicere. Batavi, ob praetoris ſui, iam hereditarii, auctoritatem, non poſſunt ſe a bello expedire, niſi magis honorificae conditiones a Gallis proponantur. d. XX. Dec. cIↄ Iↄc LXXVI.

CCCLXXIII.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

CAeſar, ducta Eleonora Palatina, ope, conſilioqve novi soceri, cuius nomen, amicitiaqve plurimum valent apud Bavarum, foedere, qvod hic diu obnuit, praepotentem, finitimumqve *Electorem* coniungere ſecum opportune, prudenterqve ſtudet. Qvod ſimul expedit Neoburgico, ſarcienti iacturam, qvam prenſando Poloniae regnum fecit, et offenſionis, qvam, Gallis obnoxius, incurrerat, memoriam delenti. Eius Pater, Volfgangus

gus Gvilelmus, obſtinatione ſua impedivit, qvo minus tranſactio Iutrebocenſis felicem exitum haberet, non renitente Brandenburgico, etſi propenſum ad ſatisfactionem animum prae ſe ferebat. In Scania non anceps modo, ſed adverſa Danorum eſt fortuna, venitqve res eo, ut partes, bello diſſidentes, paria damna inferant ſibi, et accipiant. Ipſi Reges, ardentes ultione, congreſſi ſunt, neqve a periculo abfuerunt. Dani omne aciei ſuae robur dextra ala firmarunt: Sveonibus occaſio, et aeqvior locus profuit, et receptus opportunior colligendi vires ſpatium dedit. Ita factum vero eſt, ut praeſentiſſimo periculo Malmogia, qvam Scaniae Hafniam dixerim, eximeretur, et pes in eius provinciae, ex qva tota Sveonum ſecuritas pendet, poſſeſſione firmaretur. Interim pari ferme clade diſceſſum eſt, et Brandenburgici ſpes, qvae ad fortunam Danicam dirigitur, non parum imminuta apparet. Ego vero et patriae, et tibi gratulor, Domine, qvod heres *Electoratus* a gravi, periculoſoqve morbo convaluit, et conſilia tua, cum ratione ſuſcepta, feliciter eveniunt, qvibus recte continuandis et annos multos, et vires integras aſſidue precor. d. X X I I. Decembr. cIↃ IↃC LXXVI.

CCCLXXIV.

N. N.

Literae, qvas per Schlückebirium, iuvenem ingenuum, mihi afferendas curaviſti, et gratae, et acerbae mihi fuerunt: gratae, qvod a te mitteban-

bantur, cuius merita qvotidie animo meo obverſantur; acerbae, qvia fratris cariſſimi obitum nunciarunt. Nam ereptus eſt mihi frater, cuius ſine lacrymis recordari non poſſum, cuius navatum in Academia ſtudium, mores probi, vita integra, atqve omnes inſtituti ſane optimi, laudatiſſimiqve rationes, mihi apprime placebant. Etmullerus, Doctor Lipſienſis, ſummum in arte medica nomen conſecutus, audita fratris morte, palam dixit, medicinam in eo feciſſe iacturam inſignis, atqve luculenti ornamenti. Caſpar Zieglerus, iureconſultus, qvi ex multis rebus ingenium eius perſpexerat, ob tam iniucundum nuncium ipſe mihi dolorem teſtatum fecit, et, qvantum de eius induſtria ſperaſſet, ſimul indicavit. Haec de illo omnium opinio fuit, non vulgi, ſed ſummorum profecto virorum, qvibus ipſe hic applauſor graviſſimus contigiſti. Ego huc uſqve fortunae temporum diffido, et coelibis vitae rationes ſervo: res in vicinia afflictae ſunt, atqve ad tenendum hoc inſtitutum movent. Theologi noſtri Iulii iam contumelioſe dicunt in ſe invicem, et omnis prope manſvetudinis obliviſcuntur: tibi qvamobrem haec certamina diſpliceant, intelligo, atqve modeſtiam, qva reſpondes adverſario tuo, apprime laudo, ac tibi fauſtas, felicesqve Kalendas, et Principi tuo victorias perpetuas, triumphosqve ab vicinis hoſtibus reportandos, precor. d. XXX. Decembr. cIↄ Iↄc LXXVI.

Google

CCCLXXV.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

Rurſum debeo tibi gratulari, qvod Kalendas Ianuarias auſpicato omnia laeta, proſperaqve evenerunt, ut fructum conſilii cum dignitate ceperis, atqve ex moleſtiis, qvas pertimeſcebamus, patriam expediveris, et cum praeſidiis domi inſtauratis benevolentiam Auſtriam coniunxeris, resqve omnes fide, et auctoritate tua firmaveris. Qvod ut magni, excelſiqve animi fuit: ita opto, ut in ſenſum eius gaudii omnes alliciantur, ac ipſe tu virtutibus tuis, qvibus reſpublica fulcitur, ſemper, atqve ſincere perfruaris. Germania concordi conſilio, confirmatisqve animis hoc anno pacem ſperat, qvam converſae in Sicilia res, et accepta Danorum clades forte remorabuntur. Niſi fortiter obſiſtat Landescronium, tota ea Dani expeditio, in Scaniam ſuſcepta, ſine dubio inanis erit et, niſi tepor ſolvat inuſitatum gelu, Seelandia periclitabitur, in qvam, traiecto freto, Sveones inferre ſe, dipereqve Daniam poſſent. Sero iam rex apud ſe reputat Ducis Ploenenſis conſilium, ne is praelio fortunam committeret, ſvadentis, qvem nunc aegre ductorem militiae repoſcit, ob repudiatas ſententiae ſuae rationes, et plerasqve alias cauſas, offenſum. Siciliae male conſulit Caſtel Rodrigo, non intentus in occaſiones, et fato qvodam ſuo infelix, qvi, cum Belgas regeret, etiam proditor patriae habitus fuit. In Polonia gliſcentia inter ordines diſſidia plus reipublicae nocent, qvam aper-

tum

tum bellum, qvae Auſtriis addicti fovent, regemqve diſtrahunt, ac impediunt, qvo minus Svedicis turbis ſe immiſceat, Galloqve illuc inſtiganti gratificetur. Turcae non abhorrent a continuandis cum Caeſare induciis, Auſtriisqve ſpatium dant firmandarum virium, ne, ſi ii diverſa parte diſtineantur, numero, potentiaqve ſint infra Gallos, qvi futura aeſtate Ludovicum Condaeum copiis, contra Germanos educendis, ſummo cum imperio praeponent, nondum Turenii ſui obliti, qvem, ut Turcae ſupremum militiae ſuae praefectum, virum ſane fortunae, et fortitudinis apud eam gentem ſingularis, nuper Boſſinae mortuum, ab inferis excitari cupiunt; ita illi Turenium ereptum ingeminant, dum diſparem animo, ſucceſſuqve Luxemburgium contemplantur. Bavarum nondum potuit Neoburgicus ad eligendas partes adducere, etſi adhuc id ſtudet conſeqvi, et occaſioni invigilat. Batavi veterem conſtantiam prae ſe ferunt, et ſuam, Hiſpanorumqve ſecuritatem una ratione prudentiſſime metiuntur. Multorum ſententia eſt, Valentianas in periculum venturas, niſi diligenter Hiſpani ſe cuſtodiant, et minorem copiarum numerum augeant. Dioeceſis Trevirenſis hoſpitiis militaribus valde oneratur: qvicqvid ultra iacet, exhauritur a Gallis, qvi haud exiguis viribus magna moliuntur, ut imparatos aggrediantur, opprimantqve. Interim tibi, Domine, ſalvo, ſoſpitiqve patriam conſiliis florentem praeſtare, et Henricum tuum, ſpem, fiduciamqve noſtram, fortuna, dignitateqve parem habere, et

Dd 2 redu-

Digitized by Google

reducem amplecti liceat, qvod ſerio DEVM precor, qvi ſum tui faſtigii, et gentis tuae perpetuus admirator, et cliens. d. V. Ian. cIↄ Iↄc LXXVII.

CCCLXXVI.

NICOLAO, L. B. A GERSDORF.

ORo DEVM, ut ſalvum te, ſoſpitemqve cum gente tua praeſtet, remqve publicam conſiliis tuis fulciat, ut decus tuum, qvod ſummis in patriam meritis diu effulſit, nulla temporum caligine obſcuretur. Qvo fiet, ut literae noſtrae, velut deiectae, ac temporum calamitate moerentes, ſuas denuo vires recipiant, qvippe qvas tu ornas qvotidie, et firmas. Qvare omnia vota noſtra velut ad te confluunt, et tibi, familiaeqve tuae, et neceſſitudinibus, qvas admiramur, colimusqve, Gersdorſianis gloriam, felicitatemqve perpetuam impetrabunt. d. V. Ianuarii cIↄ Iↄc LXXVII.

CCCLXXVII.

N. N.

AEſtimanti tuorum beneficiorum, qvae in me extant, magnitudinem, venit in mentem recordari eius pietatis, qvam hoc praecipue tempore ſuis qvisqve patronis declaramus. Cuius fructus eo magis ad te pertinet, qvia non modo liberalitate tua me tibi obſtrinxiſti; ſed etiam ad ſuperiorem benevolentiam plane cumulum adieciſti. Mihi haec voluntas tua ſemper erit ad me-

mo-

moriam inſignis, et patrociniis manſurum in animo monumentum relinqvet. Nunc tantum in pietatis ſignificatione conqvieſcam, DEVM oraturus, ut et gloriam, et felicitatem tuam perpetuam, et cum firmo gaudio, longiſſimoqve aevo coniunctam eſſe velit. d. VII. Ianuar. cIↄ Iↄc LXXVII.

CCCLXXIIX.
HENRICO, L. B. A FRISEN.

Bibliothecae Florentinae praefectus, Antonius Magliabechius, ad me curavit Navinae diſſertationem de face volante inſcriptam: cuius meteori, ſuperiore anno per Italiam viſi, cauſas, rationesqve ſolicite inveſtigavit, et luculenta demonſtratione explicavit auctor: qvae mihi eo gratior fuit, qvod fragmentum Lotharii, vel eiusdem Magliabechii beneficio ad me perlatum fuit, qvod cenſeo eſſe verum, etſi nunqvam antehac editum, et magna parte mutilum deprehenditur. Forma dictionis, ſubiecta res, atqve totum argumentum, ex antiqvitate Karolingica ſunt deſumpta. Accepi, eo, in formulis Marculphi de integro edendis, uſurum Stephanum Baluzium, inter Gallos rei Karolinae peritiſſimum. In aula Regis Galliae continuandi belli difficultates ſic apparere coeperunt, ut cogitatio, atqve conſilium ſuſcipiatur de munitionibus Alſatiae ſolo aeqvandis. Caeſar, cauſa, et armis ſuperior, merito cupit trahi bellum, Lotharingiam recuperaturus, qvam honeſta ratione reſtituendam petenti A. LXXI.

 inſo-

inſolentiſſime eſt contradictum, qvando parum abfuit, qvin Vindiſchgraezii, ab Caeſare, et Imperio ad repetendum miſſi, auctoritati illuderetur. Comes Penneranda, qvi Belgii Hiſpanici abalienationem ſvaſerat, e vita deceſſit, atqve Ioanni Auſtrio ad ſupremum adminiſtri ſanctioris gradum nuper admodum aditus eſt patefactus, prono in eum rege Carolo II. ignaro futuri, eoqve inſidiarum ſecuro. Dux Valenzula, *Marchio* Villa Sierra, operam fideliorem contra Gallos navaturi; paſſim odio ſunt, qvod perturbandi regni occaſionem darent, ſi ſpe ſua Auſtrius fruſtaretur, qvem recipi ſvadet ratio temporum, atqve eius regni publica neceſſitas. Dano arx Elzenburgenſis, ad fretum ſita, a Sveonibus erepta eſt : oppidum dirutum plane, ac vaſtatum. Qvod induxit Foederatos, ut ſtatuerint regi laboranti auxilia mittere, urgente in primis Brandenburgico, qvi, ex regis fortuna ſuam pendere gnarus, rerum in Pomerania converſionem pertimeſcit, Batavosqve iterum in odium, bellumqve, contra Sveones perſeqvendum, accendit. Adeo fervent conſilia, et adulto vere maiora, qvam antehac, belli mala minantur, a qvibus tutam Saxoniam conſiliis tuis praeſtitiſti, Domine, et aeternum genti tuae decus, nomenqve in toga peperiſti, qvod, una atqve eadem felicitate in poſteris tuis continuari, opto precorqve. d. XXVI. Ianuarii cIↃ IↃc LXXVII.

CCCXXIX.

CCCLXXIX.

N. N.

Amor tuus, qvo me amplecteris, plane eximius eſt, atqve ſingularis, cum, qvia mihi novos amicos paras, tum, qvia declaras, probari tibi induſtriam, qvam afferre ſoleam ad commentationes antiqvitatis. Qvod eiusmodi eſt, ut et in amando te viciſſim, et colendo nomine tuo ardentior eſſe debeam, qvanqvam in utriusqve officii parte nemini hic concedere volui, et omni loco, temporeqve praeclare, et copioſe de laudibus tuis commemoravi. Clariſſimi Navinae diſſertatio maximam legenti mihi voluptatem attulit: omnia eius viri egregia ſunt, atqve elimata, ingenium acre, iudicium exqviſitum, curioſitas laudabilis, diligentia ſingularis. Eſt hic aliqvis in vicino oppido Kembergenſi, qvod lapide uno diſtat a caſtro noſtro, medicus, et mathematicus non inglorius, nomine D. Ambroſius Rhodius, qvi, ante plures annos Chriſtianae, urbe Norvagiae meridiem verſus, regio ſtipendio conductus, publice in Gymnaſio docuit, cuius commentationes, conatu ſimiles, manu exaratae ad me pervenerunt; ſed earum iudicium in divinationibus potius, qvam rationibus eſt ſitum. Nam de terrae motu, qvo Ao. cIↃ IↃc LVII. maior Norvagiae verſus meridiem pars qvaſſata eſt, talia ſcripſit, et ſenſit, qvae nec aeqvant expectationem meam, neqve dignitatem Navinianae demonſtrationis attingunt, cuius ſane in diverſo argumento maior

vis, et gravitas valde mihi nunc probatur. Sed tamen eius, de qvo ſcripſi, memorabile eſt iudicium qvoddam, de oſtento qvodam Kal. Aug. A. cIↄ Iↄc LVII. in Norvagia viſo, unde praeſagivit Regi Daniae Friderico III. qvod eo anno infelix bellum cum Sveonibus auſpicatus eſt, plenam, ac herilem poteſtatem, qvod eventus A. cIↄ Iↄc LX. approbavit. Non ignoro, inter meteorum, et oſtentum plurimum intereſſe: miror tamen, divinationem, licet caſu magis, qvam ratione, iudicioqve nixam, poſſe ultra ſapere, qvam demonſtrationes ſinant: qvae mihi nunqvam placent, niſi per ſe, aut proxime, et rationis plena coniectura ex aſſe, qvae poſita ſunt, ſeqvantur: cuiusmodi eſt, qvod de ſiccitate aeſtatis prodidit doctiſſimus Navina, facem volantem inſecuta, ut ſic exitu qvoqve laudem auctoris comprobaret. Filii tui exercitatio periucunda lectu mihi fuit, cui qvale tributum a natura ingenium ſit, vel ſolus ille conatus copioſe oſtendit, ſpero et opto, patri ſimillimum fore, ut virtutes tuae pariter in filii animum demittantur. Qvod ad Fauſti nomen, resqve geſtas attinet, non auſim refellere ſententiam vulgo proditam; neqve tamen ſum neſcius, plurima de eo narrari fabuloſa, ut ſane ineptiunt, qvi, in vicino pago, cui Bradae nomen eſt, eſſe commoratum, tradunt: qvam vanitatem ex noſtrorum hominum, qvi ſtudiorum cauſa apud nos verſantur, animis nondum penitus evellere potui. Cuiusmodi eſt, qvod Henricus Meibomius, de pueris Hamelenſibus prodidit, et Saxones noſtri de

de Ludovico Saltatore non abſimile aliqvid ſatis lepide comminiſcuntur. Vulgaria enim chronica, ab ignaris hiſtoriae viris ſcripta, editaqve, tam ab ſe diſſentiunt ſaepe, ac nugantur, ut me qvisqviliarum taedeat. Ipſe tu noſti, celeberrime vir, Manlii auctoritatem multis et variis rumoribus praetexi ſolitam fuiſſe. Etiam Camerarius, ſummus vir, qvaedam ſcripſit, ut accepit, non certe omnia ad hiſtoriae fidem. Vietio, ſine rationibus, argumentisqve temporum commentanti, non protinus aſſentior, qvippe nimiae credulitatis non ſemel mihi comperto. Inſtrumenta publica, ac documenta veritatis, certa indicia actorum, luculentaqve veſtigia expreſſa, ſcire cupio: qvae vel nulla hic ſunt, vel certe ſuſpecta mihi videntur. Non tamen refragabor diſſentientibus, praeſertim in re non magni momenti, neqve cum rationibus imperiorum coniuncta. Contra, qvam id tibi, in hiſtoria Bohemorum verſanti, contigit, in qva pactum ſucceſſionis A. cIↃ IↃc XVII. d. VI. Iun. inter Matthiam Caeſarem, regemqve Hiſpaniarum, Philippum III. ſuper regno Bohemiae initum, merito ſciſcitaris, qvippe in qvo omnis Bohemicae converſionis fontes, atqve capita inſunt, adeo, ut hiſtoriam ſcripturus ſuperioris temporis ab eo ordiri neceſſe habeat, qvippe qvod tale fuit, ut tumultus, altero anno ſecuti, cauſam daret, ſumpto religionis, ut fieri ſolet, praetextu, revera, ut libertas armaretur, ne regnum, populusqve aliqvando in ſervitutem Hiſpanicam redigeretur: a qvo ne ſic qvidem expedire ſe potuit,

Digitized by Google

qvando praelium, ad Album montem A. cIↄ Iↄc XX. commiſſum, totam Bohemorum fortunam, ductu in primis Buqvoii, immutavit. Haec, et talia ſcriptores cur praetereant, cum ab iis initia ducenda fuerint, ego ſaepe ſoleo mirari. Tabulas reperies, Latine deſcriptas, in deductione Bohemica A. cIↄ Iↄc XX. in lucem emiſſa. Auctor conſilii, qvi tunc in aula Viennenſi omnia poterat, fuit comes Ognate, qvi ſummovendi Cleſelii, ob moderationem Hiſpanis inviſi, et ſuſpiciones alias haud leves perqvam exoſi, propoſitum eſt conſecutus, tantum, ut Hiſpanicae *Monarchiae*, turbis delectanti, gratificaretur. d. XXVI. Ian. cIↄ Iↄc LXXVII.

CCCXXC.

SVB IMAGINE CORN. TROMPII, VELVT VICTORIAM CHRISTIANO V. DAN. R. NVNCIANTIS.

QVae fortuna claſſis tuae fuerit, Potentiſſime Rex, e filio meo, qvem pugnae ſocium habui, cognoſces. Sveones fuſi, fugatiqve ſunt: navis praetoria, urgente me, ſuorum culpa merſa: propraetoria, poſtqvam egregie dimicaverat, igni iniecto periit: aliae naves captae, aut diſſipatae. Ex qvo magnam laetitiam capio, et ſpero fore, ut Sveones ea clades moneat, bellum, qvod foederatis tuis moverunt, ideo eſſe infelix, qvia iniuſtum fuit. Qvanqvam fama eſt, iterum conſiliis, viri-

bus-

busqve munire ſe coepiſſe, qvae res qvorſum evaſura ſit, brevi intelligemus. Me iuſtitia armorum tuorum conſolatur, animumqve mihi facit, ut nullum pro te, foederatisqve tuis periculum recuſem, praeſtemqve me tibi et fidum, et obedientem praetorem. Illos ultio, nos honor tuus ad pugnandum ſtimulabit, ac, niſi me omnes rationes fallunt, victoriae fructum cumulabit. Tuis Batavorumqve viribus ſtabo contra deſperationem firmus, ac DEI ope, tuisqve auſpiciis vincam. d. XXVII. Ian. cIↄIↄc LXXVII.

CCCXXCI.
NOMINE ALTERIVS.

SAlvum te agere, ac ſoſpitem, id primum eſt, qvod ex literis tuis laetus, libensqve percepi. Alterum illud laetitia, ac voluptate me afficit haud vulgari, cum, te eum in modum diſponere tempora tua, intelligo, ut totum illud, qvo nunc coeleſti beneficio frui tibi datur, otium partim evolvendis iuris, legumqve, tum optimorum, utiliſſimorumqve ſcriptorum commentariis; partim in hominum, doctrina, atqve ſapientia praeſtantium, eruditis ſermonibus collocare ſerio inſtituas, omiſſis ſpretiſqve inanibus illis, ac ludicris naeniis, qvae deſidiae irritamenta ſicut a plerisqve maleferiatis uſurpantur, ita generoſam, ac bene natam indolem neqve capiunt facile, nec animos ad honeſta, et magna aſpirantes tenere diutius poſſunt: ad ingenii vero cultum, et prudentiam, virtutemqve animis ingenerandam, tum ad ſolidum aliqvod decus

cus parandum nihil qvicqvam proficiunt. Qvare, non opus eſſe, puto, te uti horter anxie, moneamqve, qvam ſemel inſtitiſti, non ſine profectus alicuius minime poenitendi opinione, optimarum ſcientiarum, veraeqve adeo gloriae viam pergere porro perſeveres: qvinimo certum habeo, atqve confido prorſus, cum tantum iam ſpatii, DEI ope, atqve induſtria tua, in hoc pulcherrimo laudis, ac doctrinae ſtadio confeceris, eo te animo fore in poſterum, qvi, qvam a me pridem accepiſti, domeſticam diſciplinam, exiſtimationemqve nonnullam, inde iam partam, minime ſis dedecoraturus, praeſertim, cum ita apud animum tuum ſtatuere debeas, non tam eſſe ad gloriam amplum, et magnificum egregios adeo in ſtudiis feciſſe progreſſus, qvales perpaucos tui ordinis, ac loci hac aetate conſpicias, qvam turpe, atqve pudendum, ſi vividos illos ingenii, induſtriaeqve tuae nervos non eousqve intenderis, qvo te et parentum vota, et publica omnium expectatio vocat, hortaturqve. Paucis igitur ut abſolvam (qvando, epiſtolam, non orationem ſcribere exorſus, ipſum tamen epiſtolae modum, amori, curaeqve, pro te ſuſceptae, indulgens, paene exceſſi) ita te habere velim, placere mihi apprime, qvam ſtudiorum tuorum viam iniiſſe te, ac rationem ſignificas: in qva porro ſi, qvo coepiſti impetu, ſtrenue perrexeris, nullum mihi dubium eſt, qvin ad eam, qvam conſtitutam habes, metam non longiſſimo temporis ſpatio feliciter ſis perventurus. Me qvidem nihil exhilarabit perinde, ac, ſi te, qvampri-

mum

mum ex illo, qvi te exercet in praeſens, ſcholae pulvere erutum, ad altiora qvaedam provehere valeam aliqvando, ubi laborum tuorum, non ſine perenni qvadam voluptate, fructum capere poſſis qvam locupletiſſimum. Id qvod ſerio, ac toto pectore voveo, exoptoqve. d. V. Febr. cIↄ Iↄc LXXVII.

CCCXXCII.

IO. FRIDER. VOLHARDO.

CVra, operaqve tua mihi grata eſt ſi libros a me expetitos fide mea curabis. Perezii Relationes, de qvibus ſcripſeras, exigenti reſpondit curſor publicus: eas ſibi non fuiſſe redditas. Indices remitto, viſos mihi, aeſtimatosqve. Pecuniam prius non accipies, qvam librorum pretium mihi perſcribas, et codices advehendos tradas. Noſti me ſolvendo promptum, paratumqve, ſi certus ſim rei, de qva inter nos contrahitur. Schedelii chronicon accepi: ſolvam, qvod eo nomine impendiſti. Chronicon M. S. Miſniae, Cocciiqve Dagobertum prima occaſione emas: pecunia certo reddetur. Herckero non poſſum negotium dare, niſi ut fidem meam, voluntatemqve bibliopolae declaret. d. VII. Februar. cIↄ Iↄc LXXVII.

CCCXXCIII.

EIDEM.

LIpſiam te veniſſe, gaudeo, qvippe qvam urbem amo caramqve habeo, cum ob literarum, tum ob mercaturae ornamenta, qvae coniuncta

iuncta maiorem animo voluptatem afferunt. Simul a te, pro veteri amicitia, peto, ut Iodoci Coccii Dagobertum prima occaſione mihi tranſmittas. Praeterea gratum facies, ſi mea impenſa ſcriptores Graecos, Dionyſium Halicarnaſſeum, Demoſthenem, Plutarchum, Ariſtophanem, Sophoclem, Stephanum de urbibus, Platonem deniqve ad me cures. Nam editiones reperi non proletarias, qvarum copiam ut mihi bibliopola faciat, his literis, tanqvam publicis fidei meae teſtibus, confirma. Tum vero Origines Monaſterii Murenſis, Hiſtoriam antiqvam Pithoei, Exercitationes Salmaſii in Solinum, nomine, fideqve mea para. Viciſſim enim tibi inſerviam, et, ſimulac rurſum ſperata conſvetudine frui poſſimus, honeſtum, atqve prolixum meum ſtudium rebus, factisqve teſtabor. Ita vero te iubeo ſalvere, et principium Moſellae trado: indices ſeqventi hebdomade certo perferentur. d. XV. Febr. cIↄ Iↄc LXXVII.

CCCXXCIV.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

ALlatus eſt mihi Iodoci Coccii Dagobertus, opus haud ineruditum, et tale etiam, ut ex eo Alſatiae hiſtoria perſpici plane, cognoſciqve poſſit, et qvod legatis Nimmegae, de pace tractantibus, cauſamqve Alſatiae diſceptantibus, lucem antiqvitatis pariter, utilitatemqve inſignem afferat. Saepe enim ſermones incidunt de Alſatia, in hac Alſaticarum rerum perturbatione, qvorum fundamentum in hiſtoria Dagoberti eſt conſtitu-

ſtituendum, ad qvod ſi rerum recentium notitia adiungatur, tota eius hiſtoriae ratio ſibi conſtabit. Obſervavi, doctiſſimum virum, Aubertum Miraeum, in Stemmatis Belgicis eo libro perſaepe uſum, qvippe qvem fugere non potuit, multa egregia, atqve digna memoratu ab illo auctore prodita fuiſſe. Nam Bernardi Herzogii chronicon vulgare eſt, ac multis in rebus ineptum, ut ſunt pleraqve Germanica, a viris, nulla doctrina, iudicioqve praeditis, ſcripta, ſi forte Stumphii Helveticum, et Lehmanni Spirenſe exceperim. Ceterum ſtatus Alſatiae miſer eſt, ac deſperatus, Gallis ubiqve vaſtitatem hoſti facientibus, et iam prope pro derelicto illum *Landgraviatum* habentibus, qvem recuperari vehementer eſt optandum, praeſertim hoc tempore, qvo Galli in ſummas anguſtias rediguntur. Scriptum Teutonicum, qvod nuper fiſco inferendum curavit Saxo, multos pro rege Gallico qvaeſitos colores oſtendit, qvi, ſimul atqve, retecto velo, nativa facie produnt ſe, ac penitius inſpiciuntur, argumento ſunt auctoris, ſtudio Gallico depravati, et iuris, iuſtitiaeqve obliti. Pufendorfii pro Sveonibus ſuſceptus labor cordatis indicat conqviſitas verborum formulas plus apud eum ſcriptorem, qvam rationes valuiſſe, tantum ut cauſae regis ſui ſerviret, cuius calamitas brevi maior futura eſt, qvam huc uſqve fuit. Sedinum pecunia premitur, eandem, credo, qvam ſuperiori anno Stada, fortunam ſubiturum. Eo enim valet Brandenburgici conſilium, ut hac urbe, ex qva reliqvarum converſio pendet,

det, potiatur. Interim, Domine, tibi bene, reiqve publicae feliciter omnia tua conſilia eveniant, ut non noſtros tantum, ſed etiam poſterorum animos in magnam tui admirationem convertas. d. XVI. Febr. clↄ Iↄc LXXVII.

CCCXXCV.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

NActus ſum Eugippii hiſtoriam, a Marco Velſero editam, cuius nomen tamen conſulto omiſſum eſt: nec ſcio cauſam, nec ſcire operae pretium duco, cur latere voluerit Velſerus. Forte tamen, qvia diffiſus eſt antiqvitatis rationibus, qvarum pleraeqve ibi ſunt eiusmodi, ut merito mihi ſuſpectae videantur, niſi in mendoſa lectione praeſidium ponatur. Is auctor, alioqvi Anaſtaſio Dicoro ſuppar, mihi ſane eſt in deliciis, ac in primis dignus, ut propter tempora, regnum Attilae inſecuta, evolvatur, lucem Iornandi, cuius optimus in tua bibliotheca codex eſt, allaturus. In Hiſpania Ioannes Auſtrius, qvi cum fortuna mutat animum, atqve e Valenzulae odio, atqve aemulatione eſt eluctatus, ruentis Belgii reliqvias cura, vigilantiaqve ſua colliget, et firmabit, nactus occaſionem redigendi eo Galli, ut omnia, ſuperioribus annis erepta, reſtituat, et Montereium, virum belli expertum, fidumqve, vel illuc, vel in Siciliam mittat. Alſatiae derelinqvendae conſilium vix ipſi Galli, audacia furentes, celare poſſunt: prius tamen omnia fere in cinerem redacta cupiunt, ut, in hac rerum vaſtitate, perturbationeqve, aditus

ver-

verſus Burgundiam , Lotharingiamqve tueantur. Brandenburgicus Auriaco deſtinat uxorem Radziviliam, terrarum in Lithuania inſigniorum heredem, eo conſilio, ut illis Cliviae permutandae facultatem conſeqvatur; ſed vix dubito, qvin conditionem qvaerat in Anglia, eamqve praecipue in oculis ferat. Sed, qvale id ſit, alii exiſtiment, tuqve ſigillatim, Domine, qvi et provides Saxoniae, et commoda ſumma ratione, iudicioqve procuras. Ego, ad pietatem obligatus tibi, gentiqve tuae, in votis conqvieſco, et pro te, felicitateqve tua DEVM aſſidue deprecor. d. XI. Mart. clↃ IↃc LXXVII.

CCCXXCVI.
EIDEM.

QVae ſuperiori aeſtate multo ſudore, atqve ſangvine qvaeſita ſunt, ea, parum abeſt, qvin viciſſim adimantur, poſtqvam Daniae rex uni praelio omnem fortunam ſuam commiſit. Tota Scania, inſignis, et culta regio, onere belli paene oppreſſa eſt: oppidum Elzenburgum direptum: caſtellum, cui tuendo Schonfeldius impoſitus erat, deditione captum, nec parvum Norvagiae periculum imminet, ei praeſertim, qvae in meridiem porrecta iacet. Nam itinera, gelu durata, facile tranſitum praebent, et Dani, clade affecti, vim ſane, impetumqve pertimeſcunt. Chriſtianiae cura, defenſioqve mandata eſt Meerheimio, ad qvam, intercepto Hallo, aditus communitus foret. Caetera vaſta ſunt, atqve deſerta, qvae, ſi non expediant,

diant, intacta relinqventur. In Pomerania nihilo minor converſio eſt timenda, cum, qvia expeditio Brandenburgici nimis eſt invidioſa; tum, qvia iſte vicinis ſuis oneri eſt; tum, qvia privatis rationibus militat, et, non tam Imperii, qvam patrimonii ſui augendi curam habet. Nam ſi is recuperaverit Pomeraniam, atqve ulciſcendi cupiditatem expleverit, non magnopere laborabit de ceteris, commodis ſuis conſuluiſſe contentus. Qvo ſtatu in animis procerum pecunia dominatur, et pleraqve in illa aula ſunt venalia. Conſilia regit Gladbeckius: tituli praerogativa eſt penes Gladbekium, cuius fides neſcio in qvam ſuſpicionem vocari coepit. Ita nunqvam deſunt aulicis artes, ac expeditae viae ad aemulos evertendos. Otto Gvilelmus Koenigsmarckius, publica ſententia citatus, venit in diſcrimen omnium poſſeſſionum, qvas in Germania habuit, amittendarum, propterea qvod militiae Svedicae non eſt renunciaturus. Chriſtianus Auguſtus, Norburgicus Dux, ex Anglia revocatus, bello navali Danico operam navabit. d. XX. Mart. cIɔ Iɔc LXXVII.

CCCXXCVII.

M. IO. GEORG. HAHNIO.

GRave argumentum eſt, cui ſtudium navabis, nec ſcio, an per te ipſe expedire poſſis; et peto, ut liberam hanc monitionem ne permoleſte feras. Nam prudens, ſciensqve tibi ſcribo, ut, priusqvam experiaris, me auctore intelligas nihil leve a te ſuſceptum eſſe. Nec tamen reprehendo con-

conſilium tuum, neqve ab inſtituto te dehortor, ut qvi cupiam, ingenii tui vires indies excitari. Ego qvidem in te iuvando nihil praetermittam, et cauſas, rationesqve propoſiti data occaſione coram exponam. Adeo omnia mihi tua curae erunt, ut exiſtimare poſſis, me de te, ſtudiisqve tuis bene mereri velle. Eqvidem, priusqvam aggrediaris, longo ſtudio, uſuque omnes interiores ſeculi Karolingici rationes complecti te oportet. Boecleri hiſtoria Karolina non eſt ſuffectura, niſi ipſos videas fontes, qvibus irriges illum late patentem campum. d. XXII. Mart. cIↄ Iↄc LXXVII.

CCCXXCIIX.
IO. FRIDER. VOLHARDO.

Credo tibi, cum ſcribis, te vacare culpa, qvod qvaedam eorum, qvae ad me curaſti, mutilata fuerint: qvanqvam indicia ſunt, ex qvibus intelligam, recens eſſe recidentis factum, qvod te fortaſſe fugit, morbo impeditum, qvo minus caveres fraudem. Spero autem, cetera tibi curae fore, ut, qvod toties abs te petii, tandem iure meo conſeqvi poſſim. Nam Codicem donationum piarum Auberti Miraei non poſſum non flagitare, qvi cupiam, omnia eius opera in manu mea eſſe: praeterea Pauſaniam, Michaelem Epheſium, Apollinarem Sidonium, Chronicon Marchicum Angeli, Anhaltinum Brotufii, hiſtoriam Burgundicam Nicolai Burgundii, hiſtoriam Braſilianam Lerii, Iureti Symmachum, veteres Gramma-

 ticos,

ticos, Nonni paraphraſin, a Sylburgio editam, Xylandri de IV. *Monarchiis* videre geſtio. Chronicon Alſatiae, in primis Herzogii, ob cauſam, fortunamqve Maii iuvandam, fide mea mitte. Ita opto te valere, et cum primis Auberti Miraei Codicem Donationum expecto, ut in finiendo opuſculo, qvod altera hebdomade accipies, ſervire mihi poſſit. d. XXII. Mart. cIↄ Iↄc LXXVII.

CCCXXCIX.

CHRISTOPHORO ARNOLDI.

CLariſſimo viro, Antonio Magliabechio, Magni Ducis Florentiae praefecto bibliothecae, multum tribuo, debeoqve, cum, qvia ille praecipue luculentis ſubſidiis literas iuvare poteſt; tum qvia exemplo demonſtravit ſuum in me ſtudium, amoremqve ſingularem. Ea de cauſa viſum eſt mihi rependere officium, et dono illi dare diſputationes duas, alteram de Moſellae principio, alteram de re Poetica: qvarum prior iam proxime ad te curata eſt, poſteriorem afferet Buſchius, cuius omnis qvaeſtus, lucrumqve in emendis, et vendendis diſputationibus eſt ſitum. Opuſculum meum de Vitricis Eccleſiae nondum perfectum, abſolutumqve erat, qvando is feſtinabat abitum: id vero brevi ad exitum perducetur, ut commodis bibliopolae ſervire poſſit. d. XXIII. Mart. cIↄ Iↄc LXXVII.

CCCXC.

CCCXC.

CAROLO, L. B. A FRISEN.

PVdet me diuturni ſilentii, et poenitet morae, qvam non qvidem malitia qvadam animi, aut oblivione ſummorum tuorum in me beneficiorum; ſed neceſſitate temporum, conſilio declarandae tibi pietatis, interpoſui. Qvod etſi perperam a me factum eſt, et culpa non vacat: tamen pro ſingulari benignitate mihi condonabis, eo magis, qvia tacite ſemper pro tua incolumitate DEVM ſum deprecatus, neqve potui inficiari aegritudinem animi, qvando nuper accepi, te non meliuſcule habere. Qvo animo, donec vivam, ſum futurus, et ſerio, ſeduloqve id agam, ut ſanctiſſimus tibi cultus conſtet, et ſaepe repetita ſignificatione tibi declaretur. De nuncio mortis Brandenburgici allato non reſpondet eventus, et aliis nunciis contrarium affertur. In Pomerania magnum aliqvid molitur: ſocii venient Luneburgici, aditusqve inter Sundium, et Sedinum, obſidione Gryphisvaldiae intercludent. Accepi Stetinenſes, etiamſi ad ultima redigantur, non Brandenburgico, ſed Luneburgicis ſe eſſe dedituros. Vnum nunc abs te peto, Domine, ut vile, aſpectuqve tuo indignum hoc ingenii monumentum benigne accipias, et hoc clienti tuo des, concedasqve, ut in tutela tui nominis conqvieſcam. Ego votis, precibusqve conſeqvi ſtudeo, ut ſalvus, ſoſpesqve ſemper floreas, ſemper de Academia, reqve publica bene merearis. d. XXVII. Mart. cIɔ Iɔc LXXVII.

CCCXCI.
VINCENTIO GARMERS, IC. Hamb.

SAepe doleo fortunam, qvae dominatur in rebus humanis, et optima conſilia vel eludit, vel corrumpit: ea praeſertim, qvae referuntur ad augendam ingeniorum gloriam, qvam ſi qvisqvam alius, certe filius tuus, naturali qvadam indolis bonitate, unus ante alios nobis demonſtrare potuit. Is heri animi cauſa extra urbem diſceſſit, et, poſtqvam rediit, paulo largius bibit. Tum vero forte fortuna accidit, ut honorem ſuum a qvodam homine, cui nomen Himmelio eſt, laeſum ſane exiſtimaverit, et ſumpto gladio adverſarium aggreſſus fuerit. Qvod ſimul ac mihi, et Zieglero innotuit, uterqve in ſubiectam aream deſcendimus, et omni opera, nec ſine periculo meo, confligentes dehortati ſumus. Sed neqve auctoritate, neqve obteſtationibus noſtris ſedari impetus potuit, usqve dum filius, qvem eximie ſemper dilexi, duello proſtratus magno cum dolore noſtro caderet. In qvo, qvantum amiſeris, ipſe ego ſcio optime, qvi dotes eius cognitas, perſpectasqve habeo. Credo tamen, te pro tui animi magnitudine hunc caſum moderate laturum. Nam ea die, qva vitam amiſit, ſacrum carmen DEO, ſervatori ſuo, cecinit, animamqve votis, et precibus, qvanta potuit religione, conſecravit, et, qvatuor ante diebus epulo ſacro paſtus, pie, ſolicite-

citeqve vitae ſuae rationes inivit. Qvare in ſpem erigor, eum iam cum Chriſto, inferorum victore, triumphare, et ſeculi pericula, inſidiasqve tutum deſpicere. Tuae vero moderationi, gravitatiqve convenit, fortiter pati, qvod mutare non potuiſti, eo magis, qvod magni viri omnibus fere aetatibus, ſeculisqve, aut non procrearunt filios, aut non diu retinuerunt. Etenim, qvo qvisqve eſt futurus melior, reiqve publicae utilior, eo citius eripitur ſaepe rebus humanis, et meliori ſede collocatur. Qvare para, muniqve animum tuum ad patientiam, et de me, ac Zieglero ſtatue, nihil a nobis eſſe praetermiſſum, qvo vel iuvari, vel inſtrui ad literas, moresqve optimos poſſet. Cum occumberet, Mullerus, eius honoris, ſalutisqve cupidus, extra urbem eſt verſatus, qvod reducem valde conſternavit, et mihi prope periculum attulit, qvando pars mucronis excuſſa caput meum feriebat; neqve impetus dimicantium ſedari poterat, priusqvam infelici exitu duellum terminaretur. Ego dolore tandem abſtineo, ne dolorem, luctumqve tibi excitare videar, qvi tui nominis, virtutumqve maximarum ſum aeſtimator. d. XVIII. April. cIɔ Iɔc LXXVII.

CCCXCII.

HENRICO, L.B. A FRISEN.

Miſerrimus Belgii ſtatus eſt, ex qvo pugna apud Casletum, antiqvum Flandriae oppidum, commiſſa, Batavis male cecidit, decepto nunciis Auriaco, qvod putaret, neſcio a qvibus

 aucto-

auctoribus perſvaſus, tuto, hoſtibusqve ignorato itinere cum exercitu ad liberandam Omeram eſſe perventurum. Sed Galli, conſilio proviſo, vires in tempore firmarunt, et, Luxemburgii cohortibus aucti, aeqvoqve loco freti, Batavos, interclusſam dumetis viam ingreſſos, oppugnarunt, et plus qvam tria millia eorum confecerunt, impedimentisqve exuerunt. Capta tormenta, triginta currus cum cetero apparatu erepti ſunt: Auriacus, ſpe ſua falſus, primo Popperingam, deinde Yperam, plurimis ſuorum deſideratis, ſe recepit. Galli in primis eqvitatu valuerunt, etſi, propter iniqvum locum, peditatus opportune, fortiterqve dimicavit, et tormentis, arte, operaqve baliſtarum in Batavos converſis, hoſtem, ex impeditis viis aegre eluctantem, verberavit, multosqve ſane inultos proſtravit. Qvae fortuna non modo Batavos ordines vehementer angit; ſed etiam offendit, ac totam Rheno finitimam oram, pericula, rapinasqve metuentem, valde perturbavit. Fuitqve hoc foedum omen, inauſpicatumqve initium expeditionis huius anni, a Principe ſuſceptae, qvem nimia credulitas, feſtinatioqve in tale, atqve tantum diſcrimen adduxerunt. Id qvod eiusmodi eſt, ut Anglia, non ignara periculi, ex propinqvo etiam ſibi imminentis, ſi Gallus in tota Flandria, vicinisqve litoribus dominetur, iam conſultet de ea regione in fidem patrocinii accipienda, non invitis Hiſpanis, qvi nec ope Batava ſe tueri ſatis huc usqve potuerunt. Ita vero Valentiana, Cameracum, Omera, in Galli poteſtatem pervenerunt,

nerunt, unaqve ſpes ſupereſt in copiis Caeſareis, qvarum pars, iuſſu Caeſaris, in auxilium Hiſpanorum properat; ſperoqve fore, ut hac aeſtate iſtius hoſtis inſolentia tandem coerceatur. De cetero protervum Curlandi factum, pro eo ac debeo, graviter fero, omnésqve cordati mecum exiſtimant, eius ultionem, in talibus rebus adhiberi ſolitam, non defuturam. Nam, qvanto magis illuſtriſſimus filius decus auget, et amplificat, tanto magis importuni, inconſideratiqve Sarmatae minuetur. Venit hic mihi in mentem, qvod nuper dixiſſe accepi Ducem Georgium Gvilelmum, externos Germanis tacite ſemper infenſos, raro fidos eſſe. Id vero tu, Domine, pro tui magnitudine animi, vinces, rationesqve expedies, qvibus Scythica temeritas in ordinem redigatur, iis profecto conſiliis, qvae puto eſſe idonea, et fortunata cum primis opto, de qvibus generoſiſſimus Arnimbius, in praeſentia iureconſultiſſimi Ziegleri, graviter, et honorifice mecum, qvem ſcit tibi fide, et ſancto ſilentio obnoxium, communicavit. Ita te DEVS ſervet, Domine, et illuſtriſſimi filii cauſam tueatur. d. XX. April. cIↄ Iↄc LXXVII.

CCCXCIII.

N. HVLSEMANNO.

MAlo qveri licentiam, corruptosqve mores horum temporum, qvam invidiae periculum adire, atqve eos indicare, qvorum vita diſplicere poſſit. Nos, qvibus datum eſt publice docendi

negotium, qvantum in nobis eſt, facimus, et curamus, ut ſoluti, aberrantesqve in viam reducantur. Sed qvotusqvisqve eſt, qvi dicto ſit audiens, qviqve talem ſe praebeat, qvalem cupiamus. Cuius mali origo nulla alia eſt, qvam neglecta educatio, et depravata ſodalitas, qvae iſto aetatis lubrico, velut venenum, ſerpunt, atqve animos corrumpunt. Fuitqve hic eiusmodi maleferiatus homo qvidam, Himmelius, qvi, duello commiſſus, Garmerſio iuniori vitam eripuit, et atrociſſimum, totiqve Academiae lugendum ſcelus admiſit, ut non ſecus, qvam intra neceſſitudines, triſtem illum caſum defleamus. Interim Bandecovio, meliorem fortunam adepto, gratulor, et abs te peto, ut M. Danzio, modeſto, docto, et frugi viro, praeſidium afflictae rei apud vos qvaerenti, opem, conſiliumqve afferre ne graveris. Nobiliſſimus Vaſmerus, volo, ut meo nomine perofficioſe ſalutetur. d. XX. April. cIↃ IↃc LXXVII.

CCCXCIV.

N. GARMERS.

NEfaſtus pariter Academiae, ac neceſſitudini tuae dies fuit, qvo iuniori Garmerſio, iuveni egregio, et ad ſumma nato, orbati ſumus. Qvem caſum omnes, pro eo, ac debemus, graviter ferimus, et velut in domeſtico luctu comploramus. Is cum, verbis, et ſignis honorem ſuum laeſum a qvopiam protervo homine, exiſtimaſſet, non potuit ſibi temperare, qvin armatus armatum ad-

ver-

verſarium repelleret. Aderamus in tempore, ego, et iuriſprudentiſſimus Zieglerus, dehortabamur confligentes, et qvantum in nobis erat, nec ſine periculo meo, ſaluti eorum ſtudebamus. Sed neqve valuit auctoritas noſtra, et me, hoſpitemqve omnis ſpes fefellit. Ita factum eſt tandem, ut propinqvus tuus, qvem haud aliter, ac filium, dileximus, gladio proſtratus caderet, et ſubito expiraret, proditis tamen indiciis, qvae animum in DEO defixum teſtarentur. Paulo ante qvoqve ſacrum viaticum ſumpſerat, et Servatori ſupplicaverat, et plane ſic vitam inſtituerat, egeratqve, ut de ſancta eius migratione nemo velit, nemo debeat dubitare. Tuum eſt, conſultiſſime vir, pro tui altitudine animi, moderate id ferre, et rerum humanarum varietate, inconſtantiaqve te conſolari, qvem ſcio eius familiae, cui noſter ereptus eſt, propinqvum eſſe: nec obliviſcor ſermonum eius, de te honorifice habitorum. Qvin et gratulatus ſum mihi eum habuiſſe auditorem, de qvo omnia maxima ſperabam, et merito illuſtri familiae pollicebar. Sed dominatur fortuna in rebus humanis, et affligit nos ſaepe, et conturbat, uti meminerimus, nos eſſe mortales, et coeleſtia cogitemus. Dum haec ſcribo, ad me venit eleganti ingenio iuvenis, et, pro miſeria horum temporum, orat, uti Hamburgum abituro teſtimonium impertiri, tuamqve benevolentiam conciliare velim. Qvod non potui defugere, venioqve in ſpem, te pro humanitate tua effecturum eſſe, ut patrocinii tui fructum capere is poſſit. Ego, qvoad poſſum, in

in omni genere viciſſim tibi non ſum defuturus. Vale d. XXII. Apr. cIↃ IↃc LXXVII.

CCCXCV.

IAC. FRIDER. LEICKERO.

Etſi literae, quas ad me curaſti, ſerius redditae ſunt: tamen ne ſic qvidem mihi diſplicere potuerunt. Illa vero tua ſingularis in rebus patriae inveſtigandis diligentia magnopere eſt laudanda; nec ſcribere ſatis poſſum, qvanto gaudio me affecerit optimum iſtud, utiliſſimumqve inſtitutum tuum. Qvod qvo ardore animi cepiſti, ea conſtantia tene, et dignum hoc nomine tuo praeſta, ut ſocietatis *Ganerbicae* origines, iura, privilegiaqve publice, et feliciter exponas. Cuius ſanciendae haec cauſa, ratioqve fuit, qvod rebus, fatali interregno lapſis, nemo tranqvillo reipublicae ſtatu frui poſſet. Itaqve alii foederibus, alii collatis in commune caſtrum bonis ſaluti ſuae conſulere voluerunt. Horum ergo, qvi in communionem ſuarum rerum, certis legibus, ac ſuſcipiendam defenſionem conſenſerunt, ſocietas *caſtrenſium* nomine appellata fuit, illo in primis tempore, qvo diplomata ſolum Latina exarata in curiis Germanicis valuerunt. Vidi, et legi tabulas, in qvibus Caſtrenſes de Fridberg, qvi nobis communes heredes, vulgo Ganerbii nominantur, qvos neceſſitas tuendi ſe contra praedones ſic coniunxit, ut hoc tale ſalutis praeſidium ſibi paciſcerentur. Nam, qvi ſinguli non erant reſiſtendo, ſocietate

freti

freti opes, copiasqve ſuas contra praedonum arces, qvarum plurimas diruit Rudolphus Habsburgicus, multa cum laude tutabantur. Qvod inſtitutum ratio, uſusqve comprobavit, nec prius rebus ſuis in univerſum bene, ſecureqve Germania uſa eſt, qvam pax publica novis Maximiliani I. auſpiciis confirmaretur, cui acceptam tranqvillitatem ferimus. Atqve eo libentius huius recordor, qvia in omnibus rebus, conſiliisqve Saxonum et ſententiam amplexus, et auctoritatem ſecutus fuit. In reliqvis, ad forum iuris pertinentibus, utaris licet Vernero Kyllingero, Chriſtophoro Beſoldo, Paulo Matthia Vernero, qvi, mea opinione, utilem in eo argumento operam poſuerunt. Tu vero cumulum adiicias, et, qvod uſu, tractationeqve huius negotii conſecutus es, palam facias, ut, ſi nemo alius, qvanqvam nemo tam ingratus erit, certe Trefurtum tibi ſuſcepti laboris gloriam rependat. Qvod de praefectura Imperiali addendum putaſti, qvaſi ea non adeo ample ſit intelligenda, ut ad denotandam territorii poteſtatem valeat, id recte qvidem exiſtimas, et nuper a me eſt declaratum, cum per occaſionem Moſellae de praefectura X. Alſaticarum Imperii civitatum commentarer. Id autem eiusmodi eſt, ut ad protectionem *Abbatiae* Qvedlinburgenſis porrigi non poſſit, qvippe qvae non ex communis protectionis, patrociniiqve *clientelaris* iure, ſed ex ſpecialibus pactis conventis aeſtimanda eſt, atqve iudicanda. Meminit huius rei Vehnerus: tabularum exempla mecum communicavit iudex curiae provincialis, Spoorius, cum

eſſet

eſſet in vivis. Ita vero ſalvere te jubeo, remqve hanc bene agere precor, unum illud in extremo te, pro ſanctiſſima amicitia noſtra, flagitans, ut Dillichii, qvem te nactum eſſe audio, copiam mihi facere ne graveris. Feſtinanter. d. II. Mai. clↄ Iↄc LXXVII.

CCCXCVI.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

HAud benigna eſt fortuna, qva utitur Daniae Rex, fere de praeſidio retinendae Scaniae deiectus. Ploenenſis, malo ſuo doctus, militiae ſocietatem, praefecturamqve, ſuperiori tempore adminiſtratam, conſtanter recuſat. Gottorpini reſtitutio acriter, etiam a Luneburgicis, urgetur, qvippe non paſſuris cum toto ſuo circulo, ut cum Principe Germaniae libero, et, pro portione Sleſvicenſi, nemini obnoxio, ſic agatur, qvod putent, praeter officium ſuum eſſe, ut tale exemplum tractandi Principes qvoqve clientelares, et beneficiarios poſteritati prodatur. Trompium, ut ego accepi, aegre ſinent Batavi in Daniam commeare. Brandenburgicus omnibus modis ſe comparat ad expeditionem Pomeranicam: Koenigsmarckio, Vrangelii aemulo, Galliae Rex ſex millium imperialium penſionem decrevit, qvi nihil omittit, qvo commoda regni Svedici tueatur. Lotharingus iam progreſſus eſt contra Gallos. In coelo ſpectamus ſidus cometam, qvod ſeptentrioni, et forſan Sarmatiae inſigne malum denunciabit. Expeditio heredis Saxonici omnium animos, mentesqve

Digitized by Google

qve in expectationem, admirationemqve avertit; praeſertim *Electorem* Brandenburgicum, qvod certis auctoribus ſcio. Itaqve DEVS et vires, et fortunam Principi noſtro, et conſiliis tuis perpetuam laudem impertiatur. d. V. Mai. cIↃ IↃc LXXVII.

CCCXCVII.

IO. CHRISTOPH. HEINIO.

NOn eſt, cur tibi ſuccenſeam, propterea qvod nihil non tibi debere volo: et ſane etiam qvaedam intervalla reqvirunt noſtrae utriusqve occupationes. Buſmanni feſtis gaudiis vere gratulor. Arduum enim eſt in ea re aliqvid definire, a qva omnes vitae rationes pendent, et unde felicitatis etiam qvaſi artus, et nervi ducuntur. Atqve ego qvidem opto, ut haec omnia Buſmanno ſecunda contingant. Nobis nuper III. feria *Paſchatis nefaſtum omen attulit, qvando duo iuvenes commiſſi ſunt: alter gladio confectus animam efflavit.* Diſſertationes duas funebres tibi tradet auriga. Opuſculum de Vitricis ſumptu ſuo edendum curavit bibliopola Elertus: qvod cuiusmodi ſit, alii viderint, qvorum id intereſt; ego ſtudium, conatumqve probare volui, et iam totus qvoqve ſum in libris elegantibus, et raris, qvi ab exteris ad me curati fuere. Ex Italia bibliothecae magni Ducis Florentiae praefectus per Arnoldum mihi afferri iuſſit unum, atqve alterum Italici ingenii monumentum, de qvo non poſſum, niſi praeclare, exiſtimare. d. VI. Mai. cIↃ IↃc LXXVII.

CCCXCIIX.

CCCXCIIX.
N. TESMARO.

IAm ſaepe, et ſatis aperte declaraſti, qvam bene mihi velis, qvamqve pro conſtanti affectu tuo me complectaris, Cuius ſtudii te non pigebit; faciamqve ego, ut ſentias, omni occaſione tuam exiſtimationem, qvam honeſtiſſimis rebus hic ſemper tutatus es, mihi chariſſimum fore. Adhuc enim memoria teneo fidem diligentiamqve tuam, mihi cum ſumma laude demonſtratam. Hortor etiam, ut ſtudia illa diſciplinarum optimarum, hic incepta, perſeqvaris, bonasqve literas, et prudentiae inſtrumenta, ad rempublicam tractandam in primis valitura, adhibere pergas. Magnus enim eſt Princeps, ſub qvo natus es, qvi et fortes viros fovet, et eruditos amat. Para ergo te ad ea vitae munia, qvae laudem cum utilitate coniunctam habent, ac de me exiſtima, pro veteri voluntate, atqve amicitia, in omnibus tibi rebus me ſtudere velle. Eid. Mai. cIↄ Iↄc LXXVII.

CCCXCIX.
N. N.

REdit ad te filius, vita, moribus, ingenio egregius, et ſic mihi carus, dilectusqve, ut unum eum amarem praeter ceteros, atqve ornarem. Me audivit aſſiduae, ut diſertus fieret, ac prudens: Theologos adiit, ut pius, rerumqve diviniſſimarum gnarus redderetur: Philoſophos ceteros coluit, et ſectatus eſt, ut controverſias qvaslibet more

re Academico diſceptare poſſet. His rebus inſtructum tibi, et patriae remitto, ac opto, ut uberrimos fructus referat, fructumqve meae conſvetudinis capiat. Ita et mihi, et tuae familiae, qvae ornamenta ſperat, omnibus modis gratulabor. d. XVI. Mai. clↄ Ↄc LXXVII.

CCCC.
HENRICO, L. B. A FRISEN.

Brevi ſpecimen receptorum finium daturi ſunt Germani, ſi deſtinata in Lotharingiam irruptio, qvae, ob ſuperiorem Batavorum cladem dilata eſt, foederatae militiae bene vertat, atqve eo redigatur Gallus, ut Alſatiae retinendae ſpem amittat. Qvo pacto crudelitas, in toto Veſtraſiae tractu praeter belli morem admiſſa, opportune vindicabitur in auctorem, qvem iam feſtinatae expeditionis poenitet, qvod Angli, qvorum id ſane intereſt, bellum minari coeperunt, niſi Gallus induci ſe patiatur ad reſtituendum omnia ea, qvae proximo bello magna et militum, et ſumptuum iactura occupavit. Batavi, qvorum totus exercitus apud S. Omeram periturus fuiſſet, niſi laborantibus Comes Naſſavius in tempore ſuperveniſſet, conſilia, ad obſidiones urbium verſa, laetiori eventu, qvam ante annum, comprobaturos ſe receperunt. Interim Caeſar ad praecipuos Principes literas ipſe ſcribit, comiterqve appellat, et, qvibus poteſt modis, demeretur, plusqve ea arte conſeqvitur, qvam olim vi conſecutus eſt Carolus V.

Septentrionis reges foede ſe conſument, nec ulla ratio ſuppetit, qva urbs Sedinenſis, pertinacia, qvam viribus firmior, eluctari ex malis qveat. Berolini gloriantur, Qvinctilem, et Sextilem, menſes ad perficienda cogitata opportunos eſſe ſibi futuros. Adolphus Ioannes, Palatinus, in poſſeſſionem totius Bipontinae regionis mitti cupit, et magnopere contra cauſam Sveonum contendit. Etiam qvoddam inter eruditos eſt gloriae certamen, et accendunt ſe invicem laudabilibus exemplis. Stephanus Baluzius Capitularia feliciter abſolvit: Freſneus Gloſſarium Graeco-Barbarum eſt auſpicatus. Apud Sveones ex codice manu ſcripto, qvem redemit Gardius, prelo deſcriptus eſt Vlphilas redivivus, primus Gothorum Antiſtes, in qvo ea gens, antiqvitatis ſuae amans, ſibi mirifice placet. Barberinus Romae, et Coteleriu Pariſiis plurima, necdum edita Graecorum monumenta edent. Epiſtola Polycarpi, nuper in codice M. S. reperta, a Rullaeo evulgabitur; multo vero plenior, qvam ea, qvae iam circumfertur. De aliis, cum idoneum tempus nactus fuero, Domine, perſcribam, nunc DEVM oraſſe contentus, ut te, et illuſtriſſimum filium, cum univerſa familia, ſalvum, ſoſpitemqve conſervet, et luctum, obitu Molzhaniae natum, leniat, ac brevi cum laetioribus rebus commutet. d. XXIIX. Maii. cIɔ Iɔc LXXVII.

CCCCI.

CCCCI.
CHRISTOPH. ARNOLDO,
P. P. ALTORF.

EST vis qvaedam, qvae ducit homines, et trahit ad conſenſum laudis: cuius etſi nihil ego mereor; tamen ea ratione inducor ad obſervandos eos viros, qvi et auctoritate, et meritis in eo genere plurimum valent. In qvibus merito ſuo numerandus eſt vir clariſſimus, Antonius Magliabechius, meo ore, ſermoneqve non civibus modo Academiae noſtrae; ſed etiam proceribus aulae Saxonicae, notus, atqve celebratus. Is vero qvod ad me ornandum conferre voluit, ex te intellexi ſatis; fuitqve hoc eiusmodi, ut cogitarem, qvemadmodum illi viciſſim meae voluntatis, obſervantiaeqve ſignificationem darem. Eo conſilio in rebus Mecklenburgicis adduxi eius nomen, et laudavi. Palatius, ut fere ille in noſtra Teutonum hiſtoria ineptit, ita paulum eſt caſtigatus. Qvod de Bohemorum moribus addis, fateor, peſſimi exempli fuiſſe. Vera belli cauſa non tam religio, qvam dominatus externi cauſa fuit: religionis, ut fieri ſolet, praetextus ſolum qvaerebatur, non aliter, ac ſuperiori ſeculo apud Belgas foederatos accidit, qvi ob immodica tributa, qvibus nervi commerciorum, qvae ſola Belgium ſuffulciunt, debilitati, ac proſtrati fuerant, defecerunt. Occaſione utebatur Fridericus V. ab uxore, a Ludovico Camerario, aliisqve, ad prenſan-

dum illud regnum inſtigatus: praecipue ab illius foederis, qvod *unio* tunc dicebatur, ſociis, qvi de Auſtria plane labefactanda conſilium ceperant. Olfaciebat conſilium Saxo noſter, et, qvia cauſam civilem ſubeſſe, non ignorabat, conſilia ad eius honorem pro conſtantia ſua referebat. Id vero adeo exacerbaverat Palatinum, ut *clientelas*, qvarum aliqvot a Rege Bohemiae fiduciaria lege pendent, Saxoni praeter omne meritum abiudicaret. De qvibus alias ad te latius commentabor non ex ſchedis vulgo obviis; ſed ex actorum fontibus, qvos ne qvidem Adolphus Brachelius eſt confectatus. De Ludovico Saltatore lepida eſt narratio, et recte a te ipſo reiecta. Nam haud negabo, Gibbichenſteinium illo ſeculo, qvo Henricus III. Saliqvus rerum potiebatur, carcerem principum perduellium fuiſſe, ut ex Ditmaro Merſeburgenſi, et Vippone ſatis, ſuperqve conſtat: at, qvo minus credam, Ludovicum in eum carcerem fuiſſe coniectum, vel hoc maxime me adduxit, qvod Henrici III. filius non ea tunc polleret auctoritate, diſtractis factione Saxoniae Principibus, qvi in partes Pontificis inierant, non paſſuri, ut neceſſarius Princeps, turbata ſane republica, et, ubi nemo alteri audiens erat, eum ad modum tractaretur. Paulus Langius multas, et Moguntino *Clero* acceptas fabulas effutivit, a qvo cur diſcedamus, graves ſunt rationes: cum, qvia fide aliena retulit (*cauſam dicunt*, inqvit) tum, qvia priſcis monumentis deſtituto non temere aſſentiar. Status reipublicae, acta Henrici IV. Saliqvi aliud

aliud indicant, et noſtra etiam monumenta tacent: ne nunc id addam, ne qvidem per naturam potuiſſe fieri, ut eo modo ſe vindicaret a vinculis, et liberaret. Speculatus ſum loci ſitum, et facile de fabula iudicavi. Saltatoris nomen aliunde eſt inditum. Haec, celerrime, et cum Antiſtes Onoldo-Brandenburgicus a nobis diſcederet, ac, de te, et Vagenſeilio praeclare exiſtimans, loqveretur, ſubito in chartam coniiciens, monenda eſſe duxi, celeberrime Polyhiſtor. d. XXIX. Maii cIↃ IↃc LXXVII.

CCCCII.
M. IO. GEORG. HAHNIO.

ET ingratus, et iniqvus in te eſſem, niſi ſtuderem honori tuo, propterea qvod multum mihi in eo ſitum eſt, ut res tuas adiuvare, ornareqve poſſim. Iter meum diſtuli, et ſpero, fore, ut prius, qvam illud ineam, Lipſiae praeſentes inter nos colloqvamur. Si in ea re, in qva multum potes, mihi commodare velis, ut Dillichium conſeqvar, non modo tibi, ſed etiam nobiliſſimo Leickero, iuveni ad magna nato, plurimum debebo: tum vero omne ſtudium, viciſſim utriqve cumulatiſſime praeſtandum, ſpondebo, atqve pollicebor. Volhardum, miror, non expletis amicitiae partibus, nec diſſoluto aere alieno, diſceſſiſſe. Aliqvid meorum illi commodo dedi, qvod niſi recipiam bona fide, faciam, ut intelligat, non poſſe me iuris mei obliviſci. De morbi moleſtiis, opto, ut qvamprimum expediaris, et plane convale-

valeſcas. Res Mecklenburgicae forſan tibi non diſplicebunt, qvas, dono tibi datas, libenti animo cape. Mihi ex Italia proxime Magliabechius inſignia, et luculenta opuſcula perferenda curavit, qvi praefectus eſt bibliothecae Florentinae, et de eruditis paſſim bene meretur. Inde non potui, qvin eius laudi tribuerem, qvae legere tibi liceat in iis pagellis, qvibus Mecklenburgica, ductu meo, ſunt deſcripta. Fritſchium bibliopolam adeas, et ab eo contendas, qvaeſo, ut totum Lambecii opus ad me curet, cuius octavum, et nonum libros mittendos expeto, ut una opera illi omnia perſolvam, qvae nuper admodum debere coepi. Ita et ſalvere te volo, et opto, recepta valetudine diu bene, proſpereqve in rebus humanis agas. d. XXX. Mai. clɔ Iɔc LXXVII.

CCCCIII.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

NOndum Lotharingus irruptionis conſilium expedire potuit, et, rei magnitudine melius ponderata, alia via contra hoſtem contendere conſtituit. Anglus minatur in ſpeciem: revera et ſentit cum Gallis, et favet Sveonibus, qvi neceſſitudine Ducis Eboracenſis contra Danum in tempore ſe muniverunt. Omnia tentabunt, et aeſtatis damna iterum futura hieme ſarcient, haud ignari molis, qvae nuper in Daniam advecta eſt, qvam vel cedendo frangent, ut meliorem reſiſtendi occaſionem captent. Nam ita exacerbati nunc ſunt Sveones, ut fere compoſitionis Danicae negotium aver-

averſari videantur. Tantum belli cum Germanis coepti ſero poenitet, qvo et a Caeſaris gratia, et ab amicitia *Proteſtantium*, in qva omne eorum auctoritatis pondus erat, intempeſtive ſe disiunxerunt, veriti qvidem, ne, ſi Brandenburgicus ad Gallum opprimendum valuiſſet, redux cum ſociis ſe oppugnaret; ſed eae certe ſuſpiciones fuerunt. Beckmannus, Puſendorfii qvondam collega, nunc adverſarius publicus, edito nuper acerbo ſcripto non dubitavit affirmare, omne calamitatis Svedicae initium a Secta Puſendorfii proficiſci, qvippe qvem et depravatae doctrinae, et religionis contemptae exemplum genti illi prodidiſſe refert: haec initia, has cauſas eſſe tantorum malorum, cum qvibus etiamnum confligentur. Qvin immo procaci licentia in proceres ipſos invehitur, et, cum Londini Scanorum fuiſſet, iniqve iudicaſſe, calumniatur. Venit hoc tempore qvidam rerum Svedicarum haud imperitus, qvi et aliqvandiu ibi commoratus eſt, patria Marchicus, neqve in aula Berolinenſi hoſpes, qvi viam ad tuam gratiam affectat, Domine. Notus eſt Schroedero, Principis *Electoris* comiti, ac ſtudet tibi in omni re ſervitium probare. Qvod eo minus tacendum duxi, qvia, ſeriam vitae rationem amplexus, omni animo, et viribus ad tuum, aulaeqve obſeqvium contendit. Nec volui illi refragari, petenti a me commendationem, qvi bonitatem, clementiamqve, dotes in fortuna tua maximas, exemplo meo perſpectas habeam, iudiciumqve mihi eius rei nullum ſumam, niſi qvod ſummo, et ſanctiſſimo tuo

Digitized by Google

iudicio probatur. Ita te DEVS, Domine, et filium nobis, patriaeqve ſervet, et totam familiam perpetuo tueatur. d. XXXI. Mai. cIↄ Iↄc LXXVII.

CCCCIV.

N. N.

Filius tuus, qvi ſtudiorum cauſa hic fuit, ob ſumptus, in honorem Magiſtri factos, hic aes alienum contraxit. Cuius diſſolvendi cauſa, ſaepe qvidem a me, et collegis meis eſt interpellatus; ſed is ſpem noſtram omnium fefellit, et contra, qvam decet, pecuniam, abs te miſſam, intercepit, et conſumpſit. Qvare petimus omnes, et ſinguli, qvorum intereſt, ut fidem filii tui liberes, et qvamprimum efficias, ut nobis ſatisfiat. Alioqvin ordo noſter decrevit petitionis ſuae cauſas ad Principem Barutho-Brandenburgicum referre, qvi pro ſua gratia erga hanc Academiam non ſinet, ut promiſſi fides qvoqvo modo convellatur. Nam diutius neqve connivere poſſumus, neqve iure debemus. Ita vero DEVS te ſervet, et filio tuo mentem firmam, et promiſſi tenacem impertiatur, qvi et inanibus verbis nos lactavit, et tergiverſationibus etiamnum eludit, et, qvod maximum eſt, tuam voluntatem, iuſſumqve ſpernit. Qvod eiusmodi eſt, ut neqve DEO, neqve Principi, neqve bonis placere poſſit: nobis eo minus, qvia ordini noſtro eſt fraudi. d. XIII. Iun. cIↄ Iↄc LXXVII.

CCCCV.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

AD Sveonas in anguſtias cogendos, omnia comparat Danus, iure ceſſurus in *Ducatu* Bremenſi, ut, Foederatorum ope, de Scania decedere cogantur. Qva erepta, ſuperioris potentiae nervus incidetur, et Gallos in primis ea ſociorum fortuna conturbabit. Conſilium de mittendis in Pomeraniam auxiliis irritum eſt factum, poſtqvam naves, qvae Gothenburgo, eius limitis firmiſſimo, maritimoqve caſtro, ſolverant, a Danis ſuperatae maiori parte perierunt. Nec felicior praefecti navalis, Seebladii, conatus fuit, qvi praetoriam periculo eripere non potuit. Etiam in continenti res ipſorum ſunt afflictae, propterea qvod magna vis ex tota inferiore Saxonia, et Veſtphalia, Haſſiaqve, ſub Principum ſuorum ſignis illuc affluit, resqve iam eo ſpectat, ut ad priſtinum ſtatum redigantur, non futuri in poſterum Galli adiutores. Interim non vacant culpa Batavi, de qvorum ſupremo praefecto multi, et varii ſermones, qvetelaeqve miſcentur. Viennae, Caſſellis, Casfeldii, Coloniae Agrippinae in eius officio plurimum deſideratur: neqve id neſcit ipſe, et animum contra rumores immotum ſervat: ſumptus tamen paene immodicos facit, et magnifico aulae cultu Principem Cellenſem imitari ſtudet. De Gallis ſentio, brevi fore, ut careant fructu regionis Alſatiae. Monglaſſius ex inferiori parte diſceſſit, non reverſurus, poſtqvam omnia Saravi itl-

itinera propemodum occupavit Lotharingus: ſuperior in eodem diſcrimine futura eſt, ſi aditus montis Briſaci intercludantur, finesqve Lotharingiae, et Burgundiae aperiantur. Spirae Nemetum nuper mortuus eſt Gvilelmus Badenſis, Princeps ſenio, et prudentia gravis, et de Auſtria domo toga, belloqve praeclare meritus. Auguſta, ſclopo exterrita, abortum fecit, et, qvantam ſpem foecundo utero attulit, tantum, triſti hoc caſu, ſolatium Auſtriae, Germaniaeqve eripuit: qvanqvam erexit animum Imperator, fortunamqve ſuam meliori ſpe ſolatus eſt. Merito enim pro ea domo vota nuncupamus, qvae conſiliis, et potentia Germaniam munivit huc usqve, et, cum turbida eſſent ſuperiora tempora, inſtaurandae tranqvillitati operam navavit. Nec dubito, qvin, ſi magnus ille Grotius ad hoc usqve aevum vixiſſet, omnes vires, ſtudiaqve in laudem et commoda Auſtriae, impenſurus fuiſſet, ut qvi, artibus Barneveldianis inſtitutus, non poſſet neſcire Galliae, non optima in animo molientis, conata. Nunc deſino, pro te, et gente tua DEO ſupplicare contentus. d. XVII. Iun. cIↄ Iↄc LXXVII.

CCCCVI.
EIDEM.

Lotharingus, collecto exercitus robore, in Mediomatricum finibus conſiſtit, Creqvium, novis, et magnis ſubſidiis auctum, traiecto Salia expectans. Sed is cum ſtativa ſaepe mutat, tum pugnam recuſat, ceteram fortunam regis adventui,

tui, ut fama tulit, permiſſurus. Anglus clanculum conſilio, apparatuqve navali Sveonas iuvat: qvod graviter ferunt Dani, qvia opinione citius claſſe infeſtantur, ſentiuntqve damnum, qvod proxime apud Bornholmiam, decem amiſſis navibus, acceperunt. Vnde ex priori victoria minor laetitia ad eos pervenit, praeſertim, qvod Batavi illis auxilia non ſunt miſſuri, qvippe veriti, ne in periculum offenſae Angliae, et commerciorum, nuper cum Sveonibus inſtauratorum, veniant. In Scania Monaſterienſes, veterani milites, ad illuſtrandam expeditionis famam ſe occupaturos Malmogiam, ſperant, pacti a Rege, ut ſeparatim militiae munia obeant, ut eo diligentius, qvae muneris ſui ſunt, exeqvantur. Laborat caſtrum annona militari, et, priusqvam obſideri coeptum eſt, pecora abacta praeſidiarii militis calamitatem augent. Interim lento greſſu ſe recipiunt Sveones, atqve ancipitem exitum praeſtolantur. Stetinenſes, ut mihi Stargardia ſcriptum eſt, more ſuo duri, contumacesqve, mori ſe malle, qvam deditionem facere, affirmant. Pecunia recens ad illos perlata eſt; ſed commeatu deſtituuntur. Interim Neomagi magna in perficiendo pacis negotio conſtantia nuper admodum obſervatur, qvod ut rei Germanicae bene eveniat, opto, tuaeqve gratiae me permitto, Domine. d. XXII. Iun. cIↄ Iↄc LXXVII.

CCCCVII.

CCCCVII.

N. POLANTO,

Sacerd. Zeithen. in Misn.

CVpio eqvidem omnibus modis deſiderio tuo ſatisfacere, non modo tua; ſed etiam generoſiſſimi Schleinizii cauſa. Cuius filius etſi, ſponte ad virtutem incitatus, diligentiae laude aeqvalibus ſuis praeſtat: tamen recte cenſuiſti, auctore ei ad continuandas ſtudiorum rationes opus fore. Nam in tali ingenio et familiae nobiliſſimae, et patriae certe ſpes verſatur. Haud enim neſcio, ab aliqvot inde ſeculis Schleinizios de Saxonia togae belliqve ſtudiis immortaliter meritos fuiſſe. Opto igitur, et perqviro iuvenem illi rei idoneum, ac melioribus doctrinis plane excultum. Pauci enim ſunt, qvi ſolidas, elegantesqve literas tractant, prius de meta cogitantes, qvam verae laudis iter ingrediantur. Itaqve mora opus eſt, ut delectum ingeniorum habeamus, et nobiliſſimo Patrono ſtudium, obſervantiamqve probemus. Initia hiſtoriae civilis, ſtudia eloqventiae, et diſciplinarum animo tenere eum oportet, qvi illud munus eſt ſuſcepturus: qvod profecto haud leve eſt, et ad dignitatem nobiliſſimae Schleiniziorum gentis ſpectat. Ego, qvantum in me eſt, nihil defugiam, et prima qvaqve occaſione te eius rei certum reddam. Interim vale, et generoſiſſimo Patrono animum inſerviendi cupidum, qvaeſo, confirma. d. XXII. Iun. cIↄIↄc LXXVII.

CCCCIIX.

CCCCIIX.
CHRISTIANO SCHVZIO.

DVdum carui fructu literarum tuarum, mea praeſertim culpa, propterea qvod ego uſqve huc in eo genere tardus, remiſſusqve ſemper fui. Nunc vero, ubi amici ratio poſtulat, ut ei tua benevolentia concilietur, faciendum mihi putavi, ut huius cauſa ad te ſcriberem. Scio enim, te pro auctoritate tua, qva in aula Halenſi vales, eum adiuvare, et commendare aliis poſſe. Nomen eſt M. Kubelio, qvi prius ludum Burkenſem eſt moderatus, cuius opes, copiasqve omnes nuper incendium abſumpſit. Qvare ad aulae patrocinium confugit, et precibus conſeqvi ſtudet, ut ſcholae, eo caſu ſane miſero, atqve infelici deiectae, ſubſidia Principis conſtituantur. Qvod cum eiusmodi ſit, ut ad publicas ſenatus ſacri curas pertineat, non dubito, qvin venerandi Olearii, pro pietate ſua illum complectantur. Alioqvi fortuna publica temporum noſtrorum finem tandem bello, et laetiorem faciem Germaniae pollicetur. Malmogiae expugnandae periculum in ſe ſuſceperunt Monaſterienſes, veterani milites, et ſeparatim militiae munia obeuntes. Holſatiam tranſeuntes valde afflixerunt ſubiectos illi imperio, ditioniqve homines, alioqvin tributis Danicis vexatos, ut vel maximam eius belli molem ſuſtinere videantur. Rex enim hoc ſibi licere exiſtimans, pecunias in Gottorpini regiones, qvaſi ſuo iure, inauditoqve exemplo cogit. Sveones non tam virtus, qvam feli-

felicitas deſeruit, pro qvibus tamen clam, palamqve annititur Anglus, ideo plerisqve ſuis haud parum exoſus. Mari paulum res ſuas inſtaurant Sveones, poſtqvam Batavi, poſtulatis Anglorum victi, claſſem ſuam cum Danica non coniungere, ſtatutum habent. Lotharingus, caſuum belli haud ignarus, actus Creqvianos tandem auctori in exitium vertet, et occupatis Saravi itineribus, apertoqve Moſellae aditu, repetet ſua virtute, et armis, qvae Galli, cum bellum Batavum molirentur, eripuerunt. Erit forſan tempus, qvod Lotharingi neceſſitudines in maius provehat, ac qvisqvam unqvam cogitavit. Certe unus ille, ante ſpretus ab omnibus, et deſertus, Auſtriae, publice felicis, privatim nutantis, decus ſane maximum eſt, atqve fulcimentum. In qvo genere Hiſpanica prudentia ſic enituit, ut ſola illa prudentiae laudem poſtulet, et conſilia lenta, ſucceſſu proſpera, Europaeqve ſalutaria reddat. d. XXIV. Iun. cIↄIↄc LXXVII.

CCCCIX.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

ETſi Lotharingum, longius progreſſurum, difficultas locorum adhuc valde impedit: tamen omni apparatu expeditionem qvotidie auget, et, anguſtos, praeruptosqve aditus ſe ſuperaturum, ſperat. Alſatia inferior, mutata Brochii fortuna, iam paulo melius habet, et a Gallis, magno ipſorum malo, eſt deſtituta: ſuperior qvoqve levationem calamitatis putat fore, qvod cohortes Imperii,

rii, tranſito Rheni ponte, Briſaco monti pariter, et Burgundiae metum intulerunt. Ceteri Foederati in Brabantiam movent, hoc maiori Gallorum periculo, qvia nulla ratio apparet diſtinendi hoſtis, poſtqvam Sveones in tantas anguſtias ſunt redacti, ut ſibi ipſis vix ſufficiant, et Batavi, Hiſpaniqve Regem Angliae perpetuo interpellent, nec ſine minis ſubmoneant, ut, nullo partium ſtudio, reconciliandae pacis munia obire pergat. Qvod de inſtauratis mari Sveonum rebus proxime allatum eſt, id nullo eventu comprobatur: neqve connubii, cum Eboracenſi Principe ineundi, ſpes perfici potuit. Danus maximas ſperandi cauſas habet, cur Malmogia, qvam terra, mariqve adortus commeatum eo ſubvehi prohibet, deditionem ſit factura. Interim cum Duce Gottorpino, eiusqve imperio ſubiectis tam male agitur, ut verbis exprimi non poſſit. Eo rerum utiqve miſero, afflictoqve ſtatu Batavi in novam ſpem veniunt, primo qvoqve tempore, pacem ſub clypeo, qvae optima eſt pacis conficiendae ratio coituram eſſe. Nam Gallis non expedit conſumi diuturno bello, neqve molitiones Bethunianae ſucceſſum habent. Turca tam abſurdus non eſt, ut Caeſarem petat, Germania armata, et concordi, qvoniam nondum bello Ruſſico ſe expedivit, et bellorum, cum Germanis nuper in Vngaria, et in Polonia geſtorum, eventus cogitat, expenditqve. Stetinum, qvod altera vice ultima paſſurum affertur, adventu Luneburgicorum, Caeſareorumqve, etiam non vult flecti, ut prae ſe fert, intra ſacrum, et ſaxum ſtans,

et

et diminutionem privilegiorum metuens, ſi eo p
tiatur Brandenburgicus. Qvod ſane caput in p
ce Nimmegenſi ex utilitate Saxoniae ſuperio
tractandum videtur: tuo autem arbitrio permit
id merito iudicandum. Interim te DEVS, D
mine, nunqvam non florentem, pacis, belliq
tempore, nobis ſervet, et gentem tuam firmet, ſt
biliatqve in filio, cuius ſalus omni privata fortu
ſane potior, maiorqve omnibus eſſe, et mihi cu
primis, debet. d. XXIIX. Iun. cIↃIↃC LXXVII.

CCCCX.

EIDEM.

CAeſarei manipuli, qvi hac tranſierunt perr
ẞuri ad Brandenburgicum, huius agri ruſ
cos multis damnis affecerunt; plerosqve etia
tanqvam difficiles, baculis multarunt. Apud St
tinum ruſtici ſupra aliqvoties mille coacti, op
faciunt, et contrariis cuniculis viam, aditumq
Brandenburgicis muniunt. His Luneburgici,
Monaſterienſes ſe adiunxerunt: illorum aliqv
cohortes, itinera Mecklenburgica obſervare iuſſa
impediunt, qvo minus annona ad Sveonas perf
ratur: et horum dux, caputqve eſt ipſe Antiſt
Chriſtophorus Bernardus, Gryphisvaldiam opp
gnaturus. Stetinenſes, ultima expectaturi, ad te
tium uſqve lapidem incendiis omnia vaſtarunt,
Brandenburgicis adventantibus ſolicitudinem p
riter, ſolitudinemqve facerent. Die XXIIX. I
nii Princeps *Elector* conſilium militare habuit, pr
us extrema omnia tentaturus, qvam re infecta d

ſc

ſcedat, cauſae ſuae filius, Foederatorumqve auxilio nixus. Si Sveonum iam eae vires, fortunaqve eſſet, ut vel duo millia exponere, inferreqve in urbem poſſent, crederem, nunqvam deditionem facturos eſſe. Nam et religioni, et libertati ſuae timent, haud obliti ſuperiorum offenſarum, qvas ulciſcendi locus dabitur, ſi caſtrum ad deditionem compellatur: qvanqvam cives minus obſtinati futuri videntur, qvam Senatus, praeſidiumqve, urbi impoſitum. Malmogienſes inſigni virtute, animiqve magnitudine ſe defendunt: Anglus, clanculum a Gallo conductus, conſilio, viris, et pecunia Sveones iuvat: unde ei apud ſuos magna invidia conflatur. Praeterea id ſibi Rex ſumit, ut arbitratu ſuo diſſolvat comitia, exemplo antehac inaudito. Batavi ordines generales Omlandiae, ſeparatum gubernandi ius poſcenti, conceſſerunt, contradicentibus occiduis Friſonibus, qvi eam provinciam nolunt ita ſeiungi, ut ſua ſibi comitia habeant, peragantqve. Lotharingus inceptum occupandae Lotharingae nondum perficere poteſt, Creqvio tot, et tam validis cohortibus aucto, aeqvioriqve loco freto, ut putet fore, ut noſtri trans Saravum ſint retroceſſuri. Opinio tamen eſt, ſi Batavi, Hiſpaniqve in Brabantiam moveant, magnoqve cum exercitu contra hoſtem contendant, meliorem Lotharingo occaſionem ſuppeditari, ut tandem res ſuas, Caeſariſqve ex animi ſententia conficere qveat. Ceterum tibi, Domine, tuaeqve familiae, DEVS omnia fauſta, proſperaqve impertiatur. d. VI. Iul. cIↃ IↃc LXXVII.

 CCCCXI.

CCCCXI.

N. POLANTO.

QVem ad te dimiſi iuvenem, Knochii nomi appellatum, eum, priusqvam abiret, teſ monio meo ornandum duxi. Patria Thuring eſt, natalibus honeſtis, vita integra, et proba, m ribus, et ingenio compoſitis, doctrina medioc eaqve eleganti, et civili. Qvibus virtutibus fac le me ſibi conciliavit; nec dubito, qvin eandem c cauſam generoſiſſimo Schleinizio ſe ſit probaturu Animum qvidem ad iuris prudentiam applicav ſed literas humaniores, prudentiaeqve, et hiſt riae artes haud neglexit. Propterea laboris pat ens eſt, et modeſtus, et peritus inſuper ingeni rum bene fingendorum. Igitur abs te peto, eu excellentiſſimo Patrono commendes, meoqve n mine iuves, inſtruasqve. d. VI. Iul. cIↄ I LXXVII.

CCCCXII.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

SVeonum claſſis, altera vice, ductu Nicolai Iue lii, profligata, tanto metu confudit Stetinen ſes, ut iam omnes defendendae urbis conatus i riti eſſe videantur. Ex eius fortuna, et occaſion temporum conſilia inibit Sundium, eo magis qvod Trompius, ſublatis Texelii anchoris, victri ci Danorum claſſi ſupervenit, et fuſos, fugatos qve hoſtes perſeqvi ſtatutum habet. Verum Malmogiae obſidione reiecti ſunt Dani; mult

tri

tribuni, uſu belli inſignes, atqve animoſi, ceciderunt: ut omittam gregarios, qvorum ultra qvingentos deſiderati ſunt. Lotharingus, machinis, atqve omni inſtrumento bellico, et commeatu ſubſidiisqve auctus, traiiciendi Moſellae opportunitatem expectat, qvam omnium opinione habiturus eſt, ſi foederati ex compoſito agmina moveant, hoſtemqve diſtineant: qvanqvam vulgi Batavorum ſiniſtra opinio eſt de expeditione Auriaci, qvem trahere bellum augendae potentiae cauſa ſuſpicatur: ac de eius legato non melius exiſtimat. Fama tulit, Gvilelmum Ludovicum, Ducem Virtembergicum, deceſſiſſe, et Academiae Tubingenſis ſeculare ſacrum luctu impeditum, ac dilatum fuiſſe. Dux Hannoveranus, a Sveonibus alienior redditus, copias cum Foederatis coniunget, et Dano animum, viresqve faciet. Qvibus rebus Auſtria ſibi merito gratulatur, militia felix; ſed domi orba, nec ſine periculo, metuqve creſcens. Imperante Maximiliano I. Germania ex barbara facta eſt culta: potiente rerum Leopoldo ex ebria redditur ſobria, qvando ubiqve in aulis Principum ebrietas in vitio ponitur. Eccleſiae *Proteſtantium* neqve fortuna, neqve perfugium eſt verſus orientem, et meridiem; ſed recipit ſe verſus ſeptentrionem. d. XII. Iul. clↄ Iↄc LXXVII.

CCCCXIII.

CAROLO, L. B. A FRISEN.

ET Academia, et ego, a duobus hominibus, altero Magiſtro philoſophiae, altero Iudaeo,

 nu-

nuper ſacris noſtris initiato, freqventiſſime interpellamur, ut, poſtqvam illis difficilima fortuna horum temporum nullam ſpem apud nos reliqvam fecit, noſtra humilima commendatione efficeremus, ut, petitioni ipſorum locum dare ne gravareris. Qvod etſi ego qvidem aegre a me impetrare potui, et ea in cauſa pertimeſcere coepi iram tuam, qvae hac petendi importunitate, audaciaqve excitari poſſet: tamen, gratia tua fretus, non ſuſtinui deeſſe his viris, qvi unum in te perfugium qvaerunt, ac tantis in anguſtiis verſantur, ut iam deiecti, proſtratiqve, tuo unius ſummo, ſanctiſſimoqve patrocinio allevari a miſeria, atqve erigi in ſpem meliorem poſſint. *Magiſter, de quo ſcripſi, patria eſt Vitembergenſis, annis curisqve confectus, propterea qvod, conſumptis omnibus vitae ſubſidiis,* non habet, unde ſpiritum trahat, niſi de munere ſacro, qvod prenſat, ei proſpiciatur. Nomen ipſi eſt Geſelio, cuius deſiderii ſummam Academia illuſtriſſimo Senatui exponet: idqve ego iamdum facere ingreſſus ſum, qvi in aliena calamitate me libenter praebere ſoleo credulum, promptumqve. Alter, et qvem praecipue commendare debui, Salomon Maier, plane inops, exhauſtusqve eſt, vir ceteroqvi probus, et in ſuſcepta religione conſtans, niſi qvod non habet, unde vitam toleret, familiamqve, hic coeptam, conſervet. Qvare rogat, ut pro ſumma auctoritate, qva pollet Senatus veſter, ei beneficium ex rationibus frumentariis aerarii Principis decernatur. Qvod ſi impetraturus ſit, conditioni ſuae

acqvi-

acqvieſcet, et in rituum noſtrorum pietate, qvam amplexus eſt, perſeverabit. Cuius opera his temporibus Academiae utiliſſima fuit, qvando Iudaeus aliqvis, Iſaac nominatus, poſtea autem ad coetum noſtrum aggregatus, Polonicae militiae inter impedimenta ſerviit, inde profectus, vicinas regiones obiit, et tandem infauſtis auſpiciis huc delatus in pago Academicae ditionis, qvatuor hominum caede manus ſuas imbuit. Qvem unus ille accurate ſciſcitari, et ex legibus ſuae ſectae exqvirere potuit, eaqve in re ordini ſacro inſigne ſtudium navavit. Erit DEVS, qvi hoc cumulatiſſime rependat tibi, qvi hanc gloriam dudum peperiſti tibi, ut exiſtimem, benignitatis laude nihil maius tibi contigiſſe, et credam, eius fructum univerſam gentem tuam eſſe percepturam. Ego Numen ſane oro, ut nunqvam exhauriatur, ſemperqve gaudeas tuis beneficiis, qvae miſeris, afflictisqve collocare ſoles. Apud Malmogiam fere tria millia Danorum caeſa, obtritaqve ſunt: praelium navale, Kalendis Qvinctilibus conſertum, qvo centum abhinc annis nullum acrius inter vicinos ſeptentrionis reges fuit, Sveonibus male cecidit: ſeptem naves maiores captae; reliqvae, partim ictibus perforatae, et merſae; partim, ſubiecto igni, incenſae; partim profligatae, in clauſtra maritima ſe receperunt. Stetinum, ad ultima redactum, iam deſperat auxilium, qvod mari ſibi ſubmittendum promittebat. Vicinum propugnaculum, a vectigali nominatum, proximusqve ad ſtationem, qvae urbi imminet, aditus eſt occupatus:

tus: nec dubito, qvin brevi urbem eadem fortuna ſit conſecutura, intercepto verſus mare, et Viadrum itinere, ut nullus qvoqve iam pabulandi locus relinqvatur. Ad qvod inſtitutum magnopere contulit huius aeſtatis ſiccitas, qvae B. Sverinio, tribuno maiori, paludes, virgultaqve uliginoſa ingredienti, viam, aditumqve munivit. Lotharingo omnis cura in eo poſita eſt, ut trans Moſellam belli ſedem firmare poſſit, qvod propoſitum conſeqveretur, ſi Foederatorum in Brabantiam expeditio Germanicis, Belgicisqve rebus bene vertat. Qvod opto, et omnia mea tibi qvam humilime commendo. d. XX. Iul. cIↄ Iↄc LXXVII.

CCCCXIV.

N. N.

Non te fallit tua opinio, qvando ſcribis, omne illud inane, vanumqve mihi videri, qvod ab uſu, tractationeqve rerum prorſus eſt remotum. Nam publicae converſiones nos in tempore monent, qvae rerum privatarum ſint futurae viciſſitudines, et neſcire ea, qvae in patria cuiusqve agantur, prorſus etiam eſt indecorum. Id vero miror, me ex his animadvertiſſe literis, reperiri, qvi ſubdubitent, qvo loco ſint res navales Sveonum: qvorum ſane claſſis laetis auſpiciis eſt profligata. Etenim iniuſtam eorum cauſam deſerit fortuna, et inſolentiae ſuperioris, conſpirationumqve Gallicarum, qvibus dignitas Germaniae petebatur, iam tandem meritas poenas pendunt.

Faci-

Facile enim talem commutationem providi animo, qvam effugere potuiſſent, ſi maturis, rectisqve Caroli Guſtavi Vrangelii conſiliis locum reliqvisſent. Sed de eo vel abiecte, vel contumelioſe ipſi loqvuntur, et propemodum in mortui cineres poenam, vindictamqve ſatis temere expoſcunt, eiqve ſoli cladem Ferbellinenſem adſcribunt, qvae omnem ipſorum fortunam, coepta, conatusqve eorum ambitioſiſſimos turbavit, qvorum ipſos iam ſero poenitet, pudetqve. Faceſſant nunc alio, et conturbatae reipublicae hunc fructum capiant, ut poſteritas recordetur, eos aliqvandiu in Germania ſedes habuiſſe, et, qvod qvietem pati non poſſent, amiſiſſe. His vero rebus Brandenburgico praemium ſingularis conſtantiae, fortitudinisqve immortale rependitur, qvi recte agendo vim, aſtusqve Sveonum ſuperavit, iamqve in limine ſtat Pomeraniae, qvae omni iure ad eum pertinuit, recuperandae. Tribuni maioris, Sverinii, virtus; dexteritasqve, qva ex paludibus, virgultisqve, et impendentibus periculis eluctatus eſt, valde apud nos celebratur. A Rheno Gallos inter, et Caeſareos velitationes tantum nunciantur, ſperoqve, brevi fore, ut Foederati apud Moſam, Moſellamqve, arma victricia circumferant, et ſuperbum Galli dominatum coniunctis viribus reprimant, atqve infringant. In *Ducatu* Virtembergico vita, et propoſito ſanctiſſimus Princeps, Gvilelmus Ludovicus, deceſſit, et Academiae Tubingenſis Seculare luctu, lacrimisqve impedivit. d. XXIV. Iul. clɔ Iɔc LXXVII.

CCCCXV.
HENRICO, L.B. A FRISEN.

MAgnam laudis poſſeſſionem occupavit Lotharingus, poſtqvam, reiecto Eſtradio, qvi poſtremos militiae ordines infeſtaverat, Moſellam traiecit, laetisqve auſpiciis movit, dignum aliqvid expectatione facturus, ſi trans Moſam in Campaniam usqve Gallicam tendat. Iisdem caſtris magna cum laude verſatur Heres Saxonis noſtri, iuſtisſimiqve belli ſocius eſt, et adiutor: qvae fama tanta eſt, ut in caſtra Brandenburgica permanaverit, Principsqve ipſe miratus fuerit, qvod ad ſocietatem periculi bellici tam prompto, firmoqve animo accesſiſſet. Iam enim maxime ibi ſe aperit gloriae campus, et fructus ſe oſtendit domui Saxonicae amplisſimus, qvi, ſi nullus alius, hic certe futurus eſt inſignis, atqve optimus, ut contra vicinas aemulationes ſuis ſemper conſiliis, viribusqve muniatur. Cum Sveonibus miſere agitur. Nam et praelium terra, d. XIV. Iulii conſertum, haud ipſis proſperum eveniſſe, accepi; Danos ſolum ſtationes in campo tutatos fuiſſe, et cladem clade penſaſſe. Sveones deſiderant Helmfeldium: ſi vera eſt fama, eius iactura illi regno graviſſima erit. Omnia prope in ipſorum exitia conſpirant. Brandenburgicus in eo laborat acriter, atqve vehementer, ut de Pomeraniae citerioris, et ulterioris praeſidiis deiiciantur. Stetinum ſane in tantas anguſtias eſt adductum, ut non posſit non deditionem polliceri. In campis Catalaunicis ſigna con-

contulerunt Montereus Comes, et Nevallius: huic autem receptus ad ſalutem profuit: qvanqvam Galli feſtis gaudiis hinc inde victoriam ſibi arrogatam celebrarunt. Foederatorum expeditio in Brabantiam magnum terrorem, atqve trepidationem Gallis attulit, ſiqvidem hoc agunt, et ſtudent Hiſpani, ut Galliae Regi magnae, et difficilis ſatisfactionis praeſtandae neceſſitas imponatur. Illorum mores, exemplumqve ſeqvuntur Brandenburgicus, et Danus: ceteri ſine dubio per ſe celerius hoc, diu, multumqve expeditum, pacis negotium confecturi eſſent. Interim pro tua felicitate, Domine, vota, precesqve DEO immortali nuncupo, et opto, ut illuſtrisſimus frater, qvem non belle habere accepi, qvamprimum convaleſcat, et illuſtrisſimo filio tuo omnia feliciter eveniant. d. XXVII. Iul. cIↄ Iↄc LXXVII.

CCCCXVI.
ADAMO CHRISTOPH. IACOBI.

NOn abeſſem a culpa, vitioqve ingrati hominis, ſi tuorum ſane maximorum beneficiorum recordatio mihi non qvotidie iucunda eſſet, cum, qvod omnes tuae rationes cum ſumma benignitate conſentiunt; tum, qvod in actionibus tuis tuendam literarum dignitatem tibi propoſuiſti. Nam et Academicos nos induſtriae ſubſidiis, et ingenii promptiſſimi laude vincis, meqve, aliqvid conantem, exemplo tuo magis, magisqve accendis, adeo, ut cenſeam, me plus ex tua dignitate, qvam meis laboribus conſecuturum. Qvare oro DEVM,

ut hanc gloriae poſſeſſionem tibi perpetuam eſ
velit, et tuae familiae propriam, cui augendae n
tus eſt Chriſtianus tuus, in qvo amando, iuvand
qve ſemper diligentiſſimus ſum futurus. Eqv
dem huic et natura, et fortuna maturam indolen
qvaſi qvodam aetatis privilegio, tribuerunt, ut c
teri habeant, in qvem intueri poſſint, qvem
qve ſeqvi debeant. Si qvid ergo ſtudii in me e
non melius conferre potero, qvam ad ornandu
hunc filium, cuius et animus, et opera, excit
tumqve ingenium, perqvam mihi placet. Cet
rum libri, qvo antiqvitates Eccleſiarum Britann
carum continentur, auctor eſt Parqvetus, Antiſt
Cantuarienſis, vir reconditae doctrinae, et ab V
ſerio, eius cive, etiam mihi proditus, qvi n
ex ineptis ſchedis, aut vanis, incertisqve rumor
bus; ſed optimis, praeſtantiſſimisqve Angliae t
bulariis ſubſidia ſibi eximia comparavit. Spen
rus amicus meus qvid de rixis Theologorum ſe
tiat, ex ſubiecta Epiſtola videbis. *Me qvippe*
rebus non immiſceo, et qvantum in me eſt, cup
optoqve ut his litibus ad exitium eccleſiae ſpecta
tibus, finis imponatur, ne res, in extremum deduc
diſcrimen, autoribus labem pariter, atqve Acad
miae aſpergat. Obſidio Caroloregiae non met
ſed iudicio ſoluta eſt, ne Hiſpani conſiliis diffici
bus, et moroſis ſpem pacis remorari poſſent: qv
futurum fuiſſet, ſi ea urbs, pactione Aqvisgrane
A. cIↃ IↃcLXXVI. Gallis ceſſa, in eorum poteſ
tem rediiſſet: qvamqvam alii, id auctoribus An
accidiſſe, exiſtimant, qvippe cum qvorum re

A

Auriacus neceſſitudine coniunctus eſt, et matrimonium ibi, fortunaeqve ſuae incrementa ſperat. Ita magnae, et ſumptuoſae expeditiones irritae ſunt, et in miſeria civium, Germanico Imperio obedientium, terminantur. Stetinum proxime a deditione abeſt, et ad exitium uſqve eſt pertinax, poſtqvam Koenigsmarckius ſpem ipſis fecit Brandenburgici, in Pruſſia per manipulos in Polonia collectos, diſtinendi, qvod neſcire non poteſt, actum de ſe eſſe, ſi Stetinum dedatur. Sed haud temere rumori aſſentiar, qvando iam omnes vires ſuas perdiderunt Sveones, nec in ullo vicino praeſidium collocare poſſunt, toto mari profligati. Schulzius, Cellenſis conſiliarius Sanctior, et in curia princeps, et qvondam Senatus Imperialis, qvi Viennae eſt, aſſeſſor, Auſtriae, ſi qvisqvam, ſtudioſus, e vita migravit, cui primus gloriae gradus eloqventia fuit, qvam ſumma laude in comitiis demonſtravit, qva peperit ſibi tantum nomen, ut, priusqvam reipublicae negotia tractaret, doctor fuerit harum literarum, qvas humaniores appellamus, qvasqve tu, Patrone, ornas, et ſoves. d. XXIV. Auguſt. cIɔ Iɔc LXXVII.

CCCCXVII.
N. IVNGHANSIO.

Abeunti id unum mihi praeter opinionem accidit, qvod Hubnerus manuſcripta, eaqve affecta ſolum, et notis, qvas univerſe nemo intelligit, ſignificata, qvae ciſtae incluſeram, non recte curavit, nec tantum me fructu diligentiae; ſed fere

fere etiam utilitatis fraudavit. Abs te igitur omnibus modis contendo, ut repetas, qvod non tam dolo, qvam tumultuaria diligentia eſt omiſſum. Nam tres plagulae, cum iisqve L. B. Friſii epiſtolam, et indices meos tres deſidero, adeo qvidem, ut redire neceſſe habeam, niſi recipiam, nec velim pacto continuandae Sleidani epitomes ſtare, niſi qvamqrimum reſtituantur. Itaqve fac, ut ſciat Hubnerus, et ſolicitate circumſpice, ut accipiam, qvae mea ſunt: cuius te operae non pigebit, qvem futuro vere Italiam inviſurus, comitem aſciſcere decreverim, ut ephemeridem itineris cuſtodias, ſumptu patrocinioqve cuiusdam ampliſſimi viri, qvi propoſitum hoc urget. Volhardi fides periclitatur: et ſubvereor, ne vidua Kleriana brevi ipſum in ius ambulare cogat, qvippe qvae, viginti numos unciales ab eo ſibi deberi, affirmat. d. XXIV. Aug. cIↄ Iↄc LXXVII.

CCCCXIIX.
CHRISTIANO IACOBI, A. C. FIL.

REm feciſti pulcherrimam, qvod de ineundis ſtudiorum rationibus, in qvibus neqve tibi ingenium, neqve mihi voluntas deeſt, meam qvoqve ſententiam perqvirendam eſſe duxiſti. Etſi enim ultro honori, commodisqve tuis ſtudeo, et vias, occaſionesqve omnes tibi inſerviendi circumſpicio: tamen non poteſt mihi diſplicere iſte conatus tuus, propterea qvod ad laudem tuae induſtriae

ſtriae permultum momenti habet, magnamqve mihi de te ſpem praebet. Tua enim refert, ut, qvanta potes diligentia, familiae tuae decus amplifices, aetateqve tua recte utaris. Scriptores, qvos tibi commendavi, et tranſitionis, et connexionis artem docent, qvo numero ſunt Iacobus Hugues, et Horatius Tuſcanella. Particularum ſignificationes expoſuit, et diſtinxit Horatius Turſellinus: adiuncta, ſive epitheta nominum, et verborum Ciceroniana ediſſeruit Iacobus Cellarius, vir in eo genere accuratus, diligensqve. Geometriam tractanti applaudo, et volo, ut inſtitutum, cuius te nunqvam pigeat, perſeqvaris, ſiqvidem hac ſcientia nobiliſſima, maximeqve laudata ſemper fuit. Nihil temere qvoqve facias, ſi, dum literas, publice afferri ſolitas, legis, locorum ſitus, intervallaqve in ſubiecta tabula demonſtrari tibi a docto fideliqve viro petas. Multum enim tua intereſt haec te ſcire, ſine qvibus doctrina civilis perfici, abſolviqve non poteſt. Nec hiſtorici munere fungatur, qvi eius qvidem ſtudii rationes ignoraverit, qvod eo pertinet, ut cuiusqve loci ab alio diſtantia, provinciarum fines, poſitusqve, et viae, itineraqve omnium terrarum probe teneantur. Qvod, nihil dubito, qvin privata induſtria conſeqvaris, ſciasqve, me vehementer gaviſurum, ſi omnia tibi bene atqve ex animi ſententia ſuccedant. Vale, et magnificum parentem ſaluta. d. XXX. Auguſt. cIↄ Iↄc LXXVII.

CCCCXIX.

CCCCXIX.

N. N.

TEr abs te ſalutatus non defui partibus meis, et ſtatim te, nobiliſſimosqve iuvenes, fidei tuae commendatos, pro eo, ac par eſt, reſalutandos curavi. Literas diſtuli uſqve in hanc occaſionem, qvod tamen, non putabis, ulla erga te officii oblivione factum; ſed qvia priores tuas expectavi, ut de ſtatu tuo, et qvo in loco conſiſteres, accurate ſcirem. Illud vero mihi vehementer acerbum fuit, qvod de nobiliſſimi Braunmanni exceſſu audire contigit, qvi ſummam mihi expectationem fecit, et exqviſitiſſimas vitae rationes cum doctrina ſolida coniunctas habuit. Videor mihi eius probitatis, diligentiaeqve imaginem in muſeo meo intueri qvotidie, et prope immoderate eius obitum fero. Niſi religio melior me imbuiſſet, fata ipſa in culpam vocarem, qvae iuvenem, ſummo ingenio, pietate incomparabili, moribus optimis praeditum, non familiae tantum ſuae; ſed univerſae patriae eripuerunt. Sed ita agitur nobiſcum: multi vivunt ineptiis, curruptelisqve depravati homines: boni, atqve omni laude eximii moriuntur. Atqve hunc dolorem fere conſopitum nolo refricare, ſanctiſſimis eius manibus bene precari contentus, ut, qvale monumentum in cordatorum animis ſtruxit ſibi et firmavit, tale praemium in coelo conſeqvatur. Ego mecum conſtitui futuro vere Italiam petere, et in omnes vitae civilis par-

tes, occaſionesqve animum intendere. Eo conſilio magiſtrum illius lingvae mihi aſcivi, et lego ſcriptores optimos, et animi cauſa interpretor. Iam in manibus eſt Strozza Pallavicinus, qvi hiſtoriam concilii Tridentini monumentis commendavit, et non ſolum Paulum Sarpium Servitam; ſed etiam Ioannem Sleidanum ſatis ſpecioſe caſtigavit, multasqve reconditas rationes in lucem produxit, qvas non exiſtimo nullius eſſe momenti. Tum magni aeſtimo hiſtoriam Vittor Siri, qvam tamen integram nanciſci nondum potui. Nec Franciſcum Guicciardinum elogiis ornabo, qvippe qvem merita ſua commendant, dignusqve eſt, ut ab unoqvoqve legatur cum ob Etruſcam elegantiam, tum ob prudentiam plane ſingularem. Hiſtoriam Mantuanam Lambecii optarem continuari; ſed, ut Dreſdae audivi, eo ſcripto offenſam auguſtae viduae incurrit, qvod non dubito, qvin cognitum habeas. Hieroclis Pythagorica, et qvae extant de providentia, et fato, illuſtria morum capita complectuntur, qvorum exemplum ab Elerto expecto. Dresdae enim avidiſſime perlegi et probavi. Athenaeum, Freheri tomos IV, rerum Germanicarum, et Matthaeum Pariſium, per Schulzium Hamburgenſem meo ſumptu ex Batavia curabis, et, ſi id feceris, ſummo beneficio tibi me obligabis. De cetero, qvae facies Europae ſit, propius in itinere tibi licet explorare. Brandenburgicus omnibus modis tentat expugnare audaciam Stetinenſium, qvos ultima paſſuros fama eſt. Nova tormentorum ſuggeſta excitat idem, ut igni ad obſeqvium redigat, operaqve praeſtructa

cta deiiciat. Miror homines, deſtitutos auxilio, et ſolis Koenigsmarckii promiſſis erectos, tantum ſibi ſumere poſſe, ut de hoſte maximo etiam abiecte, qvaſi deſperati, loqvantur. Schombergius, conſiliarius Saxonicus, qvi hodie hac tranſiit Berolino redux, affirmavit, dixiſſe Principem *Electorem*, ſi vel tertiae partis regionum ſuarum impendio ea expugnatio ſtare ſibi deberet, urbis potiundae locum fore. Qva ſubacta, tota Pomerania facile tranſibit in eius poteſtatem. Serenisſimus Daniae Rex Kalendas Iunias, Iuliasqve felicisſimas habuit, Sveonibus toto mari profligatis. Alterutri praelio durior fortuna fuit; neqve ſic tamen Dani animis ceciderunt, et ſtationes in campo fortisſime tutati ſunt. Damnum obſidionis Malmogienſis iamdum ſupplementis novis refectum eſt: iacturam militum duae victoriae navales ſarciverunt, nomenqve veſtrae gentis nobilisſimum maxime formidandum reddiderunt. Nihil Regi carius conſtat, qvam opera, auxiliumqve Monaſterienſis Antiſtitis, qvi proxime in conventu Bremenſi obtinuit, ut Rex, atqve Luneburgici iure ſuo in *Archiepiſcopatum* Bremenſem cederent, ſubſidia belli, pecuniamqve in ſatisfactionem accepturi. Qvod ut fieret, Caeſaris nomine effecit Vindiſchgraecius, ut eo modo omnis recuperandae eius ditionis ſpes Sveonibus praecideretur, totumqve Antiſtitum Pontificiorum robur eorum potentiae opponeretur. Galli enim pro audacia ſua, fortunaqve horum temporum minantur, adhuc omnia pro Sveonibus, in antiqvas poſſesſiones reſti-

reſtituendis, experiri velle. Qvi tanto nunc loqvuntur inſolentius, qvod Caroloregiae, obſidio inita fuit, ex qva ſpes Caeſareae expeditionis pependit. Sed ſive tergiverſationi praetoris, ſive molitionibus Anglorum, pro Gallo annitentium, ſive ſtudio recuperandae celerius pacis factum ſit, profecto fateri me oportet, occaſionem adigendi Gallos ad amplectendas conditiones pacis, Imperio, Foederatisqve eius honorificas, fere omnem nunc amiſſam eſſe: qvanqvam haud inficior, propter Hiſpanorum difficilia, et moroſa poſtulata, hoc admiſſum videri poſſe, qvippe qvod ii, recepta Caroloregia, ſumere maiores ſpiritus, et omnia poſt pacem Aqvisgranenſem occupata caſtra repoſcere ſtatutum animis habuiſſent. Rector Belgii Hiſpanici, Dux Villa Hermoſa, animo in Auriacum certe eſt offenſo, miſſionemqve muneris ſui petit, ſuſpectum habens legatum eius, qvaſi conſilia interiora enunciaret hoſtibus, et penſiones ab Rege acciperet. Auriacum qvoqve connubii in Anglia ſpes, et cognatio cum Regia ſtirpe, et ſucceſſio, ſi illa deficeret, Anglo, in Gallum prono, conciliant, obligantqve. Sed non eſt animus ea perſeqvi, qvae tu in vitae luce qvodammodo intueris. d. XXXI. Auguſt. cIↄ Iↄc LXXVII.

CCCCXX.
HENRICO, L. B. A FRISEN.

VErberato continuis ictibus intervallo iam ita fracta eſt pertinacia Stetinenſium, ut animis

cadant. Eos, ad obſtinationem incitatos, accendit magis, et confirmavit ſacerdos, qvi ea de cauſa in caſtris Brandenburgicis male audit. Lilienhoeckius Gedani regis Poloniae auxilium ſolicitavit; ſed, ut credo, auctoribus haud levibus edoctus, repulſam tulit. Gedanum male ſibi conſuluit, poſtqvam regem, ſex millibus ſtipatum, contra morem antiqvum, et conventa pacta, in urbem admiſit: qvod non futurum erat, ſi Senatum inter, atqve populum concordia fuiſſet. Spira Nemetum pari exemplo ſibi timet, qvod Antiſtes eius urbis, idemqve Princeps *Elector* Trevirenſis, Ioannes Hugo, deſignatus, inauguratusqve eſt iudex tribunalis Spirenſis, cum qvo ei, ob antiqva privilegia, non convenit. Batavi urgent pacem, et primi forte erunt, qvi ceteris eius ineundae exemplum tradent; immo, qvantum in ipſis eſt, leges ferent. Difficilimi ſunt Hiſpani, in qvorum regiones Galli ferro, igniqve graſſantur, perinde ac ſi haec maturandae pacis cauſa ſola, atqve ſufficiens futura eſſet. Caeſareus exercitus traiecto Saravo in Alſatiam tendet, ſubſidio venturus copiis, qvibus cum imperio praeeſt Dux Saxo Iſennacenſis. Caroloregiae obſidio ſoluta eſt in regis Angliae gratiam, celeriorem pacem promittentis, ſi omiſſum eſſet conſilium, paci duntaxat impediendae, moraeqve trahendae aptum. Ita rebus infectis Lotharingus retroceſſit, indignantibus Hiſpanis, adeo, ut Villa Hermoſa, regendo Belgio Hiſpanico huc usqve impoſitus, de legato Auriaci abiecte locutus fuerit, miſſionemqve muneris

neris petierit. Dani adhuc mari prae Sveonibus valent, Colmariamqve, Gothiae, meridiem ſpectantis, caput, civitatem portu, et operibus firmam, navigationeqve, et commerciis florentiſſimam, occupaturos ſe ſperant. Proxime hic fuit Saxo noſter, et cives, imperio obedientes, ſubiectosqve, in primis Patres Academiae, ſummo beneficio affecit, et, ubi domicilia, et bibliothecam viderat, clementiſſimus hoſpes noſter eſſe voluit. Affuit prandenti Princeps Serveſtanus, Carolus Gvilelmus, opem, et conſilium petens, poſtqvam litem, cum *Reformatis* coeptam, Brandenburgicus ſuam fecit, et ſuſpicionem haud vanam attulit hoſpitiorum militarium, per futuram hiemem ibi deſignandorum. Ego vero, Domine, pro incolumitate tua, et felicitate itineris Filii tui, tota mente, animoqve vota nuncupabo. d. VI. Sept. cIↄ Iↄc LXXVII.

CCCCXXI.

IO. GEORG. BOERNERO,
IC. Dresd.

COmmendationem meam apud te valuiſſe, vehementer gaudeo, et cupio in omni re cauſaqve viciſſim, qvoad potero, gratificari. Ex qvo enim Dreſda reverſus ſum, maximam laetitiam ex literis tuis cepi, qvod veterem amicum, et nulla ſua culpa miſerum, tam benigne acceptum Halenſibus qvam prolixiſſime commendaſti. Qvod ad commutatas Europae res attinet, haud ſine

cauſa qverimur, Auriacum Caroloregiae obſidionem ſolviſſe, et Gallis cum magis inſoleſcendi occaſionem, tum vires amplificandi ſpatium dediſſe. Atqve id vehementer offendit Hiſpanos, adeo, ut Lotharingum fere taedeat ſumptuoſae expeditionis, et Villa Hermoſa muneris ſui miſſionem petat: qvanqvam non deſunt, qvi Auriacum excuſant, affirmantes, non metu, aut ignominia; ſed iudicio factum eſſe, qvod vulgo, tanqvam probrum, obiiciatur. Nam, ſi Caroloregia, qvae pace Aqvisgranenſi ad Gallos pervenit, armis recuperata in ditionem Hiſpanicam rediiſſet, pacis conficiendae negotium difficilius redditum fuiſſet, qvippe maiora, et plura poſtulaturis Hiſpanis, qvam ratio ſocialis militiae latura eſſet. In Hungaria rapinis, tumultibusqve omnia miſcentur, auctoribus Gallis; nec video, qvomodo exitio ſuo Hungaria eripi poſſit. In Polonia diſcordi, in Turcarum potentia, Ruſſicis armis diſtracta, Tranſylvaniqve ignavia nullum certe praeſidium eſt futurum. Interim rebelles, qvi ſic nominantur, totum agrum igni foedant, omnem gratiae reconciliationem deſperantes. Dumqve ita diſtinetur Caeſar, vires Gallicas aeqvare non poteſt, ope, ſubſidioqve Foederatorum deſtitutus. Etenim Auriacus, propter magna, et multa ſua commoda, ſpesqve ampliſſimas, in Anglum propendet, cui etiam neceſſitudine eſt coniunctus. Angli autem ſummum ſtudium in Gallos, amorqve, pecunia emptus, neminem fugit. Sveones ut pacem, ſuperiori tempore propemodum iam coa-

leſcen-

leſcentem, facta irruptione, diſturbarunt: ita credo fore, ut propter eos Gallus tandem in pacem conſentiat, non paſſurus, ut potentia navalis ipſorum prorſus deleatur, qvae Kalendis Iuniis, et Iulii tantam iacturam accepit, ut toto hoc anno debilis ſit, Daniſqve impar. Stetinum male ſibi conſulit, qvando Batavi pro Brandenburgico nituntur, ut ſatisfactionis cauſa illud dedatur, qvorum negotiatores promiſerunt, ſi vel in cineres redigatur, effecturos, ut pulchrius inſtauretur: etſi, inclinante hoc tempore anni mihi non videtur, vi ad deditionem poſſe compelli. Tranſiit hac rei militaris peritus, qvi affirmavit, conſilium hoc non fuiſſe ex utilitate Saxonis, qvod ad eam urbem obſidendam pertinuiſſet. Sed ea non dedita nihil ſecure eorum, qvae nuper in Pomerania occupavit, retinebit. Schuzius Cellenſis proxime deceſſit, vir prudentia, conſilio, uſu maximus, parteſqve Auſtrias ſemper amplexus, cuius obitum, non dubito, qvin graviter ferat aula Vindobonenſis. D. XXVII. Auguſti Saxo noſter Academiae multa, et magna clementiae, benignitatiſqve monumenta reliqvit, qvando, convivio exceptus, non aliter nobiſcum egit, qvam literarum, atqve ordinis noſtri Pater. Kal. Septembr. cIↄ Iↄc LXXVII.

CCCCXXII.

ADAMO CHRISTOPH. IACOBI.

Scriptor libri, qvi ad vitam ſancte inſtituendam pertinet, cuius nomen, cum non ita pridem

 tibi

tibi praeſens eſſem, animo non occurrebat, Ludovicus Hilleſſemius appellatur. Is pari cura et ſtyli, et pietatis laudem retinuit, et, qvod Cicero ad Marcum, idem ille ad filios ſuos extare voluit publicae admonitionis monumentum. Qvem cur filio tuo legendum commendem, multae ſane cauſae ſunt, et vel haec praecipua, qvod verſatur in argumento pio, nitideqve deſcripto, qvod cum Ciceronis Officiis, et Plutarchi Moralibus, utilitate, et tractatione optima coniungi poteſt. Veniatqve in hoc medium, ſi placet, Lactantius, qvo nemo gravius, nemo elegantius myſteriorum capita explanavit. Franciſci Balduini Conſtantinus, et leges Stoici per aurigam afferuntur, ut facultas inſpiciendi ſit, et iubendi, qvid ex eis deſcriptum velis. Sedinum adhuc in ſummis eſt anguſtiis, et brevi erit occaſio, ut de eius deditione, qvam iam ante factam falſus rumor ſparſerat, ad te perſcribam. d. XIV. Sept. cIↄ Iↄc LXXVII.

CCCCXXIII.
IOACHIMO FELLERO.

ABs te aliqvoties ſalutatus non potui officium negligere, rogatus praeſertim a duobus amicis, qvi, Lipſiam tranſituri, cupiunt videre rem librariam Academiae Lipſienſis. Qvibus ut hoc concedas, peto, et amicitiae qvodam iure exigo, nihil viciſſim omiſſurus, qvod me flagitare velis. Scharſchmidium vehementer perſtrinxit Puſendorfius, qvod, non dubito, qvin legeris. Vinte-

rus,

rus, praefectus ſcholae oppidanae, cras nuptiarum ſolemnia celebrabit. Hekelius, qvi Dreſdae commoratus, obſecravit me, ut te ſalutarem. Is fortunae ſuae rationes poeſi conſecratas cupit, et Vittenbergam ſibi deſtinat, ac ſine dubio profeſſionem ſpectat, cui tua commendatione pondus afferri poteſt maximum. Ego enim, ſi fortuna aliqvando meum inſtitutum commutaverit, illi vel tua cauſa non ſum defuturus. d. XVI. Septembr. cIↃ IↃc LXXVII.

CCCCXXIV.

N. N.

MAgnopere probo animum, qvem mihi declaraſti, propenſisſimum, et, pro eo, ac par eſt, ſanctam, inviolatamqve amicitiam vicisſim tibi ſpondeo, et polliceor, cupioqve omni tempore occaſionem mihi dari, qva ſtudium, operamqve tibi navare posſim. Illud autem tecum graviter fero, qvod ſint homines tam iniqvo animo, ut non modo non ament prudentiam iuris publici; ſed ne doceri qvidem patiantur. Qvam fortunam ſemper tecum communem habui, adeo, ut apud Saxonem delatus fuerim, qvaſi non recte de dignitate ſtirpis, qvam ab alio, qvam a Vittekindo, multi ducendam exiſtimant, loqvi, et ſentire conſveviſſem. Purgavi me, et, in qvo ea qvaeſtio vertat, et, qvod iuri, dignitatiqve Saxonicae fraudi eſſe non posſit, idoneis, ſufficientibusqve argumentis oſtendi: neqve ſic tamen mea ſententia periculo vacavit, niſi ope, patrocinioqve

purpurati cuiusdam iis ex moleſtiis expeditus fuiſſem. Itaqve haec miſſa facio, et nihil plane mihi indulgeo, ne praepotentium offenſas incurram, hoc praecipue tempore, qvo repentinus caſus ſuam eripere hiſtoricis libertatem poteſt. Fallax, infidum, ſuſpicioneqve plenum eſt ſeculum, et cauſas odii ſaepe qvaerit, dum non habet, et, qvibus omne officii genus debebat, acerbitatem, inſectationesqve rependit. Qvod tibi praeter omnem culpam accidit, perinde ut mihi, cui ius, poteſtatemqve publice diſputandi invidia ademit. Cumqve ea de cauſa Dreſdam peterem, et, qvid de litibus Academiae ſentiret Aula, cognoſcerem, ſilentio acqvieſcendum duxi. Interim nihil ago: diſputare non audeo: ſcribere eſt periculoſum, et diffidii cauſas captare patronis videntur, qvi de his, ac talibus rebus eos interpellant. Igitur certa ratio me huc induxit, ut firmo animo patiar, qvod mutare non eſt integrum, ne collectam gratiam, recuſato obſeqvio, effundam. Ipſa etiam eruditio interior multis inviſa eſt, nec multi curant, qvalis conditio eorum ſit, qvi cum docendi moleſtiis conflictantur. Sive enim qvid conamur, odio eſt; ſive conari deſinimus, negligentiae loco dicitur. Saepe mecum reputo, qvid ſummis viris, Hortledero, Bruſchioqve acciderit, qvi optimis meritis ſummum ſane periculum adierunt. Credo, plerosqve praepotentes proceres, qvorum gratia adverſarii noſtri ſe muniunt, ad hanc ſuſpicionem, de noſtris ſtudiis conceptam, temeritate Oldenbur-

geri

geri excitatos eſſe: de qvo, accepi, Viennae dixiſſe purpuratos, ſi bellum confectum eſſet Gallicum, vel in Indiam profugo animadverſionis ſuae exemplum expectandum fore. De Pufendorfii offenſis praeſens aliqvando tibi Lipſiae commemorabo, qvippe qvod in his regionibus omni prope ſpe gratiae, honorisqve excidit. Et nuper qvidam in vicina Academia in Thuringiae rebus non modo non ſatisfecit; ſed plerisqve etiam talem ſuſpicionem movit, ut mirarer, cum audirem. Commodum tunc uſu venit, ut de iure publico, qvod in Academiis docetur, mentionem facerem. Vix hoc dixeram, cum alius ſubiecit, iis rebus et a iure civili abduci iuventutem, et praeiudiciis impediri, et novis opinionibus corrumpi. Excuſavi hoc, ut potui: ſed alius reponebat, abditas eius artis rationes aulas ſibi ſervare, et, qvae ab Academiis doceantur, ab unoqvoqve iuris perito poſſe intelligi, ſi ad conficienda negotia adhibeatur. Vna opera notabatur qvidam, fama, meritisqve egregius, vir, qvi, inſtaurato hoc ſtudio, viam ad disſidia Principum muniviſſet. Hinc vehementius in Scharſchmidium dicebatur, qvi hoc ageret, ſtuderetqve, ut ſuis auditoribus ius civile privatum diſſvaderet, publico contentus. Ego, qvid ille faceret, ignarus, pro cauſa Profeſſorum pro viribus ſteti, atqve de tua cauſa ſic exiſtimavi: cedendum eſſe qvodammodo tempeſtati, cum, qvod iureconſulti, praecipue Bornius, qvem tamen, non credo, tibi in ea re eſſe adverſum, maxime in aula valent, tum qvod iuris

publici titulum in odium, praeiudiciumqve tuum interpretari poſſunt. Tum vero, mea opinione, ad diluendum obiecta ſufficit, qvod non iuris publici formam, rationemqve, prout ad iurisconſultos pertinet, ſed eius tantummodo, imperiiqve actorum hiſtoriam, legibus prudentiae civilis ornatam, inſtructamqve, exponere voluiſti. Eo ſenſu ius publicum intellectum, id eſt, finibus commentationum hiſtoricarum, et publicarum comprehenſum, ad iuris peritiam, qvippe qvae eo ſe non porrigit, nullo modo ſpectat: etſi hiſtoria, qvam philoſophia civilis expolit, et qvaſi animat, omni iure haec complectitur, et tractat. Hinc fundamenti rationes depromit iurisconſultus, et, qvatenus ab hiſtoria civili edoctus de iuſto, iniuſtoqve tandem ſententiam dicit. Ne nunc dicam, multum intereſſe inter iurisperitum, et iuris prudentem: qvanqvam vix conſultum ſit de induſtria irritare crabrones, qvos, temperamento iuſtae, moderataeqve defenſionis, a nobis avertamus, qvo et muneris, et dignitatis noſtrae fines ſic caute, circumſpecteqve tueamur, et litigandi temere, rixandiqve ſuſpicionem, qvam nullo etiam merito philoſophis ſaepe tribuunt, imputantqve, rerum noſtrarum ſatagentes evitemus. d. XIX. Sept. clɔ Iɔc LXXVII.

CCCCXXV.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

RVgiae oppugnatio ſimul incepta, et confecta eſt, qvae non modo Sundii horreum; ſed etiam

iam praeſidium fuit: qvo futurum ſperat Brandenburgicus, ut Sedinum pertinaciae cauſas mutet, commutataqve Sveonum fortuna moveatur ad faciendam deditionem. Ea res ſic geſta eſt. Dani, claſſe ad litora appulſa, milites in planiciem, qvae inter duos montes interiecta eſt, ſumma cum ratione, conſilioqve expoſuerunt. Nam Koenigsmarckius, in Sedini fortunam erectus, commodum vires diſtraxerat, atque inter Sundium, et Gryphisvaldiam cum parte copiarum conſtiterat auctor idem, et hortator, ut ultima expectarent Sedinenſes, ſpe pacis Nimmegae coaleſcentis freti, iuxta qvam in poteſtate, ditioneqve Sveonum manſuri eſſent. Cum enim auxilium amplius polliceri non poſſet, hanc reperit fallaciam, ad incautum, et per ſe firmum propoſito populum in fide Regis Svedici retinendum. Interim Dani a Brandenburgico ſubmoniti, inſtantisqve hiemis periculum veriti, omnes vires ad invadendam Rugiam comparant, conſiliumqve excenſionis feliciter exeqvuntur. Multi Danorum, per anguſtum locum ſubeuntium, ceciderunt, qvos tamen Sveones, celeritate hoſtis praeoccupati, aditu prohibere non potuerunt. His rebus commonefactus Koenigsmarckius obviam hoſti proceſſit, contractis undiqve auxiliis ultimam belli fortunam tentaturus. Sed propulſatus Sundium cum parva manu ſe recepit, qvod, adempta Rugia, non habet, unde annonam accipiat, et res defenſioni neceſſarias. Atqve haec converſio effecit, ut Sedinenſes iam obſtinationis ſuae poeniteat, vulgusqve deſinat vehementius di-

cere

cere in Brandenburgicum, et plane etiam noſſo ſortem ſuam, in qva fortuna maxime dolent, tot impenſas ab ſe pro Sveonibus factas, pecuniam in primis mutuo datam, qvam, dedita urbe, nunqvam eſſent recepturi. Qvae opinio eos non fallet. Optandum ſane eſſet, ut pari felicitate Gallicum iugum ab Alſatia, qvae iterum incendiis foedatur, depelli poſſet, qvod Germanis magnae laudi, ſalutiqve futurum eſſet. Sed, ſive Batavi non ſervarunt propoſiti perficiendi fidem, ſive occaſio a noſtris neglecta eſt, ſive loci, et annonae difficultates obſtiterunt, res Germanica ad Rhenum nimis videtur eſſe inclinata. Lotharingi conatis ſemper praevertit Creqvius, et aditu intercluſit noſtros, qvem ferro aperire difficilimum erit. Nec melior ſucceſſus fuit apud Baſileam, ubi copiae foederatae magna impedimentorum militarium iactura ſe receperunt, et locum, qvem ad reprimendos Gallos delegerant, Gallis, ſubſidio Creqviano auctis, permiſerunt. In qvo negotio probavit inſignem rei militaris prudentiam Monglaſſius, et duram ſuperioris aeſtatis fortunam bene, ſapienterqve emendavit. Batavi difficultates numarias, et prope ignaviam tribunorum qveruntur, resqve ibi miſeriores ſunt, qvam ut dici poſſit. In Moſchorum caſtris Coſaci fidem, officiumqve deſeruerunt: Poloni, tanqvam otioſi ſpectatores, in dubia, incertaqve pace conqvieſcunt. Turcae, Coſacis in fidem aſſumptis, ad huc tamen diffidunt viribus, Moſchiqve potentiam ſubverentur, fatalem qvippe ſibi, et pernicioſam futuram, ſi Coſaci

pro

pro more ſuo rurſus fidem mutarent, parteſqve Moſchorum de integro amplecterentur. Interea te DEVS ſalvum, ſoſpitemqve, cum filio, totaqve illuſtriſſima familia, praeſtet. d. XXI. Septemb. clↄ Iↄc LXXVII.

CCCCXXVI.

ANDR. ERASMO SEIDELIO.

TVa conſvetudo mihi eſt iucundiſſima, et mirifice heri me colloqvium tuum recreavit, dum Caſtorem, et Pollucem, ex Tranqvillo, et Valerio Maximo illuſtrandum ſumeremus, Caeſareſqve ipſos, poſt mortem triumphantes, in numis intueremur, et antiqvitates haud vulgares ſic ſatis qvidem diligenter erueremus. Qvod eiusmodi eſt, ut tibi gratias agere neceſſe habeam, qvod multum ſtudii ad hiſtoriam Romanam, a me expoliendam, doctiſſimis pariter ſermonibus, et duraturis ad poſteritatem monumentis conferre voluiſti. Numos ipſe tibi praeſenti reddam: interim delectationis fructum mihi uſqve ad diem craſtinum concedas. Cunctatio Tiberii a me in bonum omen accipitur, et probum, maturumqve aliqvid pollicetur. De coena Platonica aeſtimabis bonum erga te animum meum, et credes, me ſemper tibi deditiſſimum fore. d. XXII. Sept. clↄ Iↄc LXXVII.

CCCCXXVII.

CCCCXXVII.

ADAMO CHRISTOPH. IACOBI.

Ex thermis Teplicenſibus reverſo tibi gratulor, qvod ſalvum, ſoſpitemqve iterum Dreſda te excepit, et fortunae, ac ſaluti publicae, cui tu maxime prodeſſe ſoles, ex animi ſententia ſervavit. Sveonum imminutae res, occupata Rugia, non modo populum Sedinenſem; ſed etiam Sundenſem, cui ex ea inſula omnis annona affertur, dubium, atqve ancipitem relinqvunt. Tum vero Iemptiam, veterem Norvagiae partem, ductu Guldenlovii Dani feliciter receperunt, et inſulam Aroſchiam, ac montana circumiecta in poteſtatem ſuam redegerunt. Apud Rhenum, Moſamqve omnia inſolenter faciunt Galli, et conditiones pacis iam in armis ferunt, ſive qvod Foederati commeatus penuria laborarunt, ſive qvod fato qvodam limes potentiae Germanicae noſtrorum temporum expeditiones irritas reddit, atqve infelices. Pars copiarum, qvae prope Baſileam conſtitit, magna cum inſtrumenti bellici, impedimentorumqve iactura ſe recepit, et Gallici tribuni, Monglaſſii, novis ſupplementis aucti, impetum ſuſtinere non potuit. Interim hoſtis pro libidine oppida, vicosqve exurit, et Hiſpanorum tarda, ac difficilia ad pacem ingenia iam demum accendit ſatis. Anglus, qvi ſpecie honoris conciliandi Gallicis rebus conſulit, clanculum pecunia ad id negotium conductus, novum cum Rege Luſitaniae foedus pepigit, qvod terrori Hiſpanorum datum eſt, qvi minan-

nantur, publicaturos fortunas mercatorum Anglicorum, niſi rex per univerſum regnum edicat, ut milites eius faceſſant qvantocyus, armaqve ponant. Ille firmus contra, perſtat in ſententia muneris conciliandi, et publice populo ſuo miſeriam, privatim ſibi divitias parat. Hamburgi plebs excitavit motum contra Seniores, de qvorum fide haud recte exiſtimant, more vulgi turbidi, et diſcordantis, ſi non ab uno capite regatur. Danum, Brandenburgicum, Luneburgicum prope infeſtos habent, et, male ſecum agi, putant, qvod ſub Caeſareis auſpiciis cum elegiſſent belli ſocialis partes, tum ingens damnum commerciis, totiqve urbi dediſſent. Accedunt diffidentia, ſuſpiciones, peſtes rerumpublicarum, maxime earum, qvae populares nominantur. Paucis abhinc diebus raros, ſelectosqve numos omnis generis accepi, ſane idoneos illuſtrandae antiqvitati Romanae veterum, et conſeqventium temporum. Nicolai Leuthingeri hiſtoria Marchica, qvae ne Berolini qvidem integra eſt, aſſervatur in bibliotheca Seidelii ſenis, conſiliarii antehac Brandenburgici, nunc in Pomerania commorantis. Cuius filius in Italiam tendit, et tuo patrocinio ornari geſtit, ſi revertatur, qvod certa ex ratione patriae utile futurum reor. Duos libros, Patrone, qvorum Dreſdae mentionem feciſti, perferendos curavi, omneqve meum ſtudium, obſervantiamqve approbare tibi volui, id unum porro abs te petens, ut datam occaſionem me ad honorificentiorem locum evehendi, negligere hoc tempore ne velis. Qvod ut ultro promiſiſti,

miſiſti, ita, ut hanc benevolentiam mihi reipſa confirmes, omni pietate rogo. d. XXIIX. Septemb. cIↄ Iↄc LXXVII.

CCCCXXIIX.
HENRICO, L. B. A FRISEN.

Magna mutatio impendet Pomeraniae, poſteaqvam Rugiam, vicinasqve inſulas Dani in poteſtatem ſuam redegerunt, vindicantqve iam praedationes, a patre, Ioanne Chriſtophoro, factas, in filii Ottonis Gvilelmi caput, ut una Sveonibus hanc vicem reddant, qvippe per qvos factum eſt, ut et inciperetur, et aleretur Gallicum iſtud, patriaeqve funeſtum bellum. Sedinum prope ultima patitur, pertinacius futurum, ſi Dani aditu in Rugiam prohiberi potuiſſent. Luneburgici forſan ſubeuntes partem valli occuparunt, qvae res qvorſum evaſura ſit, cordati cives facile intelligunt, deditionemqve optant, qvam ut perſcribam, credo, brevi futurum eſſe, haud qvidem, ut laetari velim alieno malo, qvanqvam eius ipſi ſibi auctores Sveones fuerunt; ſed, ut haec cauſa, ratioqve maturandae pacis eſſe poſſit. Gallus enim tametſi calliditate ſua conſilia Foederatorum ad Rhenum Moſamqve antevertit: tamen utilitatis ſuae, foederisqve cauſa Sveonum vicem dolet, ut qvi in poſterum conatus ſuos contra Auſtriam adiuvare neqveant, ſi e finibus iſtis eiiciantur. Nam in Poloniae regno, inopia, et diſſenſionibus perturbato, nihil reperit ſibi profuturum, qvanqvam Sveones, morae trahendae cauſa, Sedinenſibus ſpem fece-

fecerunt auxilii, ex Livonia per Poloniam ſubmittendi: tum gloriati ſunt, ſi illac tranſeant, ſocias Polonorum aliqvot cohortes eſſe acceſſuras, qvas fruſtra tamen expectarunt. Miſera qvippe eius regni, bellis, morbisqve exhauſti, conditio eſt, adeo, ut ne ſibi qvidem hoc rerum ſtatu ſufficiat, agnoſcatqve, verum eſſe, qvod fama in Polonia vulgavit, male agi cum Polonia, ſi Auſtrios infenſos habeat. Creqvius totam ſuperiorem Alſatiam cladibus, ruinis, atqve incendiis foedavit; nec melior fortuna inferiori imminet. Briſgavia, vetus Auſtriae patrimonium, ferro, igniqve vaſtatum: Saxo-Iſennacenſis cohortes fuſae, fugataeqve: impedimenta militaria, inſtrumentumqve bellicum captum: vici, pagiqve eius regionis exuſti: muri urbium ſolo aeqvati: omnia deniqve miſera, perditaqve propemodum videntur. Sola urbs Argentoratenſis fugientium reliqvias excepit, et tutata eſt, qvas in univerſum deleturus fuiſſet Creqvius, ſi receptu verſus eam caruiſſent. Auriacus omnibus Foederatis fere eſt ſuſpectus, maxime Hiſpanis, qvi pariter ab hoſte, ſociisqve ſuis belli moleſtiis vexantur. Alii ſolutam Caroloregiae obſidionem, alii omiſſam adoriendi hoſtis occaſionem, nonnulli ſtudium in Gallos, haud incertis indiciis proditum, obiiciunt: multi etiam affirmant, ab eo tempore, qvo Beulingum ad Anglos dimiſiſſet, frigidam regis iſtorum propenſionem erga Hiſpanos apparuiſſe, atqve interiorem communicationem cum Villa Hermoſa, rectore Belgii Hiſpanici, omiſſam fuiſſe. Sed utcunqve haec ſe

habeant, purgavit ſe in Senatu Belgii Foederati Ordinum Auriacus, et conſilium Mariae Eboracenſis domum ducendae iniit, qvod brevi eſt perfecturus, ut vel ſic oſtendat, qvam regi iſti, qvi obnoxius eſt Gallis, ſtudeat, placeatqve. Batavis et moleſtias, et diffidentiam excitat Antiſtes Monaſterienſis, et, invitis ipſis, Comitem Bentheimenſem, ſacrorum *reformatorum* deſertorem, in fidem patrocinii accepit, atqve ita ſe geſſit, ut controverſiae Embdanae haud qvaqvam laetus ſit exitus futurus, cum non Embda modo; ſed etiam Omelandia, e regione Friſiae ſita inſula, temere, et praefracte ſacri imperii iurisdictionem declinet, et mandatae Antiſtiti executioni omnibus modis renitatur. d. IV. Octobr. clↄ Iↄc LXXVII.

CCCCXXIX.

N. N.

Sedinum ad ultima redactum, accepi, miratusqve ſum civium, calamitate prope confectorum, pertinaciam, et ſperantium auxilia vanitatem. Sed brevi ipſos poenitebit conſilii praecipitis, et audaciae, qvae iuſtam qvoqve cauſam, qva ipſi tamen nullo modo gloriari poſſunt, deſtituit, laudemqve ſuperiorem eius urbis corrumpit, atqve in praeſentiſſimum periculum adducit. Meminiſſe debuerunt, bellum ſociale, Caeſaris, Imperiiqve nomine geri contra iniuſtos violatores fidei, pactorumqve oblitos, ipſisqve, etiamſi vires ad reſiſtendum ſuppetant, pertinaciaqve ſe, tanqvam muro adhuc muniant, cauſam tamen iuſtam pror-

prorſus deeſſe. Nam, ſoluti ſacramento a ſupremo domino, et tam diuturna obſidione fatigati, fractiqve, ſine ratione ultima expectant; neqve fortes ſe, ſed audaces, temerariosqve demonſtrant. Interim urbs minis foedatur, et cum rem integram, incolumemqve nanciſci potuiſſent, colore fidei, Sveonibus praeſtandae, furorem tegunt, peſſimeqve conſulunt ſibi. Credo tamen, Rugiae occupationem ipſos monituram, ut tandem ſapiant, exitiumqve ſuum avertant: qvanqvam hic fuerunt male creduli, qvi, totam Danorum fortunam commutatam fuiſſe, affirmarunt; ſed tam inepte, et abſurde, ut merito ſuo a cordatis irriſi fuerint, exploſiqve. Orationis, qvam meditaris, accipe formam hanc, et qvaedam qvaſi partium lineamenta: elogia Principis, et expoſitionem tuae induſtriae reſervo, niſi id, qvod affectum habes, mihi transmittere, limamqve meam expectare velis. De cetero, ſi ſtudium tibi navare poſſum in conditione circumſpicienda, re experieris, tranſacta hieme, animum tuorum commodorum multo cupidiſſimum. Vale. celerrime. d. VI. Octobr. clↄ Iↄc LXXVII.

CCCCXXX.
N. IVNGHANSIO.

PAulus Fridebornius auctor eſt illius eteoſtichi, cuius in epiſtola meminiſti. Decepit enim te, qvi aliter tradidit, non malitia qvidem ingenii, ſed ignoratione Chronici, qvod is edidit, in errorem adductus. Sedinum adhuc ſe defendit,

 per-

pertinaciaqve ſe armat: ad ultimum tamen non reſiſtet. Sveones de Scania decedunt, et movent verſus Norvegiam, ubi male rem gerunt. De rumore proxime diſſipato, miror, qvid fuerit, qvod ei cauſam dedit: mihi, qvoqvo modo res cadat, bene ominabor. Paſerinio, in Italiam profecturo, utinam comitem me adiungere per gratiam patronorum liceret! Vale. d. IX. Octobr. clↃ IↃc LXXVII.

CCCCXXXI.
L. BAGGERO,
THEOL. DANO.

SImul ac literas tuas legi, mirifice recreatus ſum, eo magis, qvod ſententiam, qvam de militia foederata ſcripſeram, iam eventus qvoqve approbavit, et potentiſſimi Regis veſtri, in Rugiam excedentis, arma, totamqve expeditionem ſic fortunavit, ut in ſpem veniam, fore, ut hoſtes tandem, omnibus cum impedimentis ſuis, e finibus Germaniae eiiciantur. Eritqve vel una haec ratio ſufficiens expugnandae Sedinenſium pertinaciae, qvod, intercepta Rugia, qvae Sundii ſemper horreum fuit, auxilii, ab Sveonibus expectati, vanitatem vident. Qvorum tanta in hunc usqve diem audacia fuit, ut, Regis ſui fortunae confiſi, abiecte, probroſeqve de Brandenburgico loqverentur, eiqve per dicterium qvoddam, famoſumqve carmen, in vallo ſtantes, illuderent, et qvaſi violatorem templorum, qvae, directis in urbem tor-

tormentis, deiecerat, criminarentur. Mora obſidionis tracta eſt promiſſis Koenigsmarckii, qvi in ſpem auxiliorum, ex Livonia, Poloniaqve ſubmittendorum, oppidanos, a Brandenburgico alieniſſimos, erexit; ſed magno ſuo malo, dum inter Sundium, a Gryphisvaldiam conſiſteret. Qvin his rebus evenit, ut Dani, occaſione uſi, interim militem exponerent in Rugiam, et reſiſtentes, qvos ad tuendam inſulam reliqverat, ſic diſtractis viribus, impares propulſarent. Neqve Dani modo; ſed etiam Norvagi veſtri, qvos una obſeqvii fides coniunxit, magnam fortitudinis laudem ex huius anni expeditione ceperunt. Nam conſilia Sveonum anteverterunt, et, erepta Iemptia, res ſuas praeclare ſtabiliverunt, hoſtesqve, reſiſtere auſos, fortiſſime profligarunt. Veſtervickum igni vaſtarunt: Narcopiam diripuerunt, vicinasqve oras depraedati ſunt more belli, conſilioqve ad id ſuſcepto, ut hoſtes, tale qvid facturos per fortunam, ſi potuiſſent, ſic qvoqve praevenirent. Diſpar militiae ratio, exitusqve apud Rhenum, Moſamqve fuit, cum ob annonae penuriam, qvae Caeſareis permoleſta accidit, tum ob ſociorum, qvi, privati commodi cauſa, opportunitatem expugnandae Caroloregiae, aggrediendiqve hoſtis, omiſerunt, negligentiam forte, atqve tergiverſationem. Qvod Foederatorum miniſtri graviter, pro eo, ac par eſt, ferunt, verentes, praeoccupatum a Creqvio Lotharingum propoſitum vindicandae Alſatiae, hoſpitiorumqve, ibi deſignandorum, conſeqvi non potuiſſe. Cuius rei cauſas tibi

rectius explorare licet, verſaturo inter Batavos, et liberae gentis lingvae commercium habituro. In rebus ſtudiorum veterem, qvam noſti, legem, conſvetudinemqve ſervamus. In numorum antiqvitate valde mihi ſatisfecit Triſtanus, adeo, ut vel unus ille huius ſtudii dux, auctorqve idoneus eſſe poſſit. Carolus Patinus qvantum debeat Antonio Auguſtino, et Laevino Torrentio, ipſe tu, me non monente, recordaris: in labore tamen, diligentiaqve eius nihil temere reprehendam, cuius etiam extat Fulvii Vrſini editio, qva rectiſſime in huius ſtudii parte utimur. Matthaeum Hoſtium de ponderibus, et menſuris, neſcio, an videris, cuius legendi ratio maximopere valet ad Budaeum de aſſe evolvendum, qvo viro, illo qvidem aevo, nihil maius Gallia habuit, ſiqvidem eius opera factum eſt, ut Athenae qvaſi Pariſios commigrarent, auſpiciis Franciſci I. magnum nomen meriti, ſi curam, providentiamqve rei literariae aeſtimare ingredior. Nobiliſſimo Braunmanno hiſtorias Italicas cum primis legendas commendo, cum ob delitias lingvae, tum ob prudentiam maxime reconditam. Puto, operae pretium facturum, ſi Machiavelli opera, detractis, qvae vitium habent, diligentiſſime perluſtret, et cum novis exemplis contendat, atqve ex praeteritis de inſtantibus iudicet, ſententiamqve dicat. Res praeſentium temporum uſu, tractationeqve accuratius explorabit, hoc felicius, qvod audivi, apud Batavos aliqvid edi, qvo fontes, capitaqve proximarum converſionum continentur. Id vero an ita

ſe

ſe habeat, tibi ex propinqvo ſciſcitari integrum erit. In eloqventia civili morem teneat, inſtitutumqve ſuperioris laudis, et, ſi utile videatur, concionum viginti, et plurium ideas, de rebus hodiernis, animi cauſa a me privatim ſcriptas, prima qvaqve occaſione perferendas, expectet. Vale, nobiliſſime vir, et Braunmannum, et Iacobſerum ſaluta. Eid. Octobr. clɔ Iɔc LXXVII.

CCCCXXXII.

N. IVNGHANSIO.

SEdinum uſqve ad diem Martini, qvi in faſtis eſt, impetum forte, vix certe diutius ſuſtinebit. Rugiam deſeruit Koenigsmarckius, fortunamqve Sedinenſem receptu hoc magis afflictam reddit. Sundium difficili eſt animo ad intromittendos Sveonas, qvippe qvod monet, terretqve exemplum Sedini, iam in vaſtitatem, ſolitudinemqve redacti. Novum iſtud hominum genus, de qvo ſcribis, inepte eruditione ſua ſuperbit, atqve ingenio ſuo indulget, qvod infra meam, tuamqve iram eſt. Vale. d. XIX. Oct. clɔ Iɔc LXXVII.

CCCCXXXIII.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

SVeones, Danis, novo ſupplemento auctis, impares, de tota Rugia deceſſerunt, ac, ad moenia Sundii uſqve milites intromittere recuſantes, ſeſe receperunt. Ob eam cauſam in ſummo diſcrimine eſt Sedinum, qvod praeter vaſtitatem, qvam ibi fecit hoſtis, pulveris pyrii penuria labo-

rat, cernitqve iam omnia extrema ſibi inſtare. Pleriqve honoratiores cives deditionem optant; ſed vulgus in ſententia ſua etiamnum perſtat, qvod tamen vel unus repentinus caſus mutare poteſt. Brandenburgicus in conventu Neomagenſi comiter poſtulat, ut ſuis regionibus ſic in poſterum caveatur, ne ex Pomerania, qva ſpectat orientem, infeſtari posſit: qvod eo dirigitur, ut Sveones plane ex iis finibus eiiciantur. Eodem valet Dani conſilium, a qvo Auſtria, veteri, renovatoqve in Sveones odio, non abhorret. Hiſpani etiam hoc volunt maximopere, et cupiunt, ut omnia in Germania amittant, ut amicitiae Gallicae has poenas pendant. Verum exercitus Caeſareus parum feliciter rem gerit, praevertente ubiqve Creqvio, et hibernorum commoditates praeripiente. Sive enim vigilantia, ſive fides in plerisqve tribunis deſideratur. Qveri fortunam ſuam neceſſe habet Lotharingus, qvod proxime montem Cocharum florem ſuorum amiſit. Sane multi tribuni in ſuſpicionem negligentiae, qvidam etiam proditionis venerunt: nec multum abeſt, qvin Caplierius iudicium repetundarum Viennae ſit ſubiturus. Ex vicinia diverſi rumores perferuntur, qvi eo valent, ut tua prudentia contra onus hoſpitiorum militarium fines noſtros muniat, qvae, capto Sedino, forſan ſolicitabuntur: cetera conſtantia, fidesqve patriae, Auſtriusqve amor, et necesſitudo, facile tutabuntur. Ego in primis tuis conſiliis, laboribusqve omnia laeta, proſperaqve, et aetatem, omnibus moleſtiis reſiſtentem,

ſem-

ſemperqve validam opto. d. XIX. Octobr. cIↄ Iↄc LXXVII.

CCCCXXXIV.

DAVIDI PEVCERO.

SAepe conſilium cepi ſcribendarum ad te literarum: qvod ut perficiam, fratris tui abitus me induxit. Noſtrae res hic ſunt eiusmodi, ut antehac fuerunt: pace, et otio ſimul omnes fruimur ac laetamur. Id vero mirari ſubit, qvid ſit, qvod celeberrimus Lambecius opus bibliothecae Vindobonenſis non perſeqvatur. Varii hic, ut fieri ſolet, rumores, iudiciaqve circumferuntur. Expeditio Ducis Caroli cur tam infauſta fuerit, tota Europa, qvae ſeceſſionem a Gallo facit, miratur. Inopia annonae militaris, Auriaci tergiverſationes, non ſatis ab Hiſpanis proviſae, Caeſarem optimum haud dubie ad indignationem commoverunt. Multi affirmant, iudicium repetundarum inſtituere, et curati aerarii militaris rationes a Caplierio exigere velle. Plures inedia, qvam ferrum confecit, ſolutis in riſum hoſtibus, et occaſiones ubiqve praeripientibus. Cladem in Alſatia iamdum bis uno fere tempore accepimus, Galloſqve ſive fato, ſive incuria inſolentiores reddidimus, qvippe qvi iam prorſus iniqvas conditiones Hiſpanis, Duciqve Carolo ferunt, ius in armis oſtendentes. Solus Danus mari victor fuit, profligatis paſſim Sveonibus; ſed pro Scania ultima ſane, mea opinione, paſſuris. De Rugia diſceſſit Koenigsmarckius, qvod Sedino maximum terrorem incuſſit: etſi

eius cives adhuc difficiles ſint, atqve obſtinati. Credo fore, ut brevi eorum deditio omnem fortunam Svedicam convertat. Danis auſpicato cecidit excenſio in Rugiam, ſine qva miſeri plane futuri fuiſſent. Sobieſcius Brandenburgicum pro Strauchio deprecatus eſt, regnumqve inopia, et morbis, bellisqve exhauſtum, ſubtriſtis intuetur, exiſtimatqve, Poloniam ſine amicitia, auxilioqve Auſtrio iacere. Kamieniciae iactura vel ſola tanta eſt, ut nunqvam reſarciri poſſit. Brandenburgici ſpes omnis ex Sedini deditione pendet, qvam ſi caſus mutaret, irrita qvoqve tota eius expeditio futura eſſet. d. XXIV. Octobr. cIↄ Iↄc LXXVII.

CCCCXXXV.

IOACHIMO FELLERO,

ET pietati meae, et honori tuo convenit, ut Thomaſianas neceſſitudines tibi gratuler, qvibus familiam, nuper lapſam, fulcis iterum, et ſic ornas, ut, rebus tuis non melius conſulere potuiſſe videaris. Afficior qvodammodo ſenſu felicitatis tuae, et voveo, ut perpetua, conſtansqve ſit, ac una mente, animoqve ſponſi colatis inter vos, ac mutuo diligatis. Non enim modo amicus amico; ſed etiam poeta poetae bene precor: ego qvidem infelix, et ſpe tua minor; fide tamen amicitiaqve nullo vatum inferior. Te autem hortor, ut ante nuptias, ritu veteri, ſacrifices, ut vires artis tanto felicius experiaris, ſummaqve ope enitaris, ut ſoceri decus per te incrementa capiat, et nova

nova qvaedam gens, eaqve parentibus haud ignobilior, in nomen, familiamqve tuam coaleſcat. Vtere ergo rei bene gerendae occaſione, et opes, copiasqve poetae omnes expone, ut poetriam re, factisqve declarare poſſis. d. XXXI. Octobr. cIↄ Iↄc LXXVII.

CCCCXXXVI.
ADAMO CHRISTOPH. IACOBI.

IAm aliqvot abhinc diebus certior factus ſum, Titum in ſpem potiundi ſacerdotii aulici evectum, eo conſilio ad vos diſceſſiſſe, ut orationis ſacrae ſpecimen daret. Qvi nuncius cum minime vanus videretur, tum ſane mihi ſummopere gratus fuit, propterea qvod credam, ita futurum eſſe, ut expectationis meae fructum capiam, ſi patrocinio tuo honeſtos meos conatus iuves. Nec dubito, qvin pro ſumma tua auctoritate commoda mea tuearis, ut reditus LX. aureorum, a Marco nullo meo merito intercepti, iterum dependantur. Qvod omni ſtudio, operaqve, non tibi qvidem, cui nihil, praeterqvam grati animi officium praeſtare poſſum; ſed, filiis tuis, in laudem familiae tuae natis, rependam, et, qvae decet clientem, fide induſtriaqve, ſtudiis ipſorum ornandis operam navabo. Pietatem qvoqve cum votis, pro te faciendis, tum monimentis ingenii edendis, demonſtrabo. Ex Suedia affertur, Regem ex febri eſſe mortuum; nec ſine veneni ſuſpicione, eo qvod ſunt veriti proceres, ne ſtudio populi pleniorem regendi poteſtatem nanciſce-

ciſceretur, eiusmodi commutationem fieri paſſi fuiſſent. Qvod ſi accidit, prout rumor tulit, iam totius Pomeraniae iacturam fecerunt: Sedinum enim, ad extrema redactum, tandem ſe continere non poteſt, qvin deditionem faciat. Princeps Auriacus neceſſitudine Anglica contra diffidentiam, ſuſpicionesqve Foeder. Belgii ſe firmat, cuius ad ſuos reditus vel certam ſpem pacis, vel metum longioris belli eſt allaturus. Caeſarei cis Rhenum hiberna intrant: ſtationes praetorianorum Auguſtae Vangionum diſponenter. Pontificii ſacerdotes pro concione minantur bellum, affirmantes, arma in *Proteſtantes* verſum iri: qvanqvam Caeſar moderationem prae ſe fert, et Principes Imperii obteſtatur, ut conſilia, operamqve conferant ad pacem honeſtam, ſtabilemqve obtinendam, nomineqve Germano dignam. d. IIX. Nov cIↄ Iↄc LXXVII.

CCCCXXXVII.
HERM. CONRINGIO.

CVm ſaepe tuorum recordari meritorum mihi in mentem venit: tum de illis patriae in univerſum gratulor, ac voveo, ut bona ſemper, integraqve valetudine fruaris. Valde enim me perturbavit, doloreqve propemodum confecit iſte nuncius, qvi de morbo tuo allatus iam omnem ſpem praecidiſſe mihi videbatur te appellandi in poſterum, coramqve ſalutandi. Diu enim eſt, qvod cogitare coepi, qvemadmodum tibi officium probarem; ſed ita huc uſqve fortuna mecum egit,

egit, ut vel invito mihi ſuſcipiendi itineris opportunitatem tertia vice eripuerit. Proxima enim aeſtate neceſſe habui Dreſdam proficiſci, cum, ut me contra dominatum hominis, tibi haud ignoti, firmarem: tum ut praeſens indicarem, eum talia agere hic, et moliri, qvae ſufferre longius, et perpeti nemo poſſet. Cum tui mentio fieret crebra, et honorifica, non potui committere, ut ſilentium eius rei vitio mihi dares. Abituro enim pleriqve ſummo loco viri dixerunt, ut te qvamprimum per literas, nomine ſuo, ſalvere iuberem, precarerqve confirmatas vires, valetudinemqve optimam, et conſtantem. Qva pietate cum defungi animus eſſet, in tempore ad me venit curatoris annonae aulicae filius, M. Hahnius, rogans, ut ſibi ad te alloqvendum aditum patefacerem: qvod defugere non potui; neqve tamen, ſumme vir, moleſte feres. Studet enim, tibi approbare obſervantiam ſuam, et vel tuo conſpectu apud noſtros gloriari. Illud vero te fugere non exiſtimo, qvid in vicina Bohemia, Auſtriaqve ſacerdotes Pontificii agant, qvi pro concione res eiusmodi proferunt, qvae ad diffidentiam, ſuſpicionesqve excitandas plurimum valent. Bavarus per legatum pronunciavit, maiora parari, qvam ut res *Proteſtantium* ferant. Nec plane ſpernendum duxerim, qvod AntiſtesMonaſterienſis iniqvis poſtulatis vicinorum Principum animos commoverit, qvod Gvelphi veſtri, pro ſumma prudentia, iam pridem perſpexerunt. Sed, utcunqve illi putant, ex Sveonum ruinis omnem *Proteſtantium* fortunam pendere: tamen

tamen eos fallent ſua conſilia, nec ſinet Caeſaris, ſe, et imperium defendere ſatis habentis, orbitas, ut hominibus, ad turbas concitandas natis, tale qvid indulgeat: etſi ſuſpicamur, ex Vngaria nihil laetum Sileſiae impendere, pro libitu moderante omnia Collonitſchio, ut una lege, religioneqve hereditariae regiones contineantur. Qvo ſtatu Sedini deditio optanda eſt, ut pariter contra externas, inteſtinasqve molitiones Germania muniatur. Sveonibus autem ſuis cur tam male conſuluerit Gardius, cauſae eqvidem in expedito ſunt, et certe tibi accuratius notae. Nam cum hoc bello regi ſuo pleniorem potentiam ſtruere, firmareqve contra partes diſſidentium ordinum vellet, tum praecipiti conſilio, nimiaqve fiducia, omnem prope regni iſtius fortunam convertit. Ioannes Sobieſcius, cuius affinis, *Marchio* Bethunius, nuper admodum Vngariam, accitis, contractisqve ex Polonia auxiliis, conturbavit, et Poloniae ſuae, et Gedanenſi urbi, Stephanum Bathorium referre geſtit. Andream Olſovſcium, ſummum eius gentis virum; ſed illi urbi valde infenſum, amiſit, graviterqve obitum hunc tulit: non ſecus, atqve nos iacturam Schuzii, ſanctiſſimi aulae Cellenſis adminiſtri, pro eo, ac debemus, qverimur, ac deploramus. Auriaci ad ſuos reditus Batavos non magis, qvam totam Europam in novam ſpem erigit: pleriſqve etiam metum intendit continuandi atrocius belli. De qvibus, et aliis coram loqvi, et tuam audire ſententiam, iudiciumqve multo exqviſitiſſimum, privatim opto, tuo patrocinio me, ſtudiaqve

qve

qve mea commendans. d. X. Novembr. cIↄ Iↄc LXXVII.

CCCCXXXIIX.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

CVm e Rugia, qvae tota eſt Danicae ditioni ſubiecta, proxime ſolviſſet Rex Chriſtianus V. coorta eſt tempeſtas tam gravis, ut nuncii Hamburgum perlati fuerint, eum periiſſe. Sed ſalvus, incolumisqve in Daniam rediit, non ſine magno eius aulae gaudio, propterea qvod omnis ſpes ex illa expeditione pependit. Scaniam enim ad ultimum defendent Sveones, non paſſuri, ut ex continenti infeſtari poſſit. Ex Norvagia enim difficile, impeditumqve iter eſt per montes, et paludes, qvibus paſſim aditu intercluduntur: neqve ultra Iemptiam facile Norvagi movebunt caſtra, deterriti montibus, vaſtisqve ſolitudinibus, per qvas annona militaris inferri non poteſt. Interim Dani tributis immodicis conſumuntur, recepturi libertatem, ſi qvid Regi adverſum acci-diſſet, ut ſunt repentini caſus mortalium, qvi voluntates rectiſſimas ſaepe cumulant. Populus enim, a peregrino milite per agrum vexatus, maleqve habitus, iniqvam ſortem qveritur, optatqve pacem, Dano a conditionibus uon alieniori, ſi Sveones de Scania, et Pomerania decedere vellent. Sed iam eius res firmat Rugia, ſine qva tota huius anni expeditio fruſtra fuiſſet: duo millia ſuorum Brandenburgico ſubmittet, propterea qvod inter eos conſtitutum eſt, ut obſidio ne ſolvatur, prius

priusqvam deditionem Sedinenſes fecerint. Nec fieri poteſt, ut urbs liberetur, nec elabatur Koenigsmarckius, omni aditu interclusus, et ſibi ipſi non ſuffecturus. Francofurto ad Moenum permoleſtus eſt Moguntinus, et eius multa privilegia petit, amicitia Caeſaris nixus, cuius in eo magnum ſitum eſt momentum. Credo ego, bellum maioribus viribus geſtum iri, ſi Sedinum occupatum fuerit; neqve, ut nunc res ſunt, emergent Sveones, iacturaqve eius urbis multa immutabit conſilia, et Gallum foederatum ſic proſternet, ut ab ea parte nihil in poſterum auxilii ſperare poſſit. Creqvius, hiberna ſuperioris Alſatiae tutaturus, propter pabulationis inopiam multas moleſtias eſt perpeſſus: aliqvot millia eqvorum, fame confecta, intolerabilem prope foetorem excitarunt, adeo, ut de movendis verſus montana caſtris conſilium capere neceſſe haberet. Noſtros, cum e Galliae finibus retrocederent, iam qvaſi inedia debellatos, nullo negotio plane debellare potuiſſet, ſi, viribus ſuis confiſus, occaſionem qvaeſiviſſet. Reverſo etiam haud difficile fuiſſet Philippiburgum intercipere, annona tunc, atqve milite deſtitutum. In Catalaunia afflictas Hiſpanorum res inſtauravit Montereius; nec fortuna Gallorum in Sicilia tam proſpera iam eſt, atqve non pridem fuit, niſi qvod in Belgio res Hiſpanorum male geritur: qvanqvam Monaſterienſes pro Hiſpanis ſtrenue laborant, et Traiectenſe praeſidium omnibus modis impediunt, qvo minus tam crebras eruptiones faciat. Ceterae eius actiones

in

in Bremenſi, Friſioqve agro ſunt ſuſpectae: Ottersburgam exqviſitisſime munivit: inſigniorem Viſurgis partem, ceſſo a Danis in compenſationem ſumptuum, nomine auxilii factorum, Carsburgo, qvam in poteſtatem redegit, et ipſum qvoqve ius *patronatus* in Bremenſem ditionem, non ſine metu, indignationeqve vicinorum Principum, affectavit. Auriacus, plebis ſtudiis nixus, et Foederatis, et Ordinibus Belgicis multas, nec inanes ſuſpiciones movit, creditqve, unum potentiae, qvam pleniorem optat, praeſidium in Anglia futurum. Rex Poloniae, ab Auſtriis alienior, Poloniae, et in primis Gedano, Stephanum Bathorium referre ſtudet, cuius conſilia firmavit Andreas Olſovſcius, nuper Gedani, nec ſine Regis, qvem, Viennae offenſus, poſtea in Auſtriae odium erexerat, dolore, et publica comploratione mortuus. Dum haec ſcribo, affertur, Sedinum in ſummis eſſe auguſtiis, et Buſtio, per occulta itinera ad Koenigsmarckium digreſſo, cumqve ſpe auxilii reverſo, manus inieciſſe, expectantes eventum praeſcripti temporis, qvo ex promiſſo liberentur. Interim Bethunius, Sobieſcianae coniugis frater, coniuratos Vngaros ad res novas moliendum accendit, Rege id excuſante, qvod neqve ſuo, neqve reipublicae conſilio hoc tale fiat: ex qvo qvid futurum ſit, facile liceat ominari. Ego in pietate acqvieſco, et, conſiliis, actionibusqve tuis bene precari contentus, in religione cultus perſevero. d. XI. Novembr. cIɔ Iɔc LXXVII.

Kk CCCCXXXIX.

CCCCXXXIX.

ADAMO CHRISTOPH. IACOBI.

QVod tam liberaliter, et benevole mentem, atqve ſententiam de honeſto inſtituto meo declaraſti, egregium, duco, eſſe beneficium, omnibusqve modis praedicandum. Igitur ſummo ſemper ſtudio efficiam, ut fidem, ſtudiumqve conſtantis clientis tibi probem, et filiorum tuorum commoda non ſecus, ac mea, curem. Etenim maximae felicitatis loco habiturus ſum, ſi, qvorum patri plurimum debeo, eorum fortunae, ſtudiorumqve liberalium adiutor eſſe poſſim. Libros, abs te miſſos, Zieglerus noſter, more ſuo iocans, cum ſchedas, librosqve meos intueretur, reddidit, uno conſilio, animoqve mecum rebus tuis bene precatus. Fuitqve eadem Melchioris Thilonis pietas, cum non ita pridem me inviſeret, tuaeqve bonae valetudini inter familiare colloqvium vota nuncuparet. Ex Batavis accepi, Auriacum iuratam ſilentii fidem regi affini Carolo II. dediſſe, qvod legatis Foederatorum haud vanam ſuſpicionem movit, etſi ille prae ſe fert, omnem operam daturum, ut hi intelligant, honeſtam, ſtabilemqve pacem ſibi cordi eſſe. Creqvius noſtris, opinione ſua deceptis, iamqve hiberna intrantibus, ad Friburgae, caſtri in Briſgoia munitiſſimi, obſidionem ſe comparavit. Vallum continuis tormentorum ictibus verberare dicitur, ut, priusqvam forte noſtri ſubſidio veniant, deditionis nuncius afferatur. Qvod DEVS prohibeat ab Auſtriis malum, etſi non deſunt,

ſunt, qvi hanc fortunam optent, verentes, ne meliore rerum facie belli conſilia ad ſpem dominatus convertant, qvando Caeſar patiatur, Sacerdotes ſuae ſectae tam licenter, ſoluteqve concionari, et hoc rerum ſtatu peſtem exitiumqve noſtris ſacris denunciare. Manipuli Polonici, qvi nuper admodum ſe in Hungariam effuderant, diſtracti, diſſipatiqve ſunt, ſiqvidem Caeſar, de iniuria ſibi illata ad rempublicam perſcripſit. Rex Sobieſcius interim, Gedani qvaſi procul agens, connivet: ſi pleno iure regnaret, vim ſane Auſtriae facturus mihi videretur. Sed imperator eius militiae nec leges ab rege accepit, et mala publica tot, ac tanta ibi ſunt, ut vix ſuis ſumptibus iſtud regnum ſe ſuſtentet. Sedinum iamiam creditur deditionem eſſe facturum, poſtqvam de metu irruptionis Moſcoviticae in Livoniam eſt allatum: civesqve, et praeſidiarii inter ſe diffidere incipiunt. d. XVI. Nov. cIɔ Iɔc LXXVII.

CCCCXL.

M. P. KVBELIO.

Lvdi Bvrgensis Moderatori.

ET vitam, et doctrinam tuam ſic probavi ſemper, atqve dilexi, ut te omnino mea amicitia dignum putarem: veniqve in ſpem, fore, ut ſtudiorum, qvae ſumma cum induſtria inceperas, rationes maiori fortuna conficeres, locumqve pubis docendae honeſtiſſimum ſine iactura facultatum tuarum teneres. Sed, qvia de hoc praeſi-

dio calamitas incendii te deiecit, in patientia, atqve bonis literis, tanqvam in portu, conqvieſces. Itaqve miſeriae tuae pariter et honori tribui, qvod, Schulzio, viro ad qvemlibet bonum iuvandum, ornandumqve prompto, te commendandum eſſe, duxi. Ceterum de via, atqve ratione, qvam, in partiendis coetus Chriſtiani intervallis, exponendisqve rerum, temporumqve viciſſitudinibus, a me deſignari tibi, cupis, ſic exiſtimo, ut dicam, te negotium ſane optimum, utiliſſimumqve ſuſcepiſſe. Priusqvam vero ad legendam Hottingeri hiſtoriam te compares, auctor tibi ſum, ut compendium hiſtoriae Gothanae ſumas, diligenterqve evolvas. Inde ad Caſauboni exercitationes, Blondelliqve Pſeudo-Iſidorum te conferas; hisqve iungas Dallaeum, praeſtanti iudicio virum, in qvibus ſi pro eo, ac par eſt, verſatus fuiſti, non poeniteat operam dare Hottingero, ſaepe tamen nimis ſuae ſectae partibus ſtudenti, adeo, ut, ſi ad noſtrum usqve tempus hiſtoriam producturus fuiſſet, offenſam Theologorum noſtratium, etiam ſedato ingenio praeditorum, evitare non potuiſſet. Demum ad Baronium, virum infinitae lectionis, omnibus in univerſum ſubſidiis inſtructus venias, qvi forſan a nullo alio, qvam a Cauſabono, confutari potuit: qvamvis non pigendam ea in re operam nuper Trebbichovius navarit. d. XXI. Novembr. cIↄ Iↄc LXXVII.

CCCCXLI.

CCCCXLI.
IO. IACOBI,
IVR. STVD.

PRo ſummo tuo in me ſtudio praecipis gratulationem, cuius eventus etiamnum ex fortuna pendet, cuiusqve fructus ſolum ſperari debet, ne inconſulta temeritate mihi prius plaudam, qvam res ex animi ſententia confecta fuerit. De tuo autem ingenio, rectoqve animo, exiſtimabo, credere te, qvod amico optes, qvodqve ſcias mihi, ſi fortuna conatibus reſpondeat, gratiſſimum fore. Neqve diffiteri poſſum, undiqve ad me perferri gratulationes, qvas etſi in omen qvis accipere poſſit: tamen ego in DEI praeſidio, patronorumqve ope omnia colloco, qvorum voluntati refragari non poſſum, ſi ita conſtitutum volent, ut mihi nova profeſſio decernatur. In primis ſummo Maecenati noſtro, qvi in omnem iuvandi mei occaſionem intentus eſt, magnam felicitatis meae partem acceptam fero, benevolentiamqve eius maximam qvotidie collaudo: ſimul et voveo, ut qvam diutiſſime rebus humanis ſuperſit, vir et vita, et munere, et meritis ſanctiſſimus, filiosqve ſe haud inferiores reipublicae relinqvat. De rebus, qvarum incerta expectatio eſt, prudenter ſiles, exiſtimans, privati eſſe pro fortuna publica deprecari, ut hoſtes, aemuliqve *Proteſtantium* vafris conatibus, inceptisqve deſiſtant, qvippe qvorum haec ratio iam ſe prodit, ut regna a barba-

ris everti malint, qvam locum dari *Proteſtantibus*, qvorum tamen omnia conſilia ad pacem, pactorumqve fidem ſpectant. Patrono obſervantiam, cultoribus ſtudium meo nomine confirma, in primisqve Chriſtianum noſtrum hortare, ut in cepto laudis, ſtudiorumqve propoſito perſeveret. Alioqvi M. Neandrum, iuvenem probum, atqve eruditum, ſummo Patrono noſtro per te commendo, poſtqvam in finibus caſtri huius ſacerdotium vacare coepit. d. XXIII. Novembr. cIɔ Iɔc LXXVII.

CCCCXLII.

CAROLO, L. B. A FRISEN.

CVm gratiae tuae, cuius praeſens, abſensqve multos, et magnos fructus cepi, ſubinde recordor, tum rogando inſtare debeo, ut diuturni ſilentii veniam mihi facias, et pro ſumma, qva polles, auctoritate ſtudia mea tuearis. Ego viciſſim tantum tibi pietatis praeſtabo, qvantum animo, viribusqve meis aſſeqvi poſſum, magnumqve clientum tuorum numerum ad certamen hoc adiungam, omniqve tempore ſtudebo, ut tuorum ſane meritorum memoria nulla unqvam mea oblivione, culpaqve obliteretur. Haec ſcribenti nuncius affertur, illuſtriſſimum filium tuum in duello, qvod propter impotentem Ranzovii animum declinare non potuiſſet, fortiter ſtetiſſe, et irruentem in ſe adverſarium alacriter excepiſſe, et non modo feliciter repuliſſe, ſed etiam ad referendum ex arena pedem adegiſſe. In Germania, com-

commutandae *Proteſtantium* rei multa, nec levia indicia ſe produnt, vexationes Friſiae, verſus, orientem ſitae, a Monaſterienſi Epiſcopo coeptae, munitionesqve, non pridem *Ducatu* Bremenſi, in qvem etiam ius *patronatus*, more iuriſperitorum appellatum, poſtulare auſus eſt, excitatae, toti inferiori Saxoniae metum incuſſerunt. Parem ſuſpicionem movit Antiſtitis Gurcenſis, noſtros haud aliter diſcriminis ratione, ſed inuſitato hodierni in Imperio moris exemplo, *Acatholicos* nominantis, intempeſtivum verbum. Pleraeqve ſunt harum non inconſultae temeritatis ſuſpicionum voces, qvae paſſim in Auſtria a monachis, ceterisqve eius ſectae hominibus pro ſuggeſto iactantur, qvippe qvi lenitate Caeſaris adeo abutuntur, ut, integrum Hungariae regnum everti, malint, qvam *Proteſtantibus*, locum dari. Similiter Gedani Rex Ioannes III. diffidentis populi occaſioue uſus, multa audet mutare, qvae libertati iuribusqve ſacrorum adverſantur. Qvae eiusmodi ſunt, ut diffidentiam inter pincipes pariant, atqve a DEO inſignibus armorum converſionibus puniantur. Nam et tota huius anni expeditio irrita, et intercepta proxime Friburga Sveviae, Marchiae ſuperiori, ac regionibus finitimis calamitoſa accidit. Oro itaqve DEVM, ut Germaniae concordiam; tibi autem, familiaeqve tuae ſempiternam felicitatem praeſtet. Sedinum, qvo propius ab exitio abeſt, eo magis de integro ſe obfirmat ad reſiſtendum, ultima pro Sveonibus paſſurum. Aliqvot tibi commendari geſtiunt: Neander, ſacerdotium

Kk 4 pren-

prenſans, qvem curae, atqve aetas gravant; et Gleichmannus, iuvenis ſtudioſus, ſubſidium ſtudiis a Principe *Electore* petens. Praeter hos Hekelius ſtudiorum ornandorum in te omne praeſidium ponit. d. XXIII. Nov. cIɔ Iɔc LXXVII.

CCCCXLIII.

IO. FRIDER. VOLHARDO.

QVod tantum operae tibi ſumis, ut omnes Sileſiae antiqvitates, commentarioſqve ſcriptos pariter, et editos perveſtiges, rem ex mea ſententia conficis, atqve omni laude dignam. Ego, qvoad tempus negotiis vacuum ſinit, Sleidani telam pertexo, labore, opinor, haud inutili. Te autem rogo ſimul, et hortor, ut duo manu ſcripta opuſcula mihi reddenda cures, amicitiamque fide tuearis. Res Gedanenſes qvorſum ſpectent, ſententiae ſunt diverſae. Alii, Regem in ſpeciem pro Strauchio anniti, putant: alii, occaſionem labefactandi iuris ſacrorum captari, ſuſpicantur. Ita nempe ubiqve hoc agitur, ut ritus Chriſtiani *Proteſtantium* explodantur: qvibus vafris conatibus mature eſt obſiſtendum. Malunt enim pleriqve tota regna everti, qvam *Proteſtantibus* qvietem dari, qvi tamen in fide Principum ſuorum ſemper perſtiterunt. Gedanum profecto, cur ſibi timeat, cauſas multas, et, graves habet. Si recipiat Strauchium, diſcordia peribit. Plebs enim pertinax eſt, et prius omnia experietur, qvam ut erroris veniam ab Senatu petat. Vnum itaqve diſſidentis urbis remedium eſt, ut, auctoritate regis interpoſita,

ſita, decretum oblivionis ſanciatur. Qvod ſi hic, plebem forte blanditiis captans, recuſabit, metus dominationis iam cervicibus impendet. Alioqvi contra Stephanum, de qvo ſcripſiſti, fortiter qvondam ipſe ſe defendit, externum patrocinium circumſpectura, ſi privilegia violarentur. Generoſum Arzatium ſaluta, qvem tibi favere opto, gratulorqve honeſtis conatibus tuis. De Epiſcopo Monaſterienſi multae apud nos qverelae: videturqve iam aliena ſcena inſtrui, dum qvaedam de eius atqve aliorum Antiſtitum molitionibus haud optima indicia ſe produnt *Proteſtantibus*, qvae moneant, ut non facile iis fidant, qvi ex utilitate ſua, et temporum fortuna conſilium ſumpturi videntur. d. XXIII. Nov. cIↃ IↃc LXXVII.

CCCCXLIV.

SIMONI REVTERO.

ETſi ſemper te hortatus ſum, ut pietatem DEO, fidem hominibus praeſtares, et omni ope huc annitereris, ut honeſte muneris tui partes obires; tamen indulſiſti ingenio tuo, qvod omnibus bonis hic diſplicuit, et plerisqve moris tui gnaris etiam odio fuit. Zieglerus, vir cordatus, et prudens, malum, perverſumqve hominem plus ſemel nominavit: Peiskerus, infamiae ſuſpicionem indiciaqve criminis, in patria tibi obiecti, prodita fuiſſe, affirmavit: iuvenes Academici vel memoriam tui nominis deteſtantur. Senatus Academiae de maleficio tuo, cum aedes effringeres, etiamnum cognoſcit, vitaeqve male actae rationes haud ſatis mi-

mirari poteſt. Ego ipſe, qvo animo eſſes, iam ſum expertus. Nam clave adulterina muſeum recluſiſti: ciſtam aperuiſti: patrimonii mei partem expilaſti: libros varii generis, et argumenti ſurripuiſti, atqve a vero Domino abalienaſti. Qvod non putaſſem unqvam, immo ne qvidem ſuſpicatus fuiſſem, niſi, motus iuvenum ſtudioſorum allatis de te qverelis, ad perqvirendas, colligendasqve res meas inductus, fraudes, fallaciasqve tuas cognoviſſem. Qvare iuris, et exempli intereſt, te huc citari, ubi deliqviſti, nominiqve tuo labem aſperſiſti. Niſi te ſiſtas, Senatus Stargardenſis opem implorabo, et qvamprimum de facto tuo in patriam perſcribam, ut totus orbis, ubiubi etiam, conſiſtas, intelligat, qvomodo mecum egeris. Praeterqvam enim, qvod divinum Numen in te vindicabit, iuſtitiae qvoqve refert in te ſtatui exemplum, ne ſive oblivio, ſive indulgentia mentem tuam malignam in maiora ſcelera impellat. Vt tamen videas, me ſic qvoqve pro honore tuo anniti velle, ſignifico tibi, ſi ablata reſtituas, mihiqve ſatisfacias qvamprimum, ſurreptamqve pecuniam, et libros reſtituas, accuſationem publicam me non eſſe inſtructurum. Ita de me crede, et, qvid factum velis, expone. Capita accuſationum iam confecta ſunt, niſi qvod iudici nondum exhibui: qvod fiet, ſi indiciis, qvibus mihi proditus es, convictum dabo. Lacerum tuum librum, nuper miſſum, non cupio; ſed qvod meum eſt, repeto: qvod reddes, niſi ad dicendam furti cauſam evocari velis. Strophiolum, in Turcia confectum, et numos aureos, argen-

genteosqve redde, ſatisfactionemqve cura. Hic imaginem, et lineamenta qvaedam accuſationis capitalis, contra te inſtituendae, tibi licet videre, qvae et forma, et ritu forenſi ad te perferentur, niſi reddas mihi, qvod furtim abſtuliſti. Vita ergo periculum, et exiſtimationi, in qva poſt DEVM omnis felicitas humanarum actionum ſita eſt, conſule. d. XXVII. Nov. cIↄ Iↄc LXXVII.

CCCCXLV.

HENRICO, L.B. A FRISEN.

HErmannus Conringius, qvi omni voluntate, ſtudiisqve clientibus, admiratoribusqve tuis ſe coniungit, ſummo officio, reverentiaqve te ſalutat, et, literas, ab ſe ſcriptas, affirmat, qvibus planius, uberiusqve tibi qvaedam exponat, in qvibus ipſi non ſis facile defuturus. Ego cur tam longo tempore nihil ſcripſerim, cauſam mihi tot contrarii inter ſe, pugnantesqve ſermones dederunt, ut, qvid de converſis Germaniae rebus cogitarem, plane incertus eſſem. Ex patria mea, et finitimis regionibus, undiqve ad me perfertur, *monachorum* vulgus pro ſuggeſto paſſim minari *Proteſtantibus*, et, ſi interceptum foret Sedinum, de exitio libertatis, ſacrorumqve noſtratium divinare. Ipſa tota inferior Haſſia, *Ducatusqve* Brunſvicenſis, magnopere, nec forſan ſine cauſa, a Monaſterienſi ſibi timent, affirmantes, ſi Caeſar ita connivere pergat, omnium animos ab ſe abalienaturum. Sveviae ordines, qvi ritibus, ſtudiisqve a Pontifice ſeiunguntur, credunt, abſcondi Antiſti-

tiſtitum malevolentiam, qvae tanta ſit, ut cupiant, Gallo dari occaſionem evertendi res, fortunasqve Ducis Virtenbergici, et *Marchionis* Durlacenſis; atqve adeo conſulto fieri, qvae caſu fieri credamus. Briſgoviam interceptam, nec a Caeſareo praeſidio defenſam, neqve ab exercitu, qvi hiberna intraverat, liberatam, fraudi eſſe ſibi, in primis qveruntur: exinde peti ſe, totisqve viribus oppugnari poſſe: Caeſari, his rationibus retinendi Philippiburgi conſilium deſtinari, qvo conſumpti iam ad Rhenum Principes in inſidias, Antiſtitum molitione comparatas, praecipitentur: unum ſupereſſe in Svevia Virtenbergicum, opulentum, et inter noſtros praepotentem, qvem oppreſſum velint: Mompelgardicum iam ad extrema redactum eſſe: Palatinum, et Darmſtatinum, infinitis damnis affectos facile poſſe debellari: civitates, ad Imperium ſpectantes, tributis confici: Francofurtum vexari: Argentoratum inter hoſtes, et defenſores ſuos periclitari, ac omnia demum eo referri, ut non ius in poſterum, ſed vis tantum ſit valitura. Haec dum ita aguntur, angi *Proteſtantes*, non obſcuris indiciis ſuſpicantur. Nobis eqvidem deditio Sedini non expedit, qvanqvam Luneburgicorum intereſt, exiſtimantium, Suedicam potentiam non qvidem in Pomerania ſubverti; ſed certe infirmari oportere, ut ſecure poſſideant, qvae in ſua ditione ipſis nuper ſint erepta: idem Dano, et omnibus Foederatis, profuturum, ut cetera Sveonibus, excepto Sedino, relinqvantur. Ex eo enim excurſiones poſſe facere in totam viciniam repe-

tere-

tereqve armis ablata. Itaqve ad ſervandas Germaniae leges, eo intercepto, adigi, licentiamqve ſuperiorum temporum inhiberi. Sundium, et Gryphisvaldiam iis ſufficere poſſe, ut vires paulo debilitentur, et aeqvabilis potentiae ratione conſtituantur, ut nihil in eo limite, niſi *Proteſtantium* foedere ſubnixi, audeant. Contra Gallus promiſſis luculentis in ſpem defenſionis eos induxit, et Sveones ampliora qvoqve privilegia ipſis pollicentur, ſi ad ultimum reſiſtant, qvod, ferme credo, futurum eſſe, his rationibus: qvod annonae, pulverisqve pyrii inopia nondum laborant: tum vallum interius, praeſtructaeqve ex integro munitiones, et excitati paſſim ſubtus terram cuniculi ſubterranei aditu hoſtem arcent: adhaec non ignari ſunt, obſidentium non tantum eſſe numerum, ut, ſumma vi, impetuqve facto, ſe oppugnare qveant: praeterea deſperant gratiam ob convicia, Brandenburgico dicta, et ignominiam, qvam in obſidione accepit. Contra a Sveonibus in ſpem eriguntur amplificandorum commerciorum, ſine qvibus, etiam dediti, nunqvam efflореſcent: amorqve libertatis, et ſacrorum avitorum tantus eſt, ut ruinas aedium, templorumqve alto animo ferant, magisqve ad ultionem accendantur. Interim Europa pacem optat, atqve, interpoſita Regis magnae Britanniae auctoritate, annitentibusqve Auriaco, et Batavis, et mederantibus poſtulata ſenſim, paulatimqve Gallis, ex ſententia conſeqvetur. Te vero, Domine, vis coeleſtis, Numenqve divinum diu ſuperſtitem ſervet, ut, qvod patriae, etiam reſtitu-

ſtituta pace, intereſt, ſummo, et ſalutari conſilio impertiaris. d. XXX. Nov. cIↄ Iↄc LXXVII.

CCCCXLVI.
GEORGIO SCHVBARTO.
P. P. Ien.

CVm aliqvot abhinc hebdomatibus literas tuas per mihi gratas accepiſſem, tum valde iis laetatus ſum, atqve exiſtimavi, omni in re me tibi operam, ſtudiumqve navare oportere. Gaudeo enim, te, ab opinione, ſenſuqve vulgi disiunctum, famae, et meritis Boſii honorem, atqve officium tam diligenter ſervare, ut ſimul Schiltero, qvem ipſe vivus obſervavit in primis, et coluit, te totum traderes, fructumqve hunc nobis, et melioribus doctrinae ſtudiis afferres. Illud autem tecum doleo, iniqvius cum Boeclero, reconditae eruditionis viro, actum fuiſſe. Ego, qvoad inveſtigare potui, accepi, opuſculum, a peregrino, et proletario homine deſcriptum, non laedendae qvidem ſummi viri exiſtimationis, ſed qvaeſtus, lucriqve captandi cauſa, in lucem exiiſſe. Nam ut iſtud hominum genus eſt, ex re qvavis commoda ſua parat, intereſtqve reipublicae legibus cum illis agi, qvi in poſterum tale qvid conabuntur. Schilteri diſſertatio de argumento publice utili, et fructuoſo, ſpem mihi egregiam facit, praeſertim hoc tempore, qvo occultis Antiſtitum conſiliis noſtrarum *eccleſiarum* libertas petitur, Pontificiis, ut fere ſolent, ex fortuna animum ſumpturis. Qvae cuiusmodi

modi ſint, facile qvisqve divinamus, et Principes ipſi, qvorum dignitas agitur, praecipere conſiliis poſſunt, ii maxime, qvi vicinum habent Antiſtitem Monaſterienſem. De cetero tuam de Comitibus Palatii Caeſarei diſſertationem, qvam ad inſigne, luculentumqve, necdum vero editum ſummi Reineſii monimentum adiunges, avide expecto, qvippe qvae amplum, ſplendidumqve argumentum complectitur, et digna eſt, in qva vires tuas experiaris. Illud vero te non fugit, Comites Palatii apud Francos, et Comites Palatii ſacri, iure Romano proditos, multis modis inter ſe differre: iidemqve, cum adiectione Palatii Lateranenſis nominati, non tantum memoriam, ut vulgo creditur; ſed etiam ius, validumqve titulum ſupremi dominii Imperatorum in urbem Romam conſervant, atqve adeo, mea opinione, Pontificem etiamnum conſtituunt in mala fide. Rolletius, ut audio, non eſt ipſe Pufendorfius, ſed qvidam eius partium, homo eruditus, ſed vehementior. Schilterus perofficioſe ſalutetur. Αντίδωρα utriqve accipietis, ſi aliam provinciam nactus fuero. Eid. Dec. cIↄ Iↄc LXXVII.

CCCCXLVII.

CAROLO, L. B. A FRISEN.

SEdinum, ex cuius ruinis vicinum, atqve ob commercia diu aemulum, Sundium ſine dubio creſcet magis, atqve effloreſcet, conditionibus, fere in hanc ſententiam perſcriptis, deditionem fecit: uti civitas in poſſeſſione omnium iurium, ſacrorum

rum pariter, ac profanorum relinqveretur: in rebus, et reditibus templorum, ſcholarumqve nihil mutaretur: Senatus, cives, ſacra, et civili dignitate homines, ſimul, et ſine exceptione, oblivionis decreto comprehenderentur: ſuis qvisqve bonis, ſive Svedici miniſtri, ſive cives eſſent, ſecure fruerentur: nemo ob praeteritam muneris adminiſtrationem interpellaretur, aut loco moveretur, ſi ea fide, qva Sveonibus, officii partes praeſtiturus eſſet: praeſidium de urbe, explicatis vexillis, ſonantibus tympanis, more militari decederet, et cum impedimentis in Livoniam deduceretur. Omnium ante actorum venia facta, impunitateqve, ſub ſigillo pacti conventi promiſſa, urbs ſe dedidit d. XVI. Decembris huius vertentis anni, qvem huic urbi qvondam praedixit fatalem fore Fridebornius, Pomeraniae Duci ab epiſtolis, vir praecipue hiſtoriae Pomeranicae gnarus. Qvae fortuna induxit Anglos, ut iam pro Sveonibus diligentius laborent, ſpe, ſtudioqve inducti ad conſervandas reliqvias, qvae in Germania ſuperſunt. Gallus, niſi compedes iniiciant Helvetii, non modo Flandriam, Hannoniamqve ſuae ditionis faciet; ſed etiam *Ducatum* Mediolanenſem, qvem defendi illorum, totiusqve Italiae intereſt, magna vi, copiisqve oppugnabit. Nuper occupato Gillaino, mons Hannoniae, Italiaqve in periculo verſantur: Ypera, ceteraeqve Flandriae civitates nihilo tutiores ſunt futurae. Aſſertur regem primo vere ad occupandas Moſae urbes profecturum, ut hinc aditum ſibi muniat ad Rhenum in poteſtatem redigendum.

Sed

Sed tandem expergiſcetur Anglus, et cum vicinitatis cauſa Flandriae, tum neceſſitudinis, Auriaco Foederatisqve officium praeſtabit, Europae pacem pro eo, ac poteſt, et debet, recuperaturus. Vngari factioſi regem ſibi deſignarunt, omniaqve tumultu, et caedibus complent, connivente Polono, ut gratificetur Gallo, Auſtriis in ſpem ultionis, per Imperatorem Ruſſorum exercendae, erectis, ut forte eum poeniteat tandem aliqvando partium Gallicarum, non modo, qvod ſemper creditum eſt, Poloniae firmamentum eſſe poſitum in amicitia Auſtriorum; ſed etiam, qvia foedera antiqva, Polonos inter, atqve Vngaros inita, mutuam, eamqve perpetuam defenſionem ſanciunt, resqve Galliae non ſunt eiusmodi, ut in republica diſcordi, malisqve publicis prope conſumpta, plenam, ac regiam poteſtatem conciliare poſſint. Interim te cum incluta familia ſervet, tuaqve conſilia fortunet DEVS immortalis. d. XXI. Dec. cIↃ IↃc LXXVII.

CCCCXLIIX.

HENRICO, L.B. A FRISEN.

SEdinum, qvod nullo impetu capi potuit, ea de cauſa deditionem fecit, qvod Sveones, metu a Ruſſis iniecto, nec diſtinere Brandenburgicum, neqve urbi laboranti ferre auxilium poſſent. Etſi enim per Samogitiam ex Livonia inferre ſe in Pruſſiam *Ducalem*, incurſionesqve in circumiacentem agrum facere conſtituerant: tamen hanc occaſionem minae Ruſſorum eripuerunt, ad Livo-

niam oppugnandam profecturi, ſi Pruſſiae bellum iſti molirentur. Similiter brevi experietur forſan Sobieſcius, qvam vicem ipſi, huc uſqve conniventi, aut potius tacite foventi conſilia Polonorum, qvi factioſis Vngaris ſe adiunxerunt, redditura ſit Auſtria, qvippe qvae Ruſſici belli molem in eum conferre ſtudet: nec negandum eſt, multas ipſi fore cauſas, cur plus a Ruſſis, belli in Polonia ſucceſſibus ad maiora audenda ſublatis, qvam a Turcis, timendum eſſe, putet. Qvorſum vero Vngarorum iſte motus evaſurus ſit, qvi, Gallis conſilia, et vires ſubminiſtrantibus, bellum atrociſſime perſeqvuntur, non auſim temere coniectare: qvanqvam e republica futurum eſſet, ut Auſtria vehementiſſima Antiſtitum conſilia procul haberet, nec libertati ſacrorum vim faceret, licentiamqve iſtorum hominum, dies, noctesqve immodica cupientium, caſtigaret, atqve inhiberet. In qvam ſpem cum venire non poſſint facile *Proteſtantes*, tum prudenter, atqve opportune foederibus defenſionis ſe firmant: praecipue hoc tempore, qvo is demum ſecurus eſt, qvi tempeſtive metuit. Eo minus Auſtria, ut finitimus qvidam Princeps ſuſpicari poteſt de negotio defenſionis, proxime Eulenburgi confecto. Licet id omni iure, et probat ſummam, ſalutaremqve tuam, et ſanctioris conſilii ſociorum prudentiam, qvae animo praecipit non modo, qvae eventura ſunt; ſed etiam, qvae evenire poſſunt, ut maxime non eveniant. Antiſtes Monaſterienſis ſuopte ingenio varius, et audax, viciniſqve ſuſpectus, et gravis, dicitur

citur caſtri Bremerverdenſis opera ſolo aeqvaturus. Simul et mandata Caeſaris, a propoſito intempeſtivarum in Friſia, qva ſpectat in orientem, actionum, qvodammodo avertunt, retrahuntqve invitum. Interim te DEVS bene, ac feliciter agere iubeat, ut nihil ſuſcipias, ac modereris, qvin ex animi tui ſententia ſuccedat, patriaeqve utile ſit, et glorioſum. d. XXI. Dec. cIↄ Iↄc LXXVII.

CCCCXLIX.

HERMANNO CONRINGIO.

DEcem dies ſunt, cum literas tuas accepi, eo qvidem mihi iucundiores, qvod animum tuum, nulla offenſiuncula immutatum, confirmarunt. Cum enim in patrio ludo verſarer, deqve nomine tuo, et ſummis meritis perfreqventer audirem, tacite famam tuam veneratus ſum, coepiqve optare aſpectum, et conſvetudinem tuam. Sed qvia parens meus, aetate, curisqve confectus, flagitabat, ut vicinae Academiae nomen darem, de conſilio neceſſariorum meorum Gieſſam miſſus ſum, ac eos proſeqvendi ſtudii auctores habui, qvi omnia tua et legebant aſſidue, et pro merito commendabant. Diterichius, qvocum Parens meus in Academia Marpurgenſi familiariter vixerat, me prope filii loco habuit, et bonis literis ſic erudivit, ut non minus illi, qvam vero Parenti, debere velim. Eodem tempore Iacobi Leblei, iuris prudentiſſimi viri, benevolentia permagnum mihi momentum attulit. Is tui honoris adeo cupidus erat, ut, habito de tuis laudibus ſermone, aliqvo-

ties iuris peritiſſimum Taborem offenderit. Etſi vero horum virorum benevolentia me ſummopere adiuvit: tamen parens, ab amicis perſvaſus, a propoſito me dimovebat, cupiebatqve, ut Theologi officium, et partes ſuſciperem. Igitur huc migrandum erat, ut diſputando acuerem animum: qvod eiusmodi erat, ut bonarum literarum prope oblivifcerer, ſuperiorisqve ſtudii gloriam inepto iſto, et proletario, ut vulgo apud nos eſt, philoſophandi more obſcurarem. Domum reverſus in ſpem ſacerdotii, a qvo tamen alieniſſimus ſemper fui, erigebar. Cum autem patroni intelligerent, ſtudia mea alio ſpectare, ſimul autem ſub id tempus Gymnaſium patrium docto viro ornandum videretur, mihi, vix vigeſimum aetatis annum egreſſo, negotium datum eſt, ut, ſaltem exercendi ingenii cauſa, atqve ad tempus, illi praeeſſem. Vix fungi eo munere inceperam, cum, fatali qvodam meo malo, incurri offenſam ſacerdotum, aegre ferentium, a me commendari ſcriptores, in parte religionis a noſtris diſſidentes, et laudari in primis externos, eosqve mea opinione optimos, atqve ſelectiſſimos; in iis vero ſtudiis, qvae humanitatis, atqve antiqvitatis fines non egrederentur. Tum vero primum tempeſtas mihi incubuit, qvam vix, Patrone, nec ſine animi dolore recordari poſſum, qvod lubrica, necdum matura aetate in religionis depravatae ſuſpicionem vocarunt: praeſertim iſte, cuius nomen conſulto non adſcribo. Vndiqve literae, et nuncii advolarunt, ſecus, atqve cogitavi, ancipi-

tes,

tes, et varii, qvi meam maxime exiſtimationem tangebant; nec finis, aut modus erat invidiae, ac livoris. Sed ita me defendi, ut ne hiſcere qvidem auderet ſuperbus literarum contemptor, qvi multa mihi commoda eripuit, nec minus indigne, qvam iniqve mecum egit. Itaqve diutius me continere non potui, qvin aulae rem exponerem, et, qvas conſilii rationes conſtitutas habeam, tempeſtive, et pro eo, ac decet, reverenter ſignificarem. Ii vero iam audaciae fraenos iniecerunt, et in ſpem multo meliorem me erexerunt. Ego inter has lites munio me ſcuto conſtantiae, et partes, officiumqve praeſto, ſi maxime etiam ringantur. De cetero tibi morem geſſi, et excellentiſſimos Friſios nomine tuo, qvod vehementer amant, reverenter ſalutavi: ſimul et Zieglerum, ac reliqvos tuae dignitatis ſtudioſisſimos viros, iuſſu tuo perhonorifice appellavi. Sedinum, qvod huc uſqve Brandenburgici fortunam fregit, XVI. die huius menſis, certis, utilibusqve conditionibus, in deditionem conſenſit, nullo ſane impetu expugnandum, niſi de omni ſpe afferendi ſubſidii, diſtinendiqve in Pruſſia Brandenburgici deiectum fuiſſet. Vrbs etſi libertatem cum in ſacris, tum profanis iuribus, privilegiisqve pacta eſt: tamen in moerore, et ruinis iacet, reſumptura vires, et priſtinum ſplendorem, ſi ditionis Svedicae manſiſſet, Gallo pecuniam, Sveonibus commercia favorabilia ſuppeditaturis. Vereor etiam, ne opes Batavorum, eo migrantium, iura, dignitatemqve antiqvorum civium opprimant, dum plures ege-

ſtas impediet, qvo minus de integro aedes extruendas curent. Interim Princeps ille Elector utriqve Saxoniae circulo videtur fieri formidabilis, eo magis, qvia in animo habet omnes regiones ſuas uni addicere, conſtituto iure primogeniturae, qvod fulcimentum eſt Principum Germanorum. Foedus defenſionis, Eulenburgi nuper ictum, oratori Caeſaris permoleſtum accidiſſe, audivi, eo qvod eius non eſſet cauſa, cum, qvod Caeſar nihil praeter officium ageret, conſuleretqve in Principes: tum, qvod Brandenburgicus contra hoſtes, aggreſſoresqve arma cepiſſet, atqve adeo nemini iuſtam, ac ſufficientem ſuſpicionem moviſſet. Qvicqvid eius ſit, opto ego iuxta cum omnibus bonis civibus, id felix, fortunatumqve eſſe. Is enim demum hodie ſecurus eſt, qvi tempeſtive metuit. Nam etſi de Caeſare, alioqvi motibus Vngaricis etiam diſtracto, nihil ſuſpicari debeo: tamen ea ſunt Antiſtitum, qvibus ſubinde indulgetur, ingenia, ut nihil modicum cupiant, qvos tu omnes praeclaro illo libro tuo, hoc anno edito, docuiſti, qvo pacto inter ordines, religione disſidentes, concordia, multis impendiis redintegrata, conſervetur. In primis autem obteſtandus eſt DEVS, ut reſpiciat patriam, iugo Gallico oppreſſam, qvando noſtri fere conſilia poſt res afferunt, occaſionesqve negligunt, aut ſententiis ab ſe disſident, aut ſubſidiis annonae, expeditionisqve non inſtructi, rebus infectis revertuntur, ut proxime Carolo Lotharingo evenit, cautiori in poſterum futuro, ſi coeptorum fortuna ex rebus Hiſpanorum, Bata-

vo-

vorumqve pendeat, qvi plane ſpem eius optimam fefellerunt. Et, poſtqvam retroceſſit, conſumptis inedia pluribus, in Alſatia nihilo felicior fuit, caſtrumqve Briſgoviae munitisſimum liberare non potuit, magno et Caeſaris, et ſuo detrimento. Qvo rerum ſtatu Rex Angliae vicinorum duorum Regum potentiam moderabitur, ut neuter deprimatur prorſus, atqve evertatur: idemqve cupiet, ut cum regibus ſeptentrionis agatur. Helvetii demum providebunt, ne *Ducatus* Mediolanenſis, ex qvo tota Italia debellari poſſet, invadatur, ac veteri Domino eripiatur. Regis Poloniae, conniventis in rebus turbidis Vngariae, tacitum erga Auſtrios odium Moſchorum Imperator, in Podolia viribus, fortunaqve auctus, ulciſcetur. Verum haec tibi, ſumme vir, fiducia tuae ſingularis erga me benevolentiae, qvam perpetuam ſpero, qvi DEVM ſupplex veneror, ut tuum decus patriae, reiqve publicae aeternum praeſtet, et ſacrum natalitium eſſe tibi pariter fauſtum, et Kalendas etiam Ianuarias proſperas tibi evenire iubeat, ut te ſemper ſalvum, ſoſpitemqve habeamus. d. XXIII. Dec. cIↄ Iↄc LXXVII.

Zieglerus noſter aliqvid commentatur de Diaconis, et Diaconiſſis. Opuſculum Reineſi poſthumum, de comitibus Palatii Lateranenſis edendum, literae Iena ſcriptae ſignificarunt. De qvo viro iudicat inter Belgas Antonius Borromanſius, eum ſummi iudicii, ſed aſperioris ingenii fuiſſe, ſine dubio ob acerrimas, atqve vehementiſſimas cenſuras. Dixit mihi D. Nergerus, qvi et

ſalvere te iubet, abs te ſibi ſcriptum, me a viro qvodam contumelioſe appetitum: qvod an ita ſe habeat, ſcire in primis cupio; nec tu me, ſi ita eſt, ſumme vir, celabis. Feſtinanter, ut vides, qvod admiratori tuo facile condonabis. Dumqve, epiſtolam obſignaturus, finio, Dreſda affertur Saxonem noſtrum Brandenburgico hoc officium tribuiſſe, ut propter allevandum militiae onus magnam vim numorum uncialium dono dederit, ſimul et duas cohortes ſubſidio mittendas promiſerit, magno cum utriusqve aulae gaudio, qvo amicitia, et pax continentur. Secretus metus eſt erga Polonos, qvaſi pro Sveonibus aliqvid ſuſcepturos. Gallus, dum in Italia Hiſpanis molitur bellum, Helvetios, Rhaetosqve a veterno excitabit, ceterosqve, qvorum intereſt. Verſus Flandriam obex ab Anglo obiicietur. Qvod ut fiat, pacisqve conſilium fortunetur, faxit DEVS, tibiqve felices Kalendas Ianuarias evenire iubeat.

CCCCL.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

ITerum tua, et patriae cauſa gaudeo, qvod felicibus conſiliis vicinam *Marchiam*, una voluntate, ſtudioqve Saxoniae coniunxiſti, et aulae Berolinenſi amplificandae pariter, et praedicandae tuae laudis cauſam dediſti. Multum enim ea re tributum eſt Brandenburgico, ſubverenti, ne per ſummam iniuriam a Polonis invadatur: cui, iam dedito Sedino, novum ſubſidium Saxonia prae-

praebet, et inter arma etiam novit beneficiis vincere, ut ne qvid detrimenti reſpublica capiat, qvin potius amicitia, concordiaqve adverſus dolos, aſtumqve externorum regum muniatur. Gedano accepi, legatum Gallicum dixiſſe, eam fore huius belli aleam, ut Sveonibus ſolis male ceſſura ſit, qvod pro horum conditione temporum, mutari non poſſet. Interim Galliae Rex non modo vim reprimit; ſed qvoqve infert, et celebritate armorum conata foederatorum ſemper antevertit, iamqve de opprimendo *Ducatu* Mediolanenſi, ex qvo totius Italiae ſalus pendet, conſilium capit. Qvae res qvorſum tandem exeat, ſuſpenſus ſum, niſi Serveſta mihi renunciatum fuiſſet, Principem Auriacum Deſſaviam ſorori, Henricae Catharinae, perſcripſiſſe, ſocerum regem, Carolum, partes ſuas, foederatorumqve *electurum*, niſi aeqvas conditiones accipere velit Chriſtianisſimus rex: qvae una ratio eſt ſufficiens, ut omnes in ſpem pacis, inſtanti anno recuperandae, inducat: qvod, ſcio, Domine, te velle qvoqve, ac optare cum Purpuratis, qvi hanc gloriam nomini veſtro comparaſtis, qvod inter publicos patriae motus vos ſoli opes, viresqve Saxoniae pace firmaſtis. Qvae ut perpetua ſit vobis, et peculiaris tua, Domine, precor DEVM, et voveo, ut omnibus fortunae beneficiis, cum illuſtrisſimo fratre, familiaqve univerſa, ac tota aula, firmo, ac perpetuo qvodam gentis tuae iure, fruaris. d. XXVII. Dec. cIↄ Iↄc LXXVII.

Ll 5 CCCCLI.

CCCCLI.

SIMONI REVTERO.

Miror audaciam, qvod tam praefracte ſcribis, te integrum, purumqve eſſe, nec Academiae, cuius tabulae ad citandum te affixae, deſcriptaeqve, brevi ad te venient, teneri te, impudenter ſatis affirmas. Nam, qvod de invidis, atqve aemulis tuis memoras, per eſt ridiculum: iurati teſtes, in qvibus ne qvidem ſuſpicio invidiae reſidere ulla poteſt, contra te producuntur. Non enim rumoribus; ſed rerum argumentis; iam convictus es, qvod impulſor fueris effringendarum aedium, et poſtea, non ſine perfidiae labe, contra ſacramentum civis Academici hinc te proripueris. Si tu citatus venias, pari modo, ordineqve iuris legitimo te rerum ſurreptarum, et pecuniarum, librorumqve, furtim ablatorum, convictum dabo; nec verbis, ſed iure experiar: ſiqve id defugias, acta inqviſitionis eo mittam, ubi in poſterum es commoraturus. De me, qvid videris, qvid audiveris, libere intrepideqve dicas. Servio Principi *Electori*: ſervo fidem: ſtudeo honori, commodisqve patriae: averſor malos: odi leves, proiectosqve homines; contra amo bonos, etiam illos, qvi difficili fortuna utuntur, et propter virtutem qvoqve invidiam ſuſtinent, ac omnia iniqva patiuntur. Tu vero male agendo qvale incitamentum laudis tibi promittere potes, fidei, honeſtatis oblite? Miſſa iſta rhapſodia in iudicio contra te valebit, ſi iuratis multorum teſtimoniis in rubo-

rem

rem ageris. Haec tempeſtive in animo cogita, et ſatisfactionis rationes ini: honor, ſalus, omnia tua in diſcrimine verſantur. Si vero, ablatam pecuniam reſtituturum te, recipias, honeſtasqve rationes reddendi erepta accipias, non vocaberis meo nomine in ius, factaqve iſta tua, ſane turpia, oblivione delebuntur, cum hoc animo ſim, ut iuvare potius unumqvemqve velim, qvam qvoqvo modo deprimere. Qvod ſi facere refrageris, omnes opes, copiasqve meas pertinaciae tuae opponam, faciamqve, ut credas, vere dixiſſe hoſpitem, qvae tu tibi perſvadere non potuiſti, qvi tamen in publico ſenatu, tanqvam reus violatae fidei, deſertorqve vadimonii ob tumultum publicum, es damnatus. Qvae acta, forma, modoqve iudiciario patronis tuis mittam, ſive velis, ſive nolis, ſi mihi non ſatisfacias. Credas, me nihil incepturum, ubi non ſciam, iure me victurum. Igitur haec in animum demitte, et eſto fortunae tuae faber. Adhuc tempus eſt, ſi vel promittas, te ſatisfacturum. d. XXIIX. Dec. cIↃIↃc LXXVII.

CCCCLII.

N. IVNGHANSIO.

SEro mihi redditae ſunt literae tuae, qvas curandas M. Hahnio dederas, ex qvibus intellexi, te Spangenbergii chronicon ſelegiſſe, mihi vendendum, ſi argenteum numum expoſiturus pro eo eſſem. Qvod non refugio, et fateor, me omnia eius viri opuſcula habere, praeterqvam illud Chronicon

nicon Mansfeldenſe, dummodo integrum ſit, et nulla parte detritum, atqve imminutum. Nactus etiam ſum codicem, eius manu ſcriptum, in hiſtoria Aſcania, qvod viri eius induſtriam cum primis mihi, in ea perdiligenter verſato, approbavit. Verſus, qvos miſiſti, in poetam infelicem ſcriptos, legi; ſed qvorum auctor non debuit neſcire, V. capitis veniam eſſe factam, ea tamen lege, ut ad virgas militum damnaretur: non ut ictus acciperet; ſed qvo eius poenae ſimulacrum eſſet, qvam ſubeunt milites, ordinum deſertores. Sedinum honeſtis conditionibus ſe dedidit, omniaqve iura, et privilegia ſalva ſibi fore, prius pactum eſt, qvam in hoſtis poteſtatem veniret. Id certum eſt, Sveones de tota Pomerania, Rugiaqve deceſſuros, ſi Danus ea ſit reſtiturus, qvae in Scania occupavit. In Livonia ſibi timent a Ruſſis, qvi ob veteres finium controverſias bellum minantur. Vngarorum impetus, poſtqvam reiecti ſunt ab oppugnatione Beſſermini, relangveſcit, omniaqve conſilia factioſorum confuſa ſunt, ac inter ſe pugnantia, poſtqvam Eperieſſini occupandi occaſionem neglexerunt. Interim ope, auctoritateqve Regis Angliae ſubitam pacem ſperamus, qvae ut redeat afflictae Germaniae, et tibi, tuisqve rebus nulla felicitas deſit, ſub hoc tempus, qvo amicus amico bene ſolet precari, tota mente, atqve animo DEVM precabor. d. III. Ian. cIↄ Iↄc LXXIIX.

CCCCLIII.

CCCCLIII.
ADAMO CHRISTOPH. IACOBI.

HEri coenavi apud iure conſultiſſimum Zieglerum: fuitqve tunc nominis tui recordatio nobis iucundiſſima: optavimusqve ambo, ut res tuae perpetuo florentes, integraeqve eſſent, ac illuſtriſſimus Senatus veſter in priſtina gloriae, felicitatisqve poſſeſſione firmaretur. Multum enim ad aulae Saxonicae laudem, atqve noſtratis Academiae incrementum accedit, ſi vos omnes, atqve ſinguli, qvorum patrocinio maximo, atqve ampliſſimo fruimur, proſpera, et conſtanti valetudine ſitis, hocqve etiam ſtudiis literarum tribuatis, ut per manus qvaſi nobis tradita, veſtro beneficio, uſqve ad ſeram poſteritatem conſerventur. Simul oro DEVM, ut familiam tuam ſalvam, ac incolumem praeſtet, filiosqve, ad paterna exempla excitatos, confirmet, ut ſplendori, ornamentoqve patriae ſint, rectoqve ſemper curſu incedentes tandem in ſummo honoris faſtigio collocentur. De pace Germaniae ſpero, et credo futurum, ut hoc anno, qvem DEVS reipublicae Chriſtianae, patriaeqve in primis fauſtum eſſe iubeat, revocetur, atqve reſtituatur, et, ſopitis belli, qvod ſuperiori tempore coeptum eſt, moleſtiis, et calamitatibus, nullam iniuriam, impetumqve hoſtis in poſterum pertimeſcamus. Certum habeo, Sveones de tota Pomerania, Rugiaqve deceſſuros, ſi hac conditione

re-

recipere Scaniam, ac retinere proximos, et qvaſi domeſticos regni fines poſſint. Gallus interim, toti Flandriae inhians, graviter minatus eſt, aut conditiones aeqvas acciperet, aut bellum, communibus, Angliaeqve coniunctis viribus, contra ſe gerendum expectaret. Sed DEVS reſpiciat patriam, teqve, eius inſigne decus, et fulcimentum, praeſenti auxilio corroboret, ac tuetur. d. IV. Ian. cIↄ Iↄc LXXIIX.

CCCCLIV.

N. TESMARO.

QVae Conſiliarius reipublicae veſtratis, ampliſſimus vir, Georgius Hegenvaldus, pro ſuo in me animo, benevolentiaqve ſingulari, per te, qvaſi novae amicitiae interpretem, et conciliatorem, perſcribi pariter, ac curari iuſſit, ea, cum auctori ornamento ſint, tum mihi diſplicere non poſſunt. Ex qvo intelligis facile, qvam libenter acceperim, qvae eius nomine miſiſti, qvi ſcias, diligenter a me obſervari viros, qvotqvot auctoritate ſua rem literariam iuvant, ornantqve. Paucos enim hodie videas, qvi iuriſprudentiam cum bonis literis, a qvibus tamen, velut a fontibus, omnis liberalis doctrina dimanat, ita coniungant, ut prodire in publicum, ac dicere pro roſtris, et dare ſpecimen iuventuti cum dignitate qveant. Qvare eius viri nomen mihi carum eſt, et cupio, ut illi affirmes, me honoris, meritorumqve ipſius ſtudioſiſſimum fore. Deditionis Sedinenſis capita prius vidi, qvam

qvam abs te miſſa ſunt: carmina fere plus pietatis, qvam ingenii oſtendunt; optandusqve eſt poeta inſignior, vel Sabinus aliqvis, qvi gravius aliqvid ſplendidiusqve pangat. Ego, a vobis remotior, duntaxat in voti religione conqvieſco, ac DEVM precor, ut Brandenburgicus ille Achilles hanc laudem Germanis perpetuo memorandam relinqvat, qvod pro ſalute, et gloria Imperii tot pericula adierit, et iuſtam cauſam armis defenderit, Sedinumqve, ſine qvo nunqvam tuto eſſe licuit, ad deditionem redegerit, ac lucem, libertatemqve Germanicam reſtituerit feliciter, ac firmarit. Fuitqve hoc tale opus, ut tota Europa miretur, et barbari, magnitudine famae exciti, veniant, Principisqve ſummi facta venerentur. Is enim Gallos, qvos antea, a ſociis deſtitutus, non potuit, per latus Sveonum qvoqve vicit, et Auriacum, ex qvo Belgii ſalus pendebat, contra aemulos firmavit, ſeditiones gliſcentes extinxit, concordiam reduxit, et ſpe, expectationeqve maiora effecit, hoc glorioſior, qvod deditae urbi ignovit, et omnes ſuperiores offenſas, iniuriasqve, velut pater, condonavit; omnia privilegia, tam ſacra, qvam profana, reliqvit, et conſervavit, ac talem ſe praebuit, ut fortitudo, et clementia, ſummo, ac inaudito qvodam laudis certamine, in eo eniteſcant. Nec, ut vulgus rerum ignarum putat, Saxonia illi hanc laudem invidet; ſed gratulatur, et vovet, ut Saxonica fides in amicitia Brandenburgica magis, magisqve exſplendeſcat. Sangvis Germanus, tot foederibus, neceſſitudinibusqve copulatus Germanica

nica concordia aletur in poſterum, et ſic augebitur, ut externam vim, minas, invidiam, odia, non pertimeſcat. Qvod DEVS ratum eſſe iubeat, et vicinos inter, cognatosqve Principes tranqvillitatem ſervet. Vale. d. X. Ianuar. cIↄ Iↄc LXXIIX. qvem tibi opto eſſe ſalutarem.

CCCCLV.
GEORGIO HEGENVALDO,
Consiliario Stargard.

PErgrata ſunt mihi ea omnia, qvae mittenda curaviſti, qvippe qvae eiusmodi eſſe video, ut ſummum ſtudium, curamqve auctoris probent, et, non modo in curia, foroqve; ſed etiam, in reconditis illis literis, qvibus ad interiorem doctrinam erudimur, praeclare verſatum, oſtendant. Cum ergo vel eo nomine ſis mihi obſervandus, tum ſtudebo ſemper honori tuo, et exiſtimabo, nihil tam difficile fore, qvod tua cauſa ſuſcipere, conficereqve non debeam. Illud vero te rogabo, ut iuvenibus, qvi egregia, et vita, ſcholisqve utilia didicerunt, opem, patrociniumqve praeſtare, ne recuſes, cum qvod tuae prudentiae, auctoritatisqve ſit iuvari honeſtos viros, ac identidem excitari; tum qvod poſteritati ſerere qvaſi arbores, et, qvid huic profuturum ſit, animo proſpicere neceſſe habeas, qvi eo ſis loco, ut ad ornanda ingenia permagnum pondus afferre poſſis. Idqve eo ſpectat, ut tibi, et ampliſſimo Senatui Stargardienſi commendem Danielem Teſmarum, iuvenem et vita, et doctrina,

na,

na, qvoad hic vixit, egregium, et ita celeberrimo Valthero noſtro, ac mihi deditum, ut non poſſemus aliter, qvin eius in ſtudio, inſtitutoqve honeſtiſſimo acqvieſceremus. Qvare tuae dignitati, et prudentiae convenit, ut per te munus, qvod vehementer optat, conſeqvatur, levetqve tandem ſic vitae privatae moleſtias, ac de patria ſua, ſuſceptis docendi partibus, pulchre, beneqve mereatur. Nam eum maxime puto ornandum, qvi DEI cultum, veramqve religionem cum artibus optimis coniunxit, omnemqve operam ad viros ſummos audiendos ſemper contulit, ac talem ſe praebuit, ut patriae fructum ſane maximum ſit allaturus. Ita te DEVS, familiamqve tuam florentiſſimam ſervet. d. X. Ianuar. cIɔ Iɔc LXXIIX.

CCCCLVI.
M. IO. IAC. STVBELIO.

Accepi ab amico, honoris tui cupidiſſimo, Chronicon qvoddam Freibergenſe, librum manu ſcriptum, eſſe in tuis manibus. Qvem ſi, pro amicitia veteri, mecum communicares, pergratum officium mihi navaturus eſſes. Cumqve is ſim, ut ſtudere velim commodis tuis, fortunamqve florere, nihil tua cauſa, qvod viciſſim honeſte poſſim, facere recuſabo. Laertium, cuius editio penes te eſt, uſibus meis aptior, vix auſim nominare, ne aures tuas obtundam, ac prope extorqvere videar. Ego, ſi placet conſilium, libros alios dabo, pretio non inferiores, ut videas,

me nihil abs te petere impudenter. Sumus enim qvisqve iuvandis aliis nati, et pro eo, ac par eſt, mutui debitores. Tu fac, ut ſentiam, qvid tibi videatur: me ſtudiis, officiisqve certantem ſemper experieris, et, ſi qvid ſit, qvalecunqve etiam ſit, ubi tuo honori, utilitatiqve ſervire poſſim, de me exiſtimabis, curaturum. Nos pacem ſperamus, opera Angli reſtituendam: Sveones e Germaniae finibus excedent. Hoc belli ipſorum auctoramentum erit. d. XIIX. Ianuar. cIɔ Iɔc LXXIIX.

CCCCLVII.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

POſtqvam inter me, et Hubnerum bibliopolam conventum eſt, ut, Sleidani coeptam hiſtoriam perficerem, ita ſum impeditus, ut omnes horas, qvas a munere docendi vacuas habeo, illi labori impendam. Subvereor autem, ne iniuſſu tuo periculum adeam, petoqve abs te eam ob cauſam, ut primas eius inſtituti lineas, qvas curabit Hubnerus, aeqvo animo contempleris. Si enim, probare te, intelligam, nec periculo mihi futurum, nomini tuo, ut antea, ita in poſterum erit ſacrum. Recentium enim rerum ſumma capita attingo, ſtudium, iramqve procul habens, et perſonam ſuſtinens, qvam res, munusqve poſtulare mihi videtur. Imperio Germanico ultima prope ſunt expectanda, ſi pax irrita fuerit, Bavarusqve partes Gallicas amplectatur. Dani conſilia, et fortunam clades in Rugia accepta convertit, partim ſecuri-

curitate eorum, qvi Koenigsmarckium aditu arcere poterant; partim diſſenſione tribunorum, cum Rumohrius, meliore fortuna dignus, et ſub Gallicis, Luneburgicis, Danicisqve ſignis ſumma cum laude meritus, praeter ſpem omnium cecidiſſet, et, qvod dolendum, inultus, qvando nec legatus ab eo conſtitutus, nec locus ad receptum idoneus fuerat. Septem millia profligata ſunt: omnes autem capti, aut caeſi: pauci, ſumptis cymbis, effugerunt. Flos Pruſſicae Nobilitatis eſt proſtratus, robur cohortis Stralſundicae amiſſum, et longo bello durati milites veterani, multisqve expeditionibus inſignes, vel occubuerunt, vel deſtituti ſponte ſe dediderunt. Cum de ea ſtrage ad Brandenburgicum nuncius perlatus eſt, omiſſis laetitiae inſtrumentis diſceſſit a Marchione, Ioanne Friderico, agnato, propter metum non expectatum, et Sedini in primis ancipitem fortunam ſi Koenigsmarckius vires reciperet. Verum proxime id grave Sveonibus accidit, qvod Dani navem, pecunia onuſtam, qvae a regę Galliae miſſa fuerat, interceperunt. Maxime enim in eo regno ſunt difficultates numariae, diſſidiaqve procerum, qvae fortaſſe recuperatio Rugiae, magno eius regni bono, finiet. Bavaro nova ſpes in regno Hungariae facta eſt, ſi in eam ſententiam induci ſe patiatur, ut ſua caſtra cum Caeſare contra turbantes Vngaros coniungat. Angli novum iter per ſeptentrionem deſtinant, aiuntqve, fabulam eſſe de nova Zembla proditam, et multo alia explorari, qvam qvae adhuc affirmentur. Qvod

qvale ſit, tempus docebit, ſi navigationis conſilio, de qvo multa pollicetur Henricus Oldenburgerus, ſcriba ſocietatis Curioſorum, plenus exitus reſpondeat. d. IIX. Febr. cIↄ Iↄc LXXIIX.

CCCCLIIX.

HERMANNO CONRINGIO.

QVod, pro ſummo tuo in me ſtudio, verboſiorem epiſtolam meam, ac fere ieiunam, aſpectuqve tuo indignam, haud ſpernendam putaſti, illud facit, ut in ſpem veniam tuae benevolentiae conſtanter retinendae, qvam apertiſſime mihi declaraſti, qvod ad Baronium legendum et ratione, et exemplo utiliſſimo me es cohortatus. Nam vir iſte, etſi adverſarum partium eſt: tamen ſumma navatae operae laude fraudari non debet, qvippe qvi, mea opinione, primus fuit, qvi hiſtoriam Eccleſiae univerſe, reſpondentibus temporum, actorumqve publicorum intervallis, conſtitutis ad eam rem optimis, exqviſitiſſimisqve ex omni antiqvitate ſubſidiis, ad poſteritatis memoriam propagaret. Neqve tamen neſcio, annales eius multis erroribus ſcatere, qvorum tu inſigniores aliqvot, qvantum ad iurisdictionem imperatorum, ſumma cum iudicii laude abs te vindicatam, ſpectant, dudum et notaſti, et luculentiſſime confutaſti. Dum haec ſcribo, ſimul obſervo, non habuiſſe, qvod coniectaret de auctore VII. Reſcriptorum, qvae, in Chriſtianos promulgata, Vlpianus collegit, ſuppreſſorum. Ego ſane nihil dubito, qvin Trebonianus, qvi multos alios veterum iure-

con-

conſultorum libros ſuſtulit, iis intempeſtiva qvadam ſedulitate nos privaverit. Praeterqvam autem, qvod alioqvi magnam eruditionem, cum prudentia coniunctam, demonſtrat, iis qvoqve in rebus calliditatem prodit, qvibus Pontificiorum utilitatibus, commodiſqve ſerviendum erat. Nihil enim non conqvirit, qvod ad aſſerendas ſectae ſuae ſuperſtitiones qvoqvo modo pertinere putat: cuiusmodi illud eſt, qvod Petrum, cui primatum omnibus modis confirmare ſtudet, in eodem lecto cum Servatore Chriſto, more Romanorum, accumbentem fingit, ut ſingularem illi praerogativam, qvae ab eo ad ſucceſſores Pontifices tranſmiſſa fuerit, tribuat, comprobetqve. Qvare Caſaubono maximo, eum refellenti, audiens ſum: non tamen capio, qvid ſit, qvod dubitet, utrum Servatori, diſcumbenti cum diſcipulis, tres potius, an qvatuor lecti collocati fuerint. Nam, qvod qvini in lecto reclinati fuerint, minime raro eſt factum: ſed in vulgaribus coenis ſaepe, multumqve uſu venit, praeſertim cum viliores eſſent, qvi diſcumberent, ut ſane tunc Servator lautitias, pompamqve magnificam non conſectabatur. Sed his te non obtundam, nec diſputabo, ne fines epiſtolae egredi videar. Illud vero te non fugit, qvam multa, verbis etiam non mutatis, ex iſtis fontibus in areolas ſuas deduxerit Dorſchaeus, vir inter noſtri aevi Theologos doctrina, lectioneqve ſummus, et cum Georgio Calixto in ſeculi huius laudem, poſteritatiſqve admirationem referendus. Tuum concordiae ſacrae ſarciendae ſtudium, cona-

natumqve indefeſſum probo; ſed vereor, ut confectas des eius conſilii rationes, qvando tempora noſtra ita miſera, ac in diſſenſiones prona ſunt, ut nulla prope reconciliationi diffidentium partium ſpes ſuperſit. Putantqve noſtri, has deſtinationes eſſe tales, ut ad exitum perduci non poſſint, id qvod omnium ſeculorum memoria ſatis teſtatum facit. Alioqvi tua vel ab hoſtibus laudantur, et nuper Theologus qvidam honorificam tuae ad Novenum Antonii animadverſionis mentionem fecit; legoqve ipſe cum ſumma voluptate. Vt vel hoc ſit, cur de meo in te ſtudio, obſervantiaqve nihil dubites, credasqve, fucos a me eſſe alieniſſimos, et recti mihi tenaciſſimam, honoriqve tuo addictiſſimam mentem. Nec aliter ſentit Zieglerus, vir priſca fide, et cuius conſvetudine prorſus recreor, ſermonibusqve doctiſſimis ſaepe teneor: utriqve autem vel nominis tui recordatione freqventiſſime exhilaramur. De ſtatu reipublicae recte divinaſti, niſi qvod Anglus, Bavarusqve, belli ſocialis melius gerendi ſpem faciunt, omnesqve velut in Gallum conſpirant. Iſte tandem promiſſis opinionibus in partes Auſtrias trahitur: illum prope poenitet amicitiae Gallicae, qvippe auctori periculum allaturae, ſi Hiſpanos ſuccumbere patiatur. Rugia, per Koenigsmarckium, qvi Danis, Brandenburgicisqve ludus, et iocus erat, recepta, iterum Sveonibus animos fecit, Polonumqve magis in ſtudia eorum inclinat: qvanqvam metus erga Turcas, et Moſchos illi ante oculos eſt; aguntqve hoc Auſtrii, ut eum

his

his artibus diſtineant. Rumohrius, praefectus militiae Danicae ſupremus, imprudenter hoſti copiam pugnandi fecit, non conſtituto legato, unde poſt confuſio orta, trepidatioqve fiduciam reſiſtendi eripuit; nec rebus ita proviſis, ut poſſet eſſe receptus: cumqve is arcere aditu venientem poſſet, mox, ſecurus fortunae, et virium, rem Danicam, ſeqve ipſum perdidit. Septem millia profligata: omnes aut caeſi, aut capti: pauci, ſumptis cymbis, effugerunt. De Engelmannianis monui Zieglerum, qvi omne ſtudium tibi pollicetur; credoqve ego, ad ſupremum Senatum provocationum, qvi Dreſdae eſt, ubi illuſtres conveniri ad ultimum ſolent, litem eam devolvi oportere. Siqve id tibi videatur, et, prout auguror, eveniat, cauſam tuam ſimul Adamo Chriſtophoro Iacobi, iureconſulto illic magni nominis viro, et gratia potentiorum valido, patrono in primis meo, pro virili commendabo. Ita vero te DEVS, nobiliſſimamqve familiam ſervet, ac te diu florere iubeat, valetudinemqve firmam praeſtet. d. X. Febr. cIɔ Iɔc LXXIIX.

CCCCLIX.

N. IVNGHANSIO.

Ziegleri teſtimonium ad te curavi per Lemardum, qvem exqvires apud Gleichmannum. Miror hominum iſtorum moram, negligentiamqve, dum, qvod ſuſcipiunt, non obeunt cum cura, munus. Ab Hubnero, cupio, ut mittatur Valcnierii hiſto-

ſtoria Germanica, qva uti poſſum in eo inſtituto perficiendo. Boernero, hac tranſituro Berolinum, omni opera te commendabo. Paſerinii, pignoris loco dabis diſſertationem, ut in ſpem veniat epiſtolae certo ad eum perferendae, ſi a negotiis magis vacuus ero. Pacem, ſub clypeo coituram, tota Europa ſperat, et redituram Patriae tranqvillitatem, fortunamqve meliorem. d. XXII. Febr. cIↃ IↃc LXXIIX.

CCCCLX.
GEORGIO SCHVBARTO.

QVae de Comitibus Palatii ad me perſcripſiſti, ea omnia recte, atqve diligenter inveſtigavi, neqve ratio ſcribendi, apud Francos recepta, et conſvetudo, uſusqve pragmaticus te ſinunt in eo genere dubitare. Nunqvam enim legas, Francos dixiſſe Comites Palatii ſacri, ut qvidem ſoliti ſunt Romani. Poſtea tamen, et aevo circiter Friderici Aenobarbi, id Germani qvoqve coeperunt imitari; ſic tamen, ut nemini inter utrosqve Comites diſcrimen obſcurum eſſet. Ac de illo Francorum Palatii munere multa, et digna obſervatu tradidit Hincmarus, finesqve cognitionis ipſorum luculenter, et bona fide deſcripſit. Alioqvi titulus codicis Iuſtiniani de comitibus, et archiatris ſacri palatii, recte ſe habet, et Theodoſiano codici, antiqvitati illorum temporum et ſtylo ſophiſtarum, qvi panegyricis Auguſtorum ſcribendis operam dabant,

bant, ex aſſe convenit; docetqve, ſcriptionis formam aetatis iſtius uſu comprobari. Neqve vero paria faciunt Comes palatii ſacri, et Comes Palatii ſacri Lateranenſis. Alterum enim ſcripturae verae, et priſcae reſpondet; alterum eo minus, qvod in Donatione Conſtantini, qvae, me iudice, non eſt ſeculo Karolino antiqvior, ſine adiectione ſacri effertur Palatium Lateranenſe. Τὸ ἡμέτερον βασιλικὸν παλάτιον, τὸ λατεϱανέσιον, et qvae ibi ſeqvuntur. Nec te pigeat legere editum eo commentarium, unde hauſit Limnaeus, qvae de duplici Palatio Lateranenſi eſt commentatus: qvorum rationes cur Freherus, qvi tamen Pithoei, ſumma et doctrina, et fide, et moderatione viri, opuſculum manu, animoqve verſavit, invenire haud potuerit, miror. De Iureconſulto Italo, Maximiliano I. percaro, cuius mentionem facis, in tabulis Academiae noſtratis in haec verba, libro IV. concepta, ſcriptum eſt: Vincentius Ravennas Italus: neqve nullum ibi vel veſtigium Petri Thomaſii adhuc invenire potui, nedum ut diplomatis, a Maximiliano confecti, ſpem facere tibi qveam. Privilegium Maximiliani I. Friderico, ſeptemviro ſapienti, anno ſeculum qvintum decimum finiente impertitum, non plus docet, declaratve, qvam, qvod is ius tribuendorum inſignium gentilitiorum eſt conſecutus, eo modo, formaqve, qvae in diſſertatione de Friderico III. expreſſi. Reliqva adiicere nec utile, nec conſultum videbatur. Etſi enim Comites Palatini hoc beneficio Caeſarum nanciſcuntur, ut largiri eiusmodi

inſignia poſſint: tamen nos ſupra communem Palatinorum conditionem evecti Principis privilegium interpretamur, et ad Palatinatus Saxonici, qvatenus ad patrimonium eius ſpectat κατ' ἐξοχὴν, ſummae poteſtatis aemulam, unde, ius adminiſtrandi interregni, et plura iura alia, velut a fonte derivamus, dirigere haud incertis indiciis ſolemus. Nam ille princeps, qvi in loco patris a Maximiliano diligebatur, qviqve et conſilio perſpicaciſſimo, et prudentia maxima, et virtute, auctoritateqve ſingulari efficere poterat, ut auguſta dignitas in ſtirpe Auſtriae perſeveraret, excelſius aliqvid obtinuiſſe, eſt putandus. Hinc et ultra ditionem Saxonicam non eſt productum, ut iurisdictionis, patrimonium principale definientis, ratio agnoſceretur. De arte ſcutorum, atqve inſignium elaborata qvaedam promiſit Spenerus, operamqve meam occupavit, cuius liber his, credo, nundinis in lucem exibit, induxiqve ipſe eum in hanc ſententiam; nec dubito, qvin tibi ſit profuturum: qvanqvam non nego, multas eſſe Heraldicorum coniecturas, qvae mihi per omnia ſeſe non probant: de qvibus, ſi otium fuerit, te monebo. Vale, et ſtudiis, honoriqve noſtro favere deinceps perge. d. XXII. Febr. cIↄ Iↄc LXXIIX.

CCCCLXI.

CAROLO, L. B. a FRISEN.

Fidei meae convenit, pietatisqve intereſt, et ad patrocinii tui, qvocum maxima beneficia ſemper

per coniungis, gloriam pertinet, ut voti per epiſtolam nuncupandi rationes conficiam, omnibusqve clientis partibus, et officiis fungar. Precari enim DEVM ſoleo pie, ac diligenter, ut illuſtriſſimam gentem tuam perpetuo tuetur, et conſervet, malaqve publica, et luctum ab ea avertat, ut de poſſeſſione felicitatis, et gaudii, qvod ſuperioris anni caſus ſaepe turbarunt, nunqvam dimovearis. In primis etiam hoc tibi tribuat, ut illuſtriſſimi filii gloriae, qvam abs te acceperunt, propagatores ſint, rerumqve optimarum in patria auctores. Nam id videtur qvaſi per me precari velle noſtra Academia, cui tot beneficia abs te attributa ſunt, ut eorum fructum, atqve proventum ſempiternum debere tibi, tuaeqve ſtirpi velit. Simul DEVS Saxoniam reſpiciat, efficiatqve, ut tuis conſiliis omnia tuta, proſperaqve reſpondeant, et pax, maiori Germaniae parte erepta, qvamprimum reſtituatur; praecipue autem tuorum ſummorum, atqve immortalium meritorum memoria nunqvam exoleſcat, familiamqve inclytiſſimam omnibus rebus affluentem, et valedutine, ſucceſſuqve firmam praeſtet, ſereniſſimoqve repetat coelo, in qvod nomen, famaqve dudum ſunt evecta. CIↃ IↃC LXXIIX.

CCCCLXII.

AVGVSTINO EGENOLPHO,

SCHOLAE DRESD. RECTORI.

CVm literae tuae mihi redderentur, valde ſum gaviſus, ſiqvidem benevolentiae tuae nec volo, nec

nec poſſum oblviſci; ac ſaepe etiamnum recordor ſermonum, mutuo habitorum, qvibus uterqve utriqve amorem, ſtudiumqve erga bonas literas teſtabamur. Qvem conatum ſane eximium, ac laudabilem, non verbis modo declaraſti; ſed rebus factisqve etiam comprobaſti, dum frugi homines, diſciplina tua excultos, nobis ſaepe tradis, et qvaſi per coloniam huc mittis, qvi, non dubito, qvin, confectis ſtudiorum rationibus, praeſtituri ſint officium, qvod probos, liberalesqve viros decet. De Graunio habe, non diſplicere mihi eius ingenium, et mores, cum propter ſtudia humanitatis, qvae vulgus adoleſcentum fere ſpernit; tum propter induſtriam, qvam ab eo tempore, qvo hic fuit teſtatam mihi fecit. Eget autem vitae ſubſidiis, qveriturqve, non eſſe ſibi, unde ſcriptores antiqvos luculenter editos ſibi comparare qveat. Qvare auctor ei fui, ſupplicaret illuſtri Senatui ſanctiori, ut per qvem ſtaret, qvominus difficiliori fortuna uteretur. Faveo enim bonis, et modeſtis adoleſcentibus, qvorum hoc noſtro aevo magna eſt inopia; pluresqve levibus malunt indulgere ſodalitatibus, qvam Profeſſoribus operam dare. Qvod malum a miſero ſtatu temporum, et contemptu literarum proficiſcitur: ex qvo fit, ut audacia ſe contra leges arment, licentiamqve perditiſſimam facile in laude ponant. Erit Hercules, qvi haec monſtra profliget tandem, ut pietatis, doctrinaeqve ſtudiis conſulatur. Neſcio autem, qvo fato eveniat, ut eiusmodi carcinomata huc deferantur, et contagione ſua lubricae aetatis iuve-

venes contaminent ſaepe, ac perdant, uti qvidam Gedanenſis hic vixit, qvi infandam impietatis labem, turpiſſimasqve illecebras in adoleſcentum animos inſinuare ſtuduit, et unum, meae curae commiſſum, eo adduxit, ut, cum antea multa de eo reipublicae pollicerer, nunc, deſperato ſimilis, tantum de bello loqvatur. Cuius, dante DEO, ſi brevi futurus eſt finis, videbunt proiecti homines, qvid admiſerint, ut eos, cum veteri iſto, vitae, factiqve taedeat, ac pigeat, non meliori ſorte dignos, qvando doctoribus non ſunt audientes. Melius enititur, ac contendit Graunius, ſpemqve mihi egregiam facit, cui vel tua cauſa nihil denegabo. Vale, celeberrime vir, et de bonis adoleſcentibus bene mereri perge. d. XXVII. Februar. clↄ Iↄc LXXIIX.

CCCCLXIII.

CAROLO, L. B. A FRISEN.

Concede hoc, Domine, audaciae meae, ut, pro amore erga literas, utiliſſimamqve iuris artem, commendare tibi liceat Ioannem Chriſtophorum Gleichmannum, cum, qvod eum ob ſtudia humanitatis, et hiſtoriae Romanae, ſemper dilexi, ac in familiaritatem qvoqve recepi: tum qvod vi qvadam naturae, diligentiaqve ſingulari ad iuris prudentiam contendit, auctusqve ſubſidiis doctrinae haud vulgaribus, Zieglero iureconſulto ſpem inſignem facit. Qvinqvies publice ſtetit diſputans, et luculentis ſane his ſpeciminibus auditorum benevolentiam ſibi facile conciliavit. Saepe

pe etiam, et cum laude eas peregit partes, qvas opponentes, qvos nominamus, ſolent, adeo, ut iureconſultorum ordo illi poteſtatem fecerit aperiendi ſcholas, et erudiendi iuventutem. Eget autem vitae ſubſidiis, et miſero, difficiliqve hoc tempore nullum in fortunis domeſticis praeſidium habet: qvo fit, ut tibi ſupplicet, Domine, atqve ea in re, inſtitutoqve honeſtiſſimo, gratioſiſſimum animum tuum promereri cupiat. Qvod, ut ſpero, pro eo, ac humilimi tui clientes debent, Gleichmannus mecum ſpondet, et pollicetur, illuſtriſſimae gentis tuae admiratorem, ſempiterna parendi lege obnoxium, eſſe velle, et patriae, cuius charitas omnia complectitur, uſui ſemper fore. Rumor de invaſione Iutrebocenſi nullus eſt: ultro ceſſerunt Brandenburgici, cum viderunt, ſerio rem agi, non paſſuris noſtris, ut hoſpitia illic ſibi deſignent. Anglus pro pace adeo annititur; ut ex Belgio ad me perſcriptum fuerit, iam de Flandria, Rhenanisqve regionibus actum fuiſſe, niſi audaciam auctoritate ſua Anglus inhibuiſſet, qvi per expeditos curſores hoſtem ab inſtituta profectione dimovit, adduxitqve ad revertendum in Galliae ſuae fines. Helvetii, non minus in ſuſpicionem adducti, conſilio obniti coeperunt. Interim cum piratis Algierenſibus foedus, ſocietatemqve pepigit, ut per latus noceat Anglis. Sicilia brevi tota redibit in poteſtatem Hiſpanicam, diffiſis ibi fortunae ſuae Gallis. Motus Tranſylvaniae, metusqve Turcarum apud Polonos, ſpesqve pacis, cum Moſchis faciendae, factioſos Vngaros de omni praeſidio deiecit.

cit. Diſceſſus regis Poloniae ex urbe Gedanenſi nec laetus, nec bono omine inſignis fuit. Kal. Mart. cIↃ IↃC LXXIIX.

CCCCLXIV.

HENRICO, L. B. A FRISEN.[1]

SPes pacis ſenſim evaneſcit, multisqve paſſim nunciis ſignificatur, hoc anno gravius, acerbiusqve bellum fore, qvam ſuperioribus annis fuit: praeſertim, cum in eo ſit Anglus, ut ab Austriaco perſvaſus, in partes trahatur, demonſtrata periculi ratione ob Gandavum interceptum, ſiqvidem his rebus futurum ſit, ut brevi tota Flandria, ex qva facilis in Angliam traiectus eſt, in poteſtatem Gallicam redigatur. Ardet enim vindicta Galliae Rex, et celeritate Foederatorum conſilia occupat, occaſionesqve, more ſuo, antevertit. Tum callide conſilia, conatusqve eludit, adeo ut, cum prae ſe ferret, auctoritati, dehortationibusqve Regis Angliae daturum, ut reverteretur in Lotharingiam, mox, attonitis metu Hiſpanis, auxilioqve ſufficiente deſtitutis, ante Gandavum, vaſtam, populoſamqve urbem, conſtiterit armatus, indigentemqve maioris praeſidii ad deditionem paciſcendam compulerit, finesqve ſuos ita firmaverit, ut confectas ſuae defenſionis rationes habeat, Anglumqve ipſum non facile pertimeſcat. Sveonibus, per Lithuaniam ingreſſuris in Pruſſiam, impreſſionemqve facturis, tranſitus eſt denegatus, edito a Polonis ſcripto, qvo cauſae continentur, cur id recuſare neceſſe habuerint. Spes nihilomi-

ominus relinqvitur, futurum, ut ex Livonia milites, annonamqve in Rugiam advehant, propterea, qvod Rex Daniae ſummis viribus claſſem comparat ad eam tam inſignem, opportunamqve maris Baltici inſulam, in qva olim Dani regnarunt, recuperandam. In Tranſylvania coepti a Beldio motus in perniciem factioſorum Vngarorum vertunt. Imperator Turcarum edixit, ut Beldius hoſtis loco habeatur, Apafiusqve locum, et dignitatem Principis tueatur, hac lege, ut turbis Vngaricis ſe ne immiſceat. Gedani diſſidia, ob Strauchium excitata, nondum ſopiri poſſunt: Rex Ioannes III. omnibus, opem ſuam poſcentibus, comem, facilemqve ſe praebuit, eaqve arte proceres, et plebeios pariter, ſtudiis, factionibusqve diviſos, emunxit: diſceſſurus nec opinantibus ſevera mandata dedit, ut, ſeſe deluſos, ſcire poſſent. Cum finio epiſtolam, ex Batavis affertur de ſummis filii tui laudibus, qvibus omnium admirationem ſibi conciliet, atqve ita enitatur, et contendat, ut ſummum, aeternumqve decus polliceatur. Qvod DEVS fortunet inſtitutum, et cum patriae ſalutare, et glorioſum; tum familiae tuae utile, tibiqve ſemper iucundum eſſe iubeat. d. XV. Mart. cIↃ IↃcLXXIIX.

CCCCLXV.
LAVRENTIO BAGGERO.

BRaunmanno, praeter expectationem meam mortuo, brevi epiſtola ultimum officium, pro eo, ac debui, perſolvi, qvod nobiliſſima familia, non dubi-

dubito, qvin bene accipiat, honoriqve meo faveat. Etſi feſtinanter, vere tamen, fideliterqve has partes peragere volui. Oro tamen DEVM, ut mala, calamitatesqve, et funerum triſtiſſimorum caſus a gente Braunmannia avertat, et omnibus fortunae beneficiis cumulet, firmetqve contra adverſa. Scholas hiſtoricas, qvas aperui, nondum deſcribendas curavi: efficiam tamen, ut ſimul exemplum dictatorum, et concionis civilis ex genere ἐπαινετικῷ nanciſcaris. In Rugia male rem geſtam eſſe, non ignorabis, cuius cladis cauſa fuit hoſtium contemptus, nimiaqve ſecuritas, qvae prope res regis optimi, fortiſſimiqve, per Rumohrii imprudentiam, in illo limite convertit. Gedani diſſenſio Senatum inter, et plebem, eo procedit, ut urbs fato ſuo peracerbo urgeatur. Tribunitii homines palam dicunt, niſi reſtituatur Strauchius, omnia in diſcrimen ventura. Rex Sobieſcius ſpecie officii emunxit cives, donaqve largiſſima accepit, diſceſſurus autem poſtulata graviſſima iis reliqvit. Factio Vngarorum, qvi deſciverunt, hoc rerum ſtatu eo minus virium habet, qvod Turca ea ex cauſa in Transſylvanum Apafium animadvertit. Nec Polonis bene vertet ſtudium Gallicum, qvod Turca non vult ſuperiores conditiones ratas habere. Galli audaciam inhibet auctoritas Angli, et occupatio Friburgae, qvam Lotharingus purgare non poteſt, niſi qvod perfidiam praefecti caſtro cauſatur. Helvetios ab eo rege abalienavit usqve eo, ut maluerit, uſu doctus, eam retineri in poteſtate Caeſaris, qvam ſibi dedi.

 Au-

Auriaci matrimonium, qvod antea plerisqve ſuſpectum erat, certe firmamentum eſt expeditionis ſocialis, et inſtrumentum infringendae potentiae Gallorum, et maturandae pacis. Non enim expedit omnes habere hoſtes, et commercia maritima, in qvibus eius regni nervus, labefactari prorſus, ac everti. Alioqvi, ſi defenſioni tantum incumbat, finesqve tutetur, fere omnibus reſiſtendo erit. d. II. Mart. cIɔ Iɔc LXXIIX.

CCCCLXVI.

CHRISTOPH. ARNOLDO.

GRatum mihi, et periucundum munus fuit, qvo me ſuperiori anno, cum ad Saxones reverteretur Kirchmaierus, donandum curaviſti, qvippe qvod fuit eiusmodi, ut cum amarem ob auctorem, ſtudio mihi coniunctiſſimum; tum diligenter perlegerem ob variam, multiplicemqve, qva abundat, eruditionem. Ego vero nihil habeo, qvod tibi reddam: ſpero autem, futurum, ut copioſe te remunerari poſſim. Iam verſor in hiſtoria noviſſima, et pertendo complecti annalibus proximas res, eventaqve, eo modo, ordineqve temporum, qvo coepit Strauchius, vir, cum apud nos eſſet, exqviſiti ingenii, ſed minus moderati, et, cum ad ſacras controverſias ſe applicaret, maxime rixoſi: qvo non mitiores ſunt ii, qvi, aetate etiam confecti, laceſſunt ſe invicem, et, ubi eos diſputandi ſatietas cepit, verborum contumeliis lacerant ſe, et vexant. Ita vero fit, ut bonae literae, ſtudiaqve optima, et interiores doctrinae anti-

antiqvitatis negligantur, et tantum non contemptim habeantur, adeo, ut Hercules optandus ſit, qvi Monſtra iſta domet, aut, ſi domantibus reſiſtat, profliget. Qvo animo, cum in vivis eſſet, ſane fuit ſummus Reineſius noſter, qvi unus mihi inter Saxones noſtros eruditionem omnibus numeris, partibusqve expletam nactus videtur, et multis modis vicit Barthium, fontesqve aperuit reconditae doctrinae: ut vel haec cauſa fuerit, cur Colbertii gratiam ſibi conciliaverit. Is ſumma ratione reprehendit rixoſos homines, et ſaepe ob inſcitiam ſatis acerbe notavit: cuius opuſculum de comitibus palatii Lateranenſis, qvod nondum lucem vidit, Schilterus, qvi pleraqve eius viri monumenta accepit, Schubarto edendum tradidit: qvem hortatus ſum, pergeret alacriter, atqve in eo utiliſſimo inſtituto perſeveraret. Zieglerus, unus omnium inter Saxoniae iureconſultos doctiſſimus, de Diaconis, et Diaconiſſis aliqvid confectum habet, qvod nundinae Lipſienſes tibi ſunt allaturae. Hermannus Conringius, pro ſummo pacis Chriſtianae ſtudio, rurſus aliqvid eo de argumento emittet: cuius inſtitutum probo; ſed vereor, ut confectas det huius propoſiti rationes, propterea qvod ſeculum eſt valde contentioſum, et controverſiis ſupra, qvam dici poteſt, praeſertim in Germania noſtra, delectatur. Qvo id, tandem conſeqventur ſacris dediti, ut male, abiecteqve de iis exiſtiment viri aulici, et uſu, rerumqve tractatione occupati, qvando ita cum plurimis agitur, ut ex religione artem faciant: qvem

 peſſi-

peſſimi exempli morem ſcio etiam diſplicere cordatis, eo qvod nimis altercando veritas plerumqve amittatur. Maiorem mihi ſtomachum facit ille tibi haud ignotus Reinhardus, qvi bellum Theologorum in venas, viſceraqve Saxoniae transtulit, et inſignes viros commiſit: cumqve iam, incitatis aeſtu animis, gliſceret, brevi exarſurum, hac lege ſopitum potius, qvam reſtinctum eſt, uti noſtras ille nihil ederet, qvod non cum ſupremo Senatu ſacro communicaſſet. Cenſeo enim, id iure facere Principes, ut contentionum tandem modus, finisqve ſit, et manſvetudini aliqvid tribuatur. Kilonienſes novam Chronologiam, Beroaldinae, opinor, ſimilem, moliuntur. Vidi unam plagulam, ex qva non bene licet divinare de ſumma operis. Multum qvippe abeſt, qvo minus ad laudem huius artis iis rebus qvibus illi ſperant, perveniatur. Pufendorfius, qvi doctrinas, capitaqve morum in formam artis redegit, Theologos placitis ſuis, et loqvendi formulis offendit: mea tamen opinione fere omnes ea in arena impares adverſarios habuit. Scherzerum Lipſienſem non ſemel provocavit: cum reliqvis acerrime etiamnum diſceptat. Sed Grotii libri de iure belli, et pacis magis in vita valent, pleniqve ſunt rationum, et exemplorum, ex omni memoria deſumptorum: qvandoqvidem in omni genere eruditionis vir perfectiſſimus fuit, nullo Theologo minor, ſi apparatum antiqvitatis, lingvarumqve ſpecto; et iurisperitis, qvi nihil ſapiunt praeter leges, et inſtituta Romanorum, maior; praeterea omni-

omnibus ſubſidiis inſtructus, qvae vix in hominem cadunt, et ita in omnium populorum hiſtoria verſatus, itaqve in poeſis, praecipue tragicis, et comicis, et oratoribus antiqvis, profanis item, et Chriſtianis ſcriptoribus exercitatus, ut vi iudicii omnes populares ſuos ſuperaverit, et ſuae gentis Theologos Gallicis ne qvidem aeqvandos putaverit, cum rationes eruditionis per ſe iniret, ceteraqve omnia pari felicitate exeqveretur. Ita enim, qvae ab interpretatione recepta abeunt, qvaeqve myſteriorum ſanctitati adverſantur, vel leviter eruditus facile intelligat, animoqve aſſeqvatur. Chriſtanus Daumius ſuperiori anno operam contulit ad edendos Hieronymi, et Gennadii dialogos. Addidit Martini epiſcopi profeſſionem de Trinitate, qvae tamen neqve formae ſtyli, neqve doctrinae talis epiſcopi congruens eſt, planeqve diverſum auctorem praefert. Subiunxit varias lectiones, partim ex Barthiano manuſcripto depromptas; partim ex codicibus, inter ſe collatis, deſumptas. Vellem, aliqvid de antiqvitate homiliarum in opuſculo, cui titulus eſt: *Divorum Patrum homiliae*, tradidiſſet, et, qvantum Alcuino, qvantumqve Paulo Diacono debeant, et qvale ſit diploma Karoli M. eam in ſententiam datum, ex tabulis, et annalibus diſſeruiſſet. Rumor de diſſidiis, impreſſioneqve Brandenburgicorum in noſtros fines Iutrebocenſes falſus eſt. Brandenburgicus ſuos ex hibernis excedere iuſſit, obſervaturos Koenigsmarckium, qvi, ſpretus, irriſusqve a Danis, inſulam Rugiam recepit, viresqve

collegit, crebroqve in finitimas regiones excurſiones facit, Viſmariam intercepturus, niſi conſpiratio in tempore detecta fuiſſet. Niſi Anglus, interpoſita auctoritate, reconciliet partes, difficiliori bello, qvod avertat Numen, Europa implicabitur. Sed, qvae hic ſentiam, literis non tuto credam. In extremo te qvaeſo, Magliabechio ſalutem dicas, eiqve, velut ſuſcepto meorum officiorum vadimonio, renuncies, in nulla re, operaqve, ſi qvid velit, me defuturum. Ita te DEVS, ampliſſimamqve familiam ſervet. Non. Mart. cIↃ IↃC LXXIIX.

CCCCLXVII.

PHIL. IAC. SPENERO.

INdices ſcriptorum, qvi de Inſignibus gentilitiis commentati ſunt, reddidit mihi Orthius, ut leves ſodalitates vitaret, alio profectus. Inciderat enim in diſſolutos homines, qvi ad ſuperiores vitae, ſtudiorumqve rationes mutandas licentia, qvam ſpecie libertatis perſvadent, multum potuerunt. Fuitqve aliqvis perditiſſimus nebulo Rennepagius, qvi deteſtandam *atheorum* impietatem inſtillare voluit, ſchedasqve, qvibus improbitas continetur, diſtribuere, et iuventutem corrumpere in animo habuit: cuius venenum, non dubito, qvin ſerpſerit, qvando ſodalitas nullum aliud vitae inſtitutum ſuſcepit, qvam, qvod imprecaretur, et in tabernis ageret, et pergraecaretur. Si confluerent, dirae deteſtationes, et deierationes, qvaſi teſſera conventuum fuerunt: honeſtatem pro ludo ha-

habuerunt: nec aliter de DEO, rebusqve divinis exiſtimarunt. Accepi, Rennepagium, monſtrum hominis, et a malo genio in eam mentem impulſum, dixiſſe, ſi omnia fortunae praeſidia ſe deſtituerent, unam ſalutis viam eſſe per contemptum oraculorum DEI. Ferreus ſit, qvi non lacrymas fundat, cum vel talia audiat, praeſertim ab adoleſcentibus, et iuvenibus, DEO, reiqve publicae operaturis. Sed, qvia ex religione ars facta eſt, et in Academiis nihil, praeter contentiones diſputantium, valet, ſervitusqve affectuum, et libido dominantur in animis, non miror, ita rem agi. Non qvidem ignoro tuos conatus maxime ſalutares; ſed noſtro, tam miſero, rixoſoqve ſeculo, non eſt, qvod futurum ſperem, ut meliores vitae Academicae rationes ineantur. Exempla a iurgiis ſacrorum hominum, qvae mali exempli ſunt, petuntur ab incautis, qvae eo progrediuntur, ut qvotidie lites ex litibus ſerantur. Hinc non poſſunt non divini coetus res ire in peius, cum fides, qva DEO coniungimur, non ad vitam; ſed ad doctrinam, controverſiasqve, explicandas refertur, et caritatis, manſvetudinisqve, a qvibus recte vivendi initia proficiſcuntur, nullum eſt pretium. Gedani motus, vereor, ne in ſeditione, exitioqve urbis deſinat, propterea qvod tribuni, ac plebs minantur, omnia extrema prius paſſuros, qvam committere velint, ut Straauchius ſacerdotio, in qvod eum reſtitui poſtulant, mulctetur. Nos alioqvi, ſi ſacra duntaxat bella excipio, pacate inter nos colimus, et diligimus. Potentiſſimus

mus Saxo, retinendae concordiae cauſa, edixit, ut nihil in poſterum emittatur, qvod non cum ſupremo ſenatu ſacro Dreſdenſi fuerit communicatum. Germania, credo, fatis ſuis admovetur, Gallo occaſiones antevertente, et in Flandria ſic ſuis rebus advigilante, ut ab Anglo, ex qvo tamen, poſt DEVM, totum pacis negotium pendet, ſibi non timeat, et, celeritate, viribusqve arctius contractis, ſaltem defenſionis ſuae rationes confectas dare qveat. Nec graviter feret iacturam Siciliae, ſi prohibeat aditu regionum ſuarum hoſtes, oſtendatqve, ſe, praeoccupatis finitimis caſtris, factaqve paſſim agrorum vaſtitate, omnibus poſſe eſſe reſiſtendo. Rugiam, fiducia loci, et virium, ſimulqve vitam, ſummo cum dedecore, et commutatione rerum Danicarum, amiſit Rumohrius. In Tranſylvania Beldius rebellat Apafio: pro hoc Turca nititur, vultqve, ut motibus Hungaricis ſe non immiſceat. d. X. Mart. clↃ IↃC LXXIIX.

CCCCLXIIX.

ADAMO CHRISTOPH. IACOBI.

Accepi, rationes ſecerdotii Greeniani confectas eſſe, atqve ea de cauſa in ſpem venio potiundi eius muneris, qvod diſceſſu ſuo vacuum reliqvit: tuo qvidem in primis patrocinio, qvo magnum ad res meas momentum attuliſti, maximumqve inſuper allaturus es, ſi auctoritate tua efficias, ut acceſſio, qvae mihi, ex reditibus praeſectu-

fectrurae Vitembergenſis conſtituta, poſt autem, neſcio cuius acerbitate, praecepta fuerat, aeqviori condicione mihi reddatur. Cupio autem his beneficiis frui, ut habeam, qvod in ſumptum bibliothecae ſuppeditare poſſim: etſi non neſcio, plerorumqve invidorum de me eſſe fabulam, qvaſi hae artes ſint hominis diteſcere volentis, qvod qvam alienum a me ſit, vita mea frugi, impenſaeqve in libros factae, teſtantur. Qvare parſimonia ſuſtento otium, literis tributum, nulla commoda, qvae a vitae meae inſtituto abeunt, conſectans, nulli lucro inhians, ut tempus, cuius intervalla partior, ne mihi ulla culpa mea eripiatur. Cuius ſtudii rationes ſtudebo tibi demonſtrare, et patriae, ne, homini otioſo, aut ingrato beneficium collocaſſe videatur. Sigillatim tibi, et collegis, qvos muneris ſocietate, conſvetudineqve vitae coniunctos habes, obſeqvii omnes partes, pro eo, ac debeo, ex animo, conſtanterqve explebo, ac fatebor, a vobis, tanqvam a fontibus, omnem ſtudiorum meorum felicitatem dimanaſſe. Lites, diſſidiaqve, ut hic ſaepe inter omnes ordines gliſcunt, me a pacis, concordiaeqve ſtudio nunqvam abſtrahent, talemqve me probabo, qvalem tua, et ſummi Theologi, Geieri, monita eſſe volunt. In Flandria omnia conclamata ſunt; nec iugum a regionibus Burgundicis, propter qvas Caeſar bello tam difficili, ſumptuoſoqve ſe immiſcuit prius depelletur, qvam Anglus, Auriaci neceſſitudine, foederisqve novi religione inductus, omnes regni ſui vires in earum defenſionem

impendat. Si Polonia, ut rationes barbarorum fuerunt, bello Turcico implicabitur, Sveonum res in finibus Livoniae ſummo in diſcrimine verſabuntur. Koenigsmarckii impreſſio, in *Ducatum* Mecklenburgicum facta, Brandenburgicum, et Luneburgicos ad arma excivit, adeo, ut Sveones, retrocedere coacti, ſe receperint in clauſtra ſua, et militem ex Livonia tranſportandum expectent, Danicaeqve claſſis impetum multis, et veris rationibus pertimeſcant. Conatur qvidem Angliae Rex utrosqve Reges conciliare; ſed vereor, ut potentiae aemulatio id ſinat, qvae tanta eſt, ut voluntati illius pacem ſvadentis, conditionesqve eam in ſententiam proponentis, aegre ſint ceſſuri: qvanqvam id Germaniae expedit, qvae diſtracta, minus reſiſtendo eſt Gallis, qvi, ſubacta Flandria, Rhenanis, Moſellanisqve provinciis facile iugum imponet, niſi ſociali bello inhibeatur. Nec melius vulgo ſperant de expeditione Lotharingi, atqve ante annum, qvippe qvi pleraqve non providit, qvae cauti Duces ſolent, occaſionemqve liberandae Friburgae, ſummo cum Auſtriae Germaniaeqve damno, neglexit, etſi in pleriſqve ſe purgavit, culpamqve partim in ſocios, partim in ſuos reiecit. Interim DEVS fortunet conſilia compoſitionis Neomagenſis, et te patriae ſalvum praeſtet, et ſpem, deliciumqve tuum, Chriſtianum, omnesqve liberos tuos ſvaviſſimos perpetuis fortunae beneficiis cumulet, diutiſſimeqve tueatur. d. XXII. Mart. clↄ Iↄc LXXIIX.

CCCCLXIX.

CCCCLXIX.
CHRISTIANO SCHVZIO.

SEptem dies ſunt, qvod abiit Greenius, necdum ſucceſſorem nactus eſt, propterea qvod more, inſtitutoqve Academiae, prius commendandi ſunt potentiſſimo Saxoni habiles, aptiqve ad hoc munus viri, qvam de ſurrogatione in aula ſtatuatur. Ego hoc ſane ingenio ſum, ut nihil de re incerta conſtituam, qvanqvam non facile dubito de Principis voluntate me ornandi, nec diffido collegis, magnum ea in re pondus habituris. Miror autem, qvid ſit, qvod multi poeticae munus prenſent, cum tamen ne unus qvidem hic ſit, qvi affirmare poſſit, ſe eſſe poetam. Hoc tamen dico, ſi mihi poetica placeret, nihil aliud in ſapientiſſimo ordine futurum, qvod ei poſthabere velim. Audivi, fratrem tuum, qvi ludum Grimmenſem cum laude moderatur, ſi non refugiat, prae ceteris impetraturum. De Veiſio veſtro, viro omni doctrina expolito, multi ſperant: qvem, ſi a fratre tuo eruditiſſimo, et certis auctoribus mihi laudato, diſceſſerim, credo multum poſſe afferre adiumenti ad eam artem, in qva ſola inopiam ingenii mei confiteor libens. De pace Germaniae ſpem amitto, poſtqvam Flandria rurſus belli Gallici molem ſuſtinet, qvam deſtitui prorſus, et ſubigi ab hoſte, magno cum detrimento, dedecoreqve ſuo, non patietur Anglus, etſi mavult fungi partibus conciliatoris, et populum ſuae ditionis, ad bellum, Gallis in-

inferendum, ſupra, qvam dici poteſt, in cenſum, mora, et qvaeſita cunctandi occaſione, qvodammodo temperare. Foedus eam in ſententiam ictum eſt; ſed rex nondum ratum habuit ſolemni more, formulaqve ſubſcribendi, et exemplaria permutandi. Qvod ſi ab eo impetrabitur, dum Gallus pertendit eſſe difficilis: in ſpem venit reconciliandi Danum, Sveonemqve, ut robur omne belli in Flandriam transferatur, nec diſtrahatur potentia Germanorum tranſitus Sveonum, qvem propoſuerant animo, in Pruſſiam recuſatus a Lithuanis, edito ſcripto profeſſis, qvamobrem id ſibi non liceat. Rex Poloniae non ſine cauſa ſibi metuit a bello Turcico: Brandenburgicus Spoenium dimiſit ad fines Rheni; nec ſibi timet a Sveonibus, qvorum tantae ſunt difficultates, ut bello in poſterum gerendo vix ſint ſuffecturi. Rugia, per Koenigsmarckium, inſtigantibus, et minantibus Sundenſibus, recepta, pertimeſcit claſſis Danicae impetum: qvam ſi ſervaſſet legatus Daniae Regis, Sveonesqve, magno malo contemptim habitos, et lanienae etiam in univerſum inſolenter deſtinatos, ab aditu inſulae, qvot facile potuit, reieciſſet, omniaqve in tempore curaſſet, iam confectae eſſent belli Suedici rationes. Ita vero DEVS annuat Germaniae, largiaturqve pacem, Saxoniamqve firmet, teqve etiam inter praecipuos amicos florere ſemper iubeat. d. XXIII. Mart. cIɔ Iɔc LXXIIX.

CCCCLXX.

CCCCLXX.
N. PASERINIO.

DVdum ſubvereor, ne diuturnum ſilentium meum in malam partem accipias, qvaſi id agam, ut muneris, qvo abs te auctus ſum, nulla a me ratio habeatur, more eorum, qvi nihil tam facile, qvam navata officia obliviſcuntur. Sed longe alia mihi mens eſt, ſpondeoqve tibi, ad omnes praeſtandi grati animi occaſiones promptum futurum, et, ſi qva tibi prodeſſe, aut inſervire in re poſſim, nihil praetermiſſurum. De ineunda ſtyli civilis ratione ſic ſentias, ut omne ſtudium in eo ponas, ut pure, copioſeqve dicas de qvolibet argumento, ad rempublicam pertinente, imiterisqve aevi Auguſti ſcriptores optimos, ut non verba magis, qvam rerum, verborumqve compoſitionem ſcite exprimere qveas. Qvod, uſu, tractationeqve huius argumenti nullo negotio efficies, et cum primis connexionum, tranſitionumqve formulas, qvibus iungendae, aptandaeqve ſunt periodi, prorſus familiares tibi reddes, eo modo, moreqve veterum, qvo ſuperiori, noſtroqve aevo imitati ſunt Hadrianus Cardinalis, Iovita Rapicius: ex noſtris Ioannes Sturmius, Ioachimus Camerarius, Auguſtus Buchnerus. In prudentia civili comparanda legendi ſunt aſſidue Hiſtorici, et, facta qvadam ſcriptorum veterum, recentiorumqve contentione, virtutes, eventa, horumqve cauſae, initia inveſtiganda, et velut in locum communem redigenda: hinc ad uſum referenda, et, qvae conve-

veniunt, obſervanda, ita, ut praeiudicia hic multum valeant, et, mea opinione, ad coniecturas, rationesqve civiles maximum momentum afferant. Hoc pacto converſionem Vngariae ex actis inter Ioannem Scepuſium, et Ferdinandum I. ſeqviorumqve temporum, in qvae Matthias, et Ferdinandus II. inciderunt, facile divinavi, cum acta anni cIↄ Iↄc LXII. contendi, et, qvo haec eruptura eſſent, conieci. Similiter de actionibus Galli integrum tibi ſit iudicare, qvi, qvod abalienare coepit Anglos, occupatoqve Gandavo ſpe pacis fruſtratus eſt, non bene ſibi conſuluit, cum maioribus incrementis ſane perniciem ſibi paret. Qvod vel Meſſinae caſus te docere poſſit. Sed in umbra hac ſtudiorum in voluntate mea, ſtudioqve bene merendi acqvieſcas, et bene, feliciterqve agas, Iunghanſioqve, amico optimo, renuncies, tres numos unciales pro Dactylotheca primo qvoqve tempore curaturum. d. IV. April. cIↄ Iↄc LXXIIX.

CCCCLXXI.

IO. GEORG. BOERNERO,

ET literae, et munus, qvo abs te affectus ſum, mihi gaudium attulit, animumqve tuum veterem, et prorſus ſingularem, ſemperqve officiis demerendum, confirmarunt. Pro utrisqve ſpondeo operam, ſtudiumqve inſerviendi paratiſſimum, cupioqve teſtari, non ingrato beneficium eſſe collocatum. Hubnero, abs te graviter monito, pondus

dus afferat ſententia Ciceronis, affirmantis, hiſtoriam nec inſtitui poſſe, niſi praeparato otio, nec exiguo tempore abſolvi. Ipſe Strauchius annum fere impendit, tempusqve ita partitus eſt, ut ceteris occupationibus non eriperet. Ceterum a Gallis derelicta eſt Meſſina: nec melius cum Flandria agetur, ſi Anglus ad capeſſendum ſociale bellum acceſſerit, et tandem cogitaverit, qvibus modis a Rege Galliae, non dicam, circumventus, ſed prope deluſus fuerit. Luneburgici contra Gallos, Sveonesqve magnis impendiis, ſummisqve cum difficultatibus, iterum ſe ad expeditionem comparant: Sveones, terra, mariqve intercluſi aditu, non magnopere ſperant de ſuis rebus: Galli forte curſum armorum defenſione Friburgae morabuntur, qvam recuperari fixum, ſtatutumqve eſt in animo Caeſaris, cui melius ominari liceat, qvod a factioſis Vngaris nihil ſit hoc anno metuendum, et Ioanni, Poloniae Regi, gliſcentibus saepe domi qverelis, impendenteqve bello Turcico, brevi notum ſit futurum, qvanti aeſtimari debeat amicitia Auſtriorum. Ordines eius regni coniugem, Mariam Caſimiram, aegre qvoqve aſpiciunt, et auctorem mali conſilii interpretantur, profecturamqve in Galliam vetant inire iter, ne ex regno, pleno, et herili iure nixo, aliqvid in liberam Polonorum rempublicam, qvod nocere exemplo poſſit, transferatur. d. V. Apr. cIↄ Iↄc LXXIIX.

CCCCLXXII.

CCCCLXXII.
N. IVNGHANSIO.

TRes numos argenteos, pro Dactylotheca Gorlaei afferendos, aurigae dedi, ſiqvidem eius pretium, ſcio, non eſſe amplius tribus uncialibus numis. Paſerinio ſcripſi in eandem ſententiam, et, qvod me voluit, curavi. De itinere nihil addidi, veritus offenſam patronorum, qvibus eſt poteſtas iubendi, mihi autem duntaxat parendi gloria relicta. Gallorum fortuna in Sicilia eſt conclamata, nec dubitabo, qvin eius conſilia valde convertat ſocietas Angli cum Hiſpanis, Batavisqve, inter Europae reges maximum pondus habentis ad moderandam eius Regis potentiam. De pace inter Danum, Sveonemqve ſeparatim Londini tractatur: qvae ut eveniat, opto: nec ſtatus Suedicus concedit aliter ſentire, qvando nec in Germania, nec in Polonia ſubſidium habent, Anglumqve ſpe ducendae Principis Floracenſis demereri ſtudent. d. V. Apr. clɔ Iɔc LXXIIX.

CCCCLXXIII.
HENRICO, L. B. A FRISEN.

DE pace, inter Danos, Sveonesqve ſeparatim facienda, magna ſpes Londino affertur, qvando Sveones, diminutis mari rebus, diffidunt fortunae, et, maioribus Dani, ſociorumqve viribus urgeri ſe, praeſentiunt, nulla ſubſidii, neqve in Germania, neqve tranſitus in Polonia expectatione relicta, niſi qvod

An-

Anglum omni ratione demerentur, ſtudentqve neceſſitudine connubii Ducis Eboracenſis eum Regem ſibi devincire, qvem ſciunt maximum pondus moderandae potentiae habere, hoc praeſertim tempore, qvo qveruntur, omnia *Reformatorum* conſilia ad ſuam perniciem comparata eſſe. Gallorum in Sicilia res convertit ſocietas Angli, qvam is cum Hiſpanis, Batavisqve contraxit, ut certa, ſtabilisqve pax aeqvis, et ad ſecuritatem Europae pertinentibus conditionibus ineatur. Foederatos ad Rhenum vel una Friburgae obſidio forte tota hac aeſtate, remorabitur. Rex Poloniae ob uxoris conſilia non omnibus Senatoribus peraeqve gratus eſt, adeo, ut eum impediverint, qvo minus in Galliam proficiſcatur, illiqve in os dicant, ea ſe libertate loqvi contra Ioannem, qva is ipſe ante locutus fuerit contra Michaelem, qvem ob mollitiem regni Sardanapalum nominant, optimeqve ſentire incipiunt de Lotharingo, qvem forte ex longinqvo iterum fortuna oſtendet. In Valachia reperti codices Graeci, praeſertim Chryſippi, Pontifici Romano dono dati ſunt, videntibus Italis ludum fortunae, omenqve rerum Gallicarum, qvod Meſſinam, tantis impendiis defenſam, ſponte ſua dereliqverunt. d. V. April. cIɔ Iɔc LXXIIX.

CCCCLXXIV.

IO. HENRICO CVNRADO,

CONSILIAR. LICHTENSTEIN.

Volhardus, idem cliens tuus, et idem, qvoad recte agit, amicus meus, iam mecum eſt,

 ſaepe-

ſaepeqve de opibus, et copiis tuarum antiqvitatum Sileſicarum mihi narrat, promptumqve pariter ingenium, ac ſummum in te ſtudium qvotidie, nec ſine gaudio meo, maximaqve cum tua laude, vere, atqve ex animo teſtatur. Tantum abs te petit, ſumme vir, ut confectum des conſilium, tibi, reiqve publicae literariae, et patriae multo utiliſſimum futurum, ſecumqve communices, qvae, me auctore, magis elaborata, elimataqve fieri poſſint, ut publicam videant lucem, redeantqve cum gloriae foenore ad Patronum. Qvam gratiam qvin abs te inituri ſimus, nihil dubitamus, propterea qvod amor tuus in literas incomparabilis eſt, qvem cum multis rebus declaras, tum qvibuslibet bonis probare ſtudes, neminiqve obſcurum eſſe ſinis. Nihil hic novi eſt, niſi qvod magnis viribus omnia in vicino agro comparentur ad Sveones tota Pomerania, Rugiaqve pellendos, qvippe qvi, qvod Gothi veteres apud Iſtrum, id ipſi nuper apud Viadrum, Albimqve ſunt moliti: qvibus moleſtum accidit, qvod respublica Polonica tranſitum denegat conſtanter, qvae ſcit, plus ſibi ſitum eſſe in amicitia Auſtriorum, et ſtudio Brandenburgici, qvam in dubiis Sveonum rebus, qvae cum ad Galli commoda dirigerentur, iam propemodum coeperunt eſſe conclamatae. De Lotharingi expeditione hoc anno melius ſperamus, qvod magnum ſocietatis Anglicae pondus eſt futurum, qvando non ſine cauſa Gallus ſuſpectus eſt vicinae iſti Genti, alioqvin uſpicaciſſimae, cui Gallicum foedus adeo fraudi fuit,

ſuit, ut eam poeniteat navatae operae, et nimiae credulitatis. Rex tamen Carolus optat retinere conciliationis auctoritatem, ſi facilior ſit Gallus; venitqve in ſpem tranſigendae controverſiae inter Danos, et Sveones. Maxime enim horum intereſt, ut lites non ferro, ſed iure in poſterum iudicentur. Spectant enim fata ſua, et magnam vicinorum vim, Rugiaeqve, qvam caſu potius, qvam ratione receperunt, vehementer timent. Interim DEVS annuat nobis, concedatqve, ut aut Germania pace fruatur, aut Auſtria perpetuis victoriis nobilitetur, Sileſiaqve iure, et legibus ſub mitiſſimo Caeſare utatur, tuqve in primis diu ſuperſis, et floreas, Patrone. d. X. Apr. clↃ IↃc LXXIIX.

CCCCLXXV.

N. N.

CVpio ſatis facere mandatis tuis, et, qvantum in me eſt, *Baroni* Kannio rependere officium ſtudeo: qvod etſi non eſt eiusmodi, ut herois gloriae per omnia reſpondeat; tamen mentem, animumqve indicat hominis, familiae tuae, et Kannianis neceſſitudinibus obſtricti. Si qvid autem in ea arte, qvam doceo, non poſſum fama herois dignum, efficiam, ut oratione proſa pietatem ſignificare mihi liceat, qvi obſeqvio, et voluntate inſerviendi promptiſſima nemini tuorum clientium concedere velim. Simul oro DEVM, ut cum illuſtriſſima coniuge te ſervet, ſalvumqve, et ſoſpitem praeſtet, ut cum alii multi, tum ego in primis patrocinio, tutelaqve tua frui poſſim. d. XII. Iun. clↃ IↃc LXXIIX.

CCCCLXXVI.
PHIL. IAC. SPENERO.

SAepe, multumqve dolui, te cum ingeniis, a manſvetudine alienis, conflictari, qvae, ut mihi videtur, ſilentio poſſunt placari. Multa etiam ſperni oportet, ut intelligant intempeſtive ſeduli homines, non eſſe cauſam, cur ob lites, qvas ſuſcitant, magnopere aeſtimentur. Te fulcit tua pietas, famaqve in aula noſtrati inſignis, qvam recte, pieqve agendo ſervare rara aevo noſtro, eoqve magis invidioſa laus eſt, cuius fructum nulla unqvam poſteritas tibi eſt ereptura. Pari animo tuus affinis Horbius, vir doctrina, more, inſtitutoqve ſanctiſſimus, ſe tibi foedere qvodam pietatis coniunxit, cuius benevolentiam pro eo, ac debeo, plurimi facio, petoqve, ut meo nomine illi, et Klickio multam ſalutem dicas. Vicinum vobis Argentorati fatum hic aliqvandiu expectationem noſtram ſuſpendit: nunc autem, e periculo ereptum, prudentius fortunam ſuam ſuſtentabit. Gallica fides ambigua, et fallax eſt; Germanorum autem lenta auxilia plerumqve plus apparatus, qvam ſucceſſus habent. In Norvagia, meridiem verſus, et Scania, Svedi vires colligunt. Ibi ductore Guſtavo Ottone Steinbockio multas Danicas cohortes confecerunt: hic Chriſtianſtadium, inſpectante Danorum exercitu, caſtra Svedica invadere non auſo, expugnarunt. Brevi autem Rugia periculum adibit, qvam diverſa parte aggreſſi ſunt Foederati. Saxonia noſtra pace fruitur, et fini-

finium controverſiam cum Brandenburgico feliciter ſopivit. Is Princeps, milite, viribus, omnibusqve prope fortunae ſubſidiis deſtitutus, planeqve exhauſtus, ſpem facit, iterum ad Rhenum ductu-rum, ſi confectas propoſiti in Pomerania, Rugiaqve rationes ſit habiturus. Sed haec inania ſunt, creduloqve vulgo placent: mea opinione, arma Gallica ita non ſiſtentur, nec receptus Luxenburgi tantam laudem Auriaco conciliat, qvalem vulgo ferunt. Eid. Iun. cIↄ Iↄc LXXIIX.

CCCCLXXVII.
ADAMO CHRISTOPH. IACOBI.

NOn dubito, qvin, pro tua in me voluntate cauſam meam in ſenatu veſtro agas, non modo, qvod me ornandum, tuendumqve ſuſcepiſti; ſed etiam, qvia nemo melius rebus meis conſulere, nemo certe felicius opitulari poteſt. Qva in re fide tam certa ſum, animoqve tam conſtanti, ut omnia ad obſervantiae gloriam referam, itaqve prorſus me geram, ut hominem ſummae tuae dignitatis ſtudioſiſſimum decet. Qvod Flavii conatibus reſtiti, factum eſt vitandae offenſionis cauſa. Ego enim ſic affectus ſum erga omnes, ut nemini cupiam per me exhiberi moleſtias, etſi ſaepe aliis qvid tribuendum eſt, qvi ſolent facili de cauſa ſtomachari, praeſertim cum omnia controverſiae capita mihi non ſunt perſpecta. Cur tam raro ad vos perſcribam, cauſa mihi fuit ſuſpicio offenſae, qvam pleriqve mihi attulerunt, affirmantes, taedere Patronos ineptiarum, qvas ſcri-

bendis literis perſaepe cumulemus. Itaqve tu, pro ea, qva polles auctoritate, me de ſuperiore importunitate purga, meqve commenda praecipue illuſtriſſimis Friſiis, qvi ſua gratia, praeſidioqve in hunc usqve diem me firmarunt. Si ferret occaſio, ut, collata aliqva ſumptus Principalis parte, ingredi Italiam, perficereqve utile hoc inſtitutum poſſem, tu tibi hoc omne vindicares: qvanqvam, qvid ea in re faciendum ſit, et utrum id flagitare expediat, nec ne, forſan in poſterum, te auctore, certius explorabo. Alioqvi vehementer id me perturbavit, qvod Chriſtianum tuum, cui omnia proſpera evenire opto, noluiſti tranſire Vitembergam, qvam redux tamen, opinor, inviſet, tribuetqve aliqvid noſtris Muſis. Ad extremum Academiae, qvae militarium hominum armis petitur, prodeſſe tua auctoritate iam potes: erexitqve me in primis, qvod, una cum ſummo Theologo, Geiero, auctoritatem tuam apud Principem *Electorem* interpoſuiſti, ne coetus ab uno homine diſſipetur: remunerabitqve operam DEVS, qvi ex hac ſchola viros emiſit, qvi religionis, literarumqve cultu totam Germaniam, propeqve Europam illuſtrarent. d. V. Qvinct. clɔ Iɔc LXXIIX.

CCCCLXXIIX.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

BElli, qvod in finibus Germaniae trahitur, fortuna difficilis, et varia eſt; ſentiuntqve iam Sveones, qvod, fortuna ſuperiore, fiduciaqve elati, nun-

nunqvam fore crediderunt. Qvin male affecti fuerint erga communem patriam, dubitari non poteſt, pigetqve me tot illatarum ſane iniuriarum recordari, qvae hunc exitum habuerunt, ut in auctores vindicarentur. Paulo ante Ferbellinenſem cladem inſolenter domi, foriſqve locuti ſunt de Germanis: Sternbergium, ab Caeſare miſſum, conſulto morati, propeqve ludificati ſunt: Blumium, in comitiis, proiecto pudore, ſuffragia ferentem, foverunt, blanditiiſqve ad Principum gratiam arrepere conati Caeſaris ſummam in imperio auctoritatem imminuere, contra iuris, prudentiaeqve rationes coeperunt. Qvid in cimbrica Cherſoneſo, ſuſcitante cauſas odii Kielmanseggio machinati fuerint, vix tutum eſt literis mandare. Mea opinione vicinum Daniae, Germaniaeqve robur ſenſim labefactare, et tandem frangere prorſus, ac diſiicere in animo habuerunt, ut ſic Gallo in ſuperiori limite ſpatium daretur opprimendae libertatis. Sed conſilia diſſidiis inteſtinis procerum corrupit DEVS, ut Steinbockius, Vrangeliusqve navalis pariter, et terreſtris militiae curam omitteret: qvo factum eſt, ut iſte, pro eo, ac debuit, claſſem non emitteret in mare ad eripiendam e periculo Viſmariam; iisqve rebus aditus ad *Ducatum* Bremenſem, magno Foederatorum bono, intercluderetur, hic autem culpa, cunctationeqve amitteret opportunitatem, perderetqve fortunam apud Ferbellinum, unde ita ipſorum res converſae ſint, ut nondum inſtaurari poſſint, niſi qvod victoria apud Rugios, ſuperiori

 men-

menſe Ianuario deportata, eos aliqvanto erexit, iterumqve confirmavit. Scaniam vero non facile amittent, qvam ad exitum uſqve defenſuros, ſcio. Maioribus viribus bellum Galli gerunt, qvibus, pro hodierno rerum ſtatu, nullam ſatisfactionem extorqvebit Caeſar. Belgio Hiſpanico, ſi vellent, ſiqve rationes civiles Anglicae vicinitatis, aliaqve Europae momenta ſinerent, intra qvatuor hebdomadas potiri integrum eſt: qvanqvam non modice dolent, qvod, populo Anglico adverſante, eum regem, connubio praeterea Auriaco coniunctum, eoqve etiam Foed. Belgis ſuſpectum, non perinde, ut antehac in aere ſuo habeant. Proxima Keilerani propugnaculi, aditusqve Rhenani occupatio toti prope ſuperiori Germaniae incuſſit metum. Dux Virtenbergicus, Marchio Anſpacenſis, aliiqve Creqvium in viſcera Imperii ducere velle ſuſpicati ſunt. Vigor qvidem in Lotharingo ineſt: ſed conſilio non aeqvat Montecucullium, qvi A. cIↄ Iↄc LXXIII. et LXXV. immortale facinus fecit, et, ob firmos, munitosqve Galliae aditus, nunqvam induci ſe paſſus eſt, ut in Galliae fines moveret: qvod dum contra videbatur Carolo iuniori, exhauſto longa profectione, et inopia, taediisqve conſcripto milite, vix defenſioni ſatisfecit, amittendiqve Philippiburgi periculum adiit, ſi Creqvius, id non proviſum eſſe, ſciviſſet: magnoqve demum Caeſaris detrimento Friburgam Briſgoviae amiſit. Forſan iniqva Vngarorum fortuna iis exprimit vota pro hoſte Caeſaris, mutatqve fortunam. Alioqvi incredibile Europae,

prae.

praecipue autem Germaniae, gaudium attulit iſte nuncius, qvod Caeſar, filio auctus, Gallo poſthac ſpem eripiet captandae Auguſtae dignitatis, ut qvi dudum iniit conſilium orbitatis Auguſti, in perniciem, exitiumqve publicae ſecuritatis vertendae, affectandaeqve in Germanos poteſtatis. In compoſitione pacis Neomagenſis reſpicienda noſtris in primis ſunt haec capita: primo, inſtauratio libertatis X. Alſatiae civitatum, Imperio addictarum, ut praefecturae in eas ſummae renunciet Galliae Rex: deinde liberatio Ordinum Imperii ab obligatione beneficiaria erga *Epiſcopatum* Metenſem. Inter occupationes, et feſtinanter. d. XVII. Auguſt. cIↄ Iↄc LXXIIX.

CCCCLXXIX.
EIDEM.

Parui voluntati tuae, et literas, qvae culpam, erroresqve meos ingenue fatentur, et dolent, ſcribere deſtiti, qvibus pariter, et Sleidano, a me aucto, tuoqve ſanctiſſimo nomini inſcripto, veniam dabis. Qvaeſo enim te, ut me non patiaris deteriori loco eſſe, ac qvondam Buchnerum tuum, qvi, etſi gravi ſenio, et magna eruditione valebat prae aliis, ſummeqve explendeſcebat: tamen abs te contendit, ut patronus ſibi, adiutorqve eſſes. Qvam gratiam niſi abs tua aeqvitate inibo, nullas ſtudiorum rationes in tuto ſim collocaturus. Concede ergo mihi, ut Sleidanus audaciae culpam effugiat, tuaqve in primis auctoritate, et praeſidio, fide, et

vita coniunctorum tibi Procerum nitatur. Aliqvando, fateor, liberius loqvitur; prorſus autem ſine odio, atqve inſectatione, et Polybii forſan, ac Cominaei more, qvi pragmaticon hiſtoriae omnium optime expreſſiſſe mihi videntur. Etiam in hoſtibus Gallis colui virtutem, prorſusqve laudavi. Sveonum acta non potui praeterire, etſi puto, magis dolenda, qvam reprehendenda eſſe. Scripſi tamen de iis, ut bonus civis, religionisqve amorem iuſtitiae, pro eo, ac decet, hac in cauſa remiſi. Sed ad Danica tranſeuntem, deqve Gottorpinis rebus exponere volentem, operae de medio curſu revocarunt. Fontes, capitaqve non ex rumoribus; ſed ex ſcriptis pragmaticis, epiſtolisqve, et actis haudqvaqvam dubiis, aut incertis, hauſi: ſed iudicii gloriam tibi uni, Domine, relinqvo, et DEVM oro, ut corpus, domumqve tuam ſemper cuſtodiat, benigniſſimeqve tueatur; praecipue autem illuſtriſſimo filio tuo, totiqve genti tuae omnia proſpere largiatur, ut fama, nomenqve tuum nunqvam ex poſteritatis monimentis, nedum ex animo meo deleantur. Eid. Octobr. cIↃ IↃC LXXIIX.

CCCCXXC.

IVSTO FRIDERICO SCHOENERO, IC. SVINFVRT.

NVnqvam tam audaci mihi eſſe licebat, ut ad te literas darem, niſi Nicolaus Crauſius diligentia, et virtutibus ſuis effeciſſet, ut eius commen-

mendandi occaſione uterer, peteremqve ipſius nomine, ut, te auctore, et patrono, ſubſidia perſeqvendis ſtudiis neceſſaria conſeqvatur. Ratio enim honeſta me admonet, ut ignotus ego pro iuvene optimo, literisqve egregie expolito, apud te intercedam. Me ſane laudis ſuae teſtem nactus eſt, ex qvo hic fuit, et ſummos in philoſophia honores merito eſt adeptus. Ingenuas artes, lingvas, eximie tenet, nec hiſtoriae, qvae vulgo negligitur, eſt ignarus: praeſertim eius, qvae in re Chriſtiana momentum habet. Omnino enim Theologis etiam prodeſſe prudentiam, qvae magno cum damno a plerisqve intermiſſa eſt, dum ex religione artem diſputandi facere ſunt conati: qva ex re tot vulnera coetus divinior accepit, ut vix ſanari poſſint. Inprimis autem dolendum eſt, animos Principum qvoqve diſtrahi, divelliqve iſtis factionibus. Tantum de Fabricio Sedinenſi multa eam in ſententiam afferre poſſem, ſi id agerem, ut admiſſos errores tibi, iuris prudentiſſimo viro, exponere conſtituiſſem. Mihi ſatis ſit in Crauſio doctum, modeſtum, et ſedatum iuvenem tibi exhibere, qvem ſi patrocinio ornaveris, de me tibi perſvadebis, omni tempore honoris, et famae tuae praedicatorem eſſe futurum. Ita te DEVS cum inclita republica florentem ſervet! d. XX. Octobr. cIↄ Iↄc LXXIIX.

CCCCXXCI.

CCCCXXCI.
CHRISTOPH. ARNOLDO.

QVae ad me curavit ſummus vir, Antonius Magliabechius, recte ad me perlata ſunt, qvibus, neſcio, qvid rependam ſatis, tibi in primis, qvi virum, omni doctrina excellentem, aevoqve noſtro clariſſimum, mihi conciliaſti. Bartholomaei Scalae hiſtoriam avidiſſime legi, qvi multis in rebus, qvae ad res Florentinas pertinent, me confirmavit, nec rerum Teutonicarum, qvae in Carolorum, Ottonumqve ſecula incidunt, plane ignarus fuit. Nam et recte Karolum M. pro Gallo, id eſt, Francogallo, habet, et vere tradit, Romanorum imperium auſpicio, ductuqve Ottonis I. qvem magnum nominant, primo ad Germanos perveniſſe. De Pontificibus etiam nihil diſſimulat, prorſusqve ingenue, mea opinione, ſcribit. Stylus etiam ſatis elegans eſt, et gravis, probatqve, eum vixiſſe aevo haudqvaqvam inglorio, et rudi: qvod recte demonſtravit Iacobaeus, nec pluribus verbis eam ad rem conficiendam mihi nunc eſt opus. Sed in ea parte, qva, Blondum ſecutus, docet, Imperatores, Romam tendentes ferrea corona inſigniri ſolitos, ab illo iure diſſentio, fabulamqve, aliena fide allatam, libens ipſi condono. Illud etiam ex ipſo perſpexi, Baptiſtam Saccum non alio, qvam Platinae nomine ad eo appellari. Simul et Henrici Noris diſſertatio egregium viri iudicium, multamqve doctrinam mihi approbavit. Ricciolum merito caſtigat, dum Graeca, Latinaqve

qve monimenta, ſcriptoresqve probos aut non recte inter ſe confert ſemper, aut interdum non dextre interpretatur: qvale id eſt, qvod de Thule affert, Islandiam qvam eſſe ſuſpicatur: qvod nullis veris, ſolidisqve ſane fulciat argumentis. Extremo Cynelli bibliothecam volantem abs te integram expecto, clariſſimumqve Magliabechium ſalvere iubeo. Koenigii bibliotheca non eſt talis, qvae eruditis ex aſſe ſatisfaciat, propterea qvod de multis non recte exiſtimavit, et pleraqve omiſit, qvae adduci maxime, ac enarrari oportebat. Theonis Smyrnaei, et Alexandrini ne meminit qvidem. Sed haec tibi in aurem: cuius honori faveo, petoqve abs te viciſſim, ut faveas meo. Prid. Non. Nov. cIↃ IↃc LXXIIX.

CCCCXXCII.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

Exiſti me valde literis tuis, perbenigne ſcriptis, qvod rationes meorum ſtudiorum minime tibi diſplicent, conatumqve etiam hominis tibi dediciſſimi probas. Semper enim memoriam tuam ſancte, diligenterqve conſervavi, et dotes etiam, qvibus nemini aeqvalium tuorum ſecundus es, colui, miratusqve ſum, ac DEVM qvoqve oravi modis omnibus, ut tua virtute, tuisqve conſiliis nunqvam egeamus. Tum vero prope attonitum me reddit illa divina moderatio tua, qvod, dum is es, qvem omnes ſuſpiciunt, maioremqve ceteris venerantur: ita tamen agas partes tuas, ut recuſes ſuſcipere eas laudes, qvibus prorſus, atqve omnino abun-

abundas. Dabis autem pietati meae, ſi qvid praeter voluntatem tuam feci, qvia ſine culpa mea qvidem omittere non debui, qvod ſumma tua merita omni iure a me reqvirebant. Alioqvin res Germaniae apud Rhenum haud optime conſtitutae ſunt, Monglaſſio omnem illam oram depraedante, hoſtiliterqve vaſtante. Hoc anno non eſt, cur ſibi timeat Argentoratum, ex qva urbe, et Offenburgo, incredibile damnum Gallis datum eſt. Badae Marchio Hermannus, qvi inſtrumento bellico Imperii praepoſitus eſt, fere ex praedis, manubiisqve vitae, et dignitatis ſubſidia ſibi comparat, dum Caeſareorum ordinum ductores qvotidie excurſiones faciunt, ſpoliisqve onuſti Argentoratum revertuntur. Qvod fama de Sveonum apparatu, copiisqve, in Pruſſiam ducendis, fert, id omne apud prudentes nullum pondus habet, etſi credentium vanitate rumor ſubinde augetur. Viae longinqvitas, alienumqve anni tempus, et obnitentium Lithuanorum pertinacia, viresqve Sveonum acciſae longe aliud ſvadent. Interim Germaniae legiones fato qvodam, et culpa ſua amiſerunt; unumqve reſtat Gryphisvaldiam non vi, ſed fame debellandam. In Italia nuper deceſſit Sertorius Vrſatus, vir clariſſimus, qvi hiſtoriam Patavinam ſcribere coeperat: pariter Genevae vivere deſiit Oldenburgerus, qvi vitam aegre toleravit, et petendis beneficiis certe perpluribus moleſtus fuit. d. IiX. Nov. cIↃ IↃcLXXIIX.

CCCCXXCIII.

CCCCXXCIII.
EIDEM.

IN proxima Zoſimi editione, qvam duobus libris adornavit V. C. Chriſtophorus Cellarius, vocabulum Celtici in ſuſpicionem vocat, nullo qvidem iure, aut ſufficienti ratione. Nam, qvi legerunt ſcriptores bonos, et priſcos, haudqvaqvam neſciunt, Celticam etiam Illyrios compleſti, falliqve eos, qvi ſoli Galliae tributum volunt. Qvin et, propria, ac peculiari notione id ad Germanos, Rheni accolas, pertinere, plus ſatis ex Dionis lectione conſtat. Vixit autem Zoſimus non Honorio imperante, ſed vitam usqve ad Valentinianum III. produxit, maximeqve in Conſtantinum M. iniqvus fuit; praeſertim eo capite, qvo ob ſuſcepta Chriſti ſacra exiſtimat, rempublicam Romanam florere deſiiſſe. Qvam calumniam cum Demetriano communem habet, qvem diu ante eum docte, et graviter Cyprianus caſtigavit. Neqve eo mitior fuit Procopius, ex qvo ſolo priſca Gothorum hiſtoria liqvido poteſt intelligi: qvanqvam multi nunc ineptiunt, cum Thulen contra Procopium explicant, et Islandiam interpretantur. Is vero inſectatur Iuſtinianum nimis, ac ſaepe praeter meritum: etiam prorſus literarum expertem, ac ἀναλφάβητον appellavit Svidas. Sed vero huic nihil tale in mentem venit: erroriqve huic occaſionem dedit mendum editionis Svidae Mediolanenſis, qvam nuper nactus ſum, uti pro Iuſtino, qvi revera indoctus, planeqve rudis fuit, Iuſtina-

ſtinianus ſcriptus eſt per errorem. Haec ſcribenti mihi affertur Henrici Noris diſſertatio de numo Diocletiani, qvam ad me curavit Antonius Magliabechius, bibliothecae magni Hetruriae Ducis praefectus, ubi ſaepe, nec ſine cauſa, Riccioli Chronologiam reformatam caſtigat. Gryphiſvaldia ad extremum ſe dedidit, finemqve expeditioni impoſuit contra Sveones, qvorum minae plus obnunciant, qvam reipſa efficiunt. De cetero te DEVS ſervet, Domine, praeſentiqve ope omnes res tuas firmet. d. XV. Nov. cIↃIↃcLXXIIX.

CCCCXXXIV.

IO. GEORG. BOERNERO.

NVllum maius gaudium nunciare mihi potuiſti, qvam nuptias abs te apparatas, qvae mercedem, et fructum tot vigiliis, et laboribus tuis feliciter tandem dependunt. Laetor autem ſaepius, nec moleſte recordor, qvod amore, et fide ſemper te coniunctum habui, tecumqve fui in ſcholis iuridicis Lipſiae, et Vitembergae: una etiam domo, unoqve convictu ſum uſus. Sive enim tu mihi, ſive ego tibi adeſſem, colloqvebamur inter nos, multumqve commentabamur de antiqvis legibus, de inſtitutis imperiorum: deqve ritibus Eccleſiae veteris ſummo uterqve ſtudio diſſerebamus. His familiaribus ſermonibus amicitia contracta nondum deſiit, magisqve aucta eſt, cum tu prodires in forum, magnoqve clientium numero ſtipatus iure, ac iudicio experieris. Me interim bonae literae, et reconditae Graecorum, Latinorum-

rumve antiqvitates obleſtabant, planeqve paſcebant. Qvas cum ſcirem tibi eſſe iucundiſſimas, tum ſaepe de iis ad te perſcripſi, ſententiamqve dixi, et reſponſa tua multo doctiſſima accepi. Dum haec mutuo agimus, fama fert, te iter Gieſſam verſus iniiſſe. Mirabar, qvid hoc eſſet: qvo valeret tam commutatum repente inſtitutum. Commodum audio, ſumma cum laude doctorem te eſſe renunciatum. Vix de reditu tuo cognovi, cum, rediiſſe te magnis honoribus cultum, ornatumqve, amicus, tuae laudis percupidus, affirmabat. Tacite mihi gratulabar, cum, rebus ex ſententia confectis, patriae te rurſum redditum audirem. Sed nondum ſatis eſt: intelligo, te eſſe ſponſum, et familiae, atqve generis decus propagare velle. Qvod, non dubito, qvin bene tibi eveniat: optoqve, ut Chryſoſtomi Vlpianiqve, id eſt, liberi, Geierum, Boernerumqve referentes, ex tam auſpicato connubio naſcantur. Exiguum munus, veteris amicitiae teſtem, non aſpernaberis, meqve, ut ſoles, ſummis viris, D. Geiero, et Iacobi, multum, diligenterqve commendabis. Catharinae Eliſabethae tuae ſolemnia etiam hic apud amicos tuos feſta erunt, per cuius nomen te obteſtor, ut, qvoniam noſter ordo eam ſapientiae praeſidem habet, qvotannisqve oratione laudat, tu eam mihi praecipue concilies, id eſt, patrocinium celeberrimorum virorum, D. Geieri, et Iacobi, conſerves, confirmesqve. d. XXII. Nov. cIↄ Iↄc LXXIIX.

Pp CCCCXXCV.

CCCCXXCV.
M. IO. GEORG. HAHNIO.

NOn modo te non odi; ſed ne amare qvidem deſii. Illud autem mihi non fuit lectu grave, qvod, iuſto dolore commotus, reſcripſiſti. De capitibus doctrinae civilis recte, mea opinione, exiſtimaſti. Nunqvam enim tale qvid vel audivi antea, vel legi de Ferdinando III. Vienna accepi, Mansfeldium Dreſdae legati ordinarii munere functurum. Qvo fiet, ut Praeſul iſte, omnibus moleſtus, amoveatur, cuius ſecta, factave mali exempli usqve huc fuerunt. Qvod ad nuptias Decii non eſt invitatus, indigne tulit: cumqve eius cauſam ſcire cuperet, reſponſum tulit, reliqvos legatos fuiſſe invitatos, qvoniam ſocero Publio eſſent a confeſſionibus: qvae ratio eſſet peculiaris, nec honori eius de cetero fraudi eſſe poſſet. d. XXV. Nov. cIↄ Iↄc LXXIIX.

CCCCXXCVI.
N. N.

CVrſus *clabalaris*, qvo res, hominesqve transportari moris erat, in codice Theodoſiano, qvem accurate, diligenterqve illuſtravit Iacobus Godofredi, aperte ſatis traditur, atqve explicatur, ut vel ex eo abunde poſſit intelligi, haud vera ſuſpicione duci Valeſium, cum exiſtimat, eum ad milites duntaxat non belle habentes, caſuqve alio aegrotantes, pertinuiſſe. Nam ipſe Ammianus, in qvem erudite commentatus Valeſius eſt, non

non modo nihil tale uſpiam ſcripſit; ſed ne argumenta qvidem eius ſententiae praebuit, propterea qvod libro XX. auctor eſt, Iulianum Imp. etiam robuſtis, et valentibus eum curſum, qvi *clabalaris* cadente Latinitatis aevo dicitur, permiſiſſe. Locus alius eſt contentione partium ambigue expoſitus de potentiore *principalitate* Romae apud Irenaeum; qvem ego ex Nilo Theſſalonicenſi interpretor, qvi affirmat, ob ſedem Imperii, Romae conſtitutam, illam urbem inter alias omnes explenduiſſe, διὰ τὸ βασιλεύειν, inqvit, τὴν πόλιν ἐκείνην. Loqvitur autem de Roma, magnificeqve eam hoc titulo ornat. Nimis autem ſibi indulgent, qvi putant, πόλεις Germanicas, qvarum aevo ſuo meminit, Atticae elegantiae perſtudioſus, Herodianus, ita anguſte ſumendas, ut urbes opere, muroqve circumdatas interpretentur. Sveones, qvod armis omiſerunt, prudentia Oxenſtiernae, et Lilienhoeckii, recuperaturos ſe, ſperant. Vngarorum res, proximo certamine converſae, levius paulo omen Caeſari attulerunt, qvi ſuae, et temporum Germanicorum fortunae, qvae ſemper fit teterior, tandem concedet, pacemqve, non placituram Foederatis, inibit. d. XXIX. Novembr. cIↄ Iↄc LXXIIX.

CCCCXXCVII.

N. N.

IAm dudum reſpondere tibi debui, niſi iuſtae qvaedam cunctationis meae cauſae fuiſſent, qvae qvidem, etſi tibi ſufficere non poſſint, mihi

tamen tot, et tam multa impedimenta attulerunt, ut vix eſſet, qvomodo me inde expedirem. Volhardi reditum ad vos accepi, cui bene cupio, ſi dignum ſe benevolentia tua praeſtat: mea autem cauſa peto abs te, graviter, ſerioqve admoneatur, ut mihi tandem reſtituat conciones, in Herodotum ſcriptas. Qvod niſi fiat, acrioribus remediis opus erit. Vitae, et aetatis meae rationes potiſſimum in eo ſitae ſunt, qvod natus ſum A. cIɔ Iɔc XLI. Menſ. Dec. Corbachii, in Valdecciae *Comitatu* ſane Imperii; ſed lege beneficiaria *Landgraviis* Haſſiae obnoxio. Pater mihi fuit M. Ioannes, Philoſophus, et Theologus doctus, qvi in aula Vildungenſi Comitis Volradi ad tempus conciones aulicas habuit: poſt, miſero belli tempore, Comite e finibus excedere coacto, Corbacenſi Gymnaſio praefectus eſt: cui cum Io. Conrado Diterico ſingularis ſemper amicitia, atqve neceſſitudo fuit. Hinc me eius gratia dimiſit Gieſſam, ut penitus excolerer: inde Vitembergam commigrare iuſſus ſum, ubi Aegidii Strauchii ſcholae me per aliqvot annos retinuerunt: poſtea, cum in patriam reverterer, docendae iuventuti deſtinatus, brevi tempore vices has extra ordinem, vicariiqve nomine ſuſtinui: mox autem, de conſilio patronorum, repetii Lipſiam. Priusqvam autem hoc conſilium perficerem, in patria, et praecipue Caſſellis, cum ſummis, peritiſſimisqve rerum civilium hominibus verſatus ſum, itineraqve verſus ſuperiorem et inferiorem Germaniam ſuſcepi, ut uſu, exemplisqve me erudirem. A. cIɔ Iɔc LXVII. Lipſiam per-

perveni; iuriqve civili, auctore Svendendorfero, operam dedi: tum Videmanno, Lipſienſi iuveni, regendo dux datus, Vitembergam repetii, Zieglerumqve diligenter audivi. A. cIↄ Iↄc LXXI. Hiſtoriarum Profeſſor publicus extra ordinem; A. cIↄ Iↄc LXXV. Poeſeos Profeſſor publicus ordinarius; A. cIↄ Iↄc LXXIIX. Hiſtoriarum Profeſſor publicus ordinarius rite ſum conſtitutus. Ab eo tempore multum debeo illuſtriſſimis Friſiis, et Gersdorfio, qvi me ſubſidiis doctrinae ornarunt, adeo, ut eorum dicendi genus, conſilia optima adhuc in animo meo dominentur. Vale, Patrone inſignis, meqve ama, Hanckiumqve, virum de hiſtoria pulchre merentem, ſaluta. Arzatii mortem doleo, et magnopere defleo, cui ſua virtus certe rependet immortalitatem. Interim Caeſaris Auguſti, pacem reſtituere cupientis, conſilia, actionesqve fortunet DEVS, remqve publicam veſtratem benigne tueatur. Id enim nolo addere, qvod maiores mei etiam in bellis Belgicis ſub Auſtriis meruerunt. Mater ex veteri Fuldarum Haſſiae ſtirpe eſt oriunda, cui nomen Annae Benignae. Iterum vale. Kal. Decembr. cIↄ Iↄc LXXIIX.

CCCCXXCIIX.
HENRICO, L. B. A FRISEN.

MIſſus mihi index eſt, Pandectae Brandenburgicae inſcriptus, qvi vice Lexici inſerviat, omniumqve artium, et diſciplinarum voces, ſubiectis ſemper ſcriptorum nominibus, complectitur.

Qvem laborem perficiendum ſibi ſumpſit Chriſtophorus Hendreichius, bibliothecae Brandenburgicae praefectus, ad codices, opinor, oſtendendos eius Principis, qvorum tam multi ſunt, ut centenorum millium numerum conficiant. Cynelli bibliotheca volans, ut ei nomen eſt, Magliabechii beneficio ad me venit, qvi de re literaria ſane inſigniter promeretur. Berolinum feſtos ludos apparat ad excipiendum Principem *Electorem*, qvem dixiſſe allatum eſt, potius de principatu deceſſurum, qvam erepta Sveonibus redditurum. Spes Galliae, more eius gentis, inania oſtentant exteris, Sveonibusqve ſpecioſe blandiuntur; nec multum abeſt, qvin pax ingloria Caeſari ipſi exprimatur. Hiſpanis acerbior tot inſignium civitatum iactura eſt, qvi Batavorum cauſa bellum ſuſceperunt, nihil, praeter Traiectum ad Moſam, ab iis lucraturi. Vereor ego, ne tandem vetus Auſtraſiae regnum, ad qvod tota Belgica pertinuit, a vicinis, Germaniaeqve infeſtis Gallis occupetur. Ceterum expeditio verſus Pruſſiam nihil, praeter ſimulacrum, relinqvit, et, qvam infirmum telum fama ſit, teſtatur. Ita vero te DEVS ſoſpitem, florentemqve patriae ſervet. d. VI. Dec. cIↄ Iↄc LXXIIX.

CCCCXXCIX.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

Lithuanorum languor, et Polonorum, more ſuo conniventium, incerta ſpes, privatusqve Curlandi metus, et commoditas hiemis, Henrico Hor-

Hornio, cum Svedicis manipulis in Pruſſiam profecto, bene, utiliterqve, contra, qvam credidi, evenerunt. Dum enim de pace cum Vngaris tractatur, excita per Bethunium turba, colluviesqve hominum, novum, et formidoloſum aliqvid in illo limite molitur. Brandenburgicus rem ad Polonica comitia retulit, ſperatqve, rempublicam ſibi non defuturam, pactisqve mutuis ſtaturam. Interim ſpecie levationis onerum tributa imperat Hornius, rebusqve apud Memelam firmandis incumbit. De libro, cuius mentionem feci, eſt MS. Kenpelianum, in qvo omnes Europae familiae cum ſubiectis epiſtolis, deſcribuntur. XL. numis uncialibus redemi, ratus, publice intereſſe, ne liber in peregrinas manus veniret. Tibi vero, Domine, optima patriae negotia conficienti, felicitatem, et valetudinem conſtantem opto, ut de muneris, laborumqve gloria nihil deminuatur, ſeniumqve tuum illud, venerationis plenum, maioribus qvotidie viribus augeatur: demum, ut tota gens tua, in primisqve Henricus iunior, perpetuas felicitatis ſuae rationes conſtitutas habeat, floreatqve ſemper, et, hereditario qvodam fortunae iure, curis, atqve conſiliis patriam defendat, clientesqve ſuos complectatur. d. XXIIX. Dec. cIↄIↄc LXXIIX.

CCCCXC.

CAROLO, L. B. A FRISEN.

EXpedit huic Academiae, ut tua in primis cura, et conſiliis regatur, ſalusqve eius, qvae

ſuperiori aeſtate periclitari viſa eſt, poſthac eodem, prorſusqve laudabili exemplo abs te defendatur. Nemo enim eſt inter nos, qvin optet, ut hereditatem eius gloriae teneas, qvae ſola immortalitatis fructum affert, mercedemqve aeqvam laboribus rependit. Qvare omnis mea cogitatio, votumqve eo ſpectat, ut ſub hoc tempus, qvo Kalendas Ianuarias precamur, ſalvo tibi, ſoſpitiqve in perpetuum gratulemur. Pendet enim fortuna noſtra ex tuis conſiliis, qvae cum religionis, literarumqve incrementis ſic coniuncta ſunt, ut ſane nomen tuum inter omnes longe, lateqve gentes celebretur, opinioqve haec, et fama tam valida ſit, ut ii etiam, qvi ritus, ſacraqve noſtra oderunt, prudentiam, atqve moderationem incomparabilem ultro fateantur. Velit ergo, iubeatqve aeternum Numen, ut illa domus tua hac felicitate utatur, fruaturqve conſtantiſſime, ut pari exemplo gloria in illuſtriſſimo filio, in qvem ſpes noſtra erigitur, explendeſcat, et qvas rationes confectas habet paternae laudis, bene, feliciterqve conſervet, et immortale tuum decus in aula, curiaqve principis teneat, et conſtanter propaget. Kal. Ian. cIↃ IↃc LXXIX.

CCCCXCI.

ADAMO CHRISTOPH. IACOBI.

EST labes qvaedam aevi noſtri invidere virtuti, et nulla re, niſi turpiſſimo calumniae qvaeſtu laetari: qvam eo magis ſemper averſatus ſum, qvia

qvia ſummorum, qvos colimus, virorum recordatio multo gratiſſima eſt probis, ut non modo habere; ſed etiam referre gratiam velint. In qva cogitatione ſempiterna qvaedam pietas me defixit, totumqve in tui admirationem, addo etiam gratulationem, advertit. Nihil enim eſt tam amplum, et magnum, qvod tibi non omni iure debeatur, praeſertim, cum repeto tua in Academiam merita, qvae nulla unqvam oblivio delebit: vigebitqve certe in animo meo tua laus, tua doctrina, prudentiaqve incomparabilis, qvam inter convictus elegantias, cum Dreſdae eſſem, audire mihi contigit, ut haberem, qvod abſens qvoqve venerarer. Qvod ita cecidit, ut ad Italos etiam de cura, atqve ſtudio tuo in literis perſcripſerim. Cetera in poſterum, et ſine adulatione praedicabo. Nunc enim, praeter grati animi teſtificationem, addere nihil poſſum. Qvare DEVM precor, ut te, inſtitutis optimis abundantem, patriae qvam diutiſſime ſervet, ut patrocinio, opeqve, et conſilio tuo, tuorumqve ampliſſima dignitate collegarum, perpetuo fruamur, et exempla tua, morisqve ſanctioris imaginem intueamur, et, qvod decet, pietate imitemur. Ita te Numen cum nobiliſſima familia, cum delicio tuo, Chriſtiano, ceterisqve omnibus liberis, et neceſſariis, cuſtodiat, benigneqve tueatur. d. III. Ianuar. cIↄ Iↄc LXXIX.

CCCCXCII.
IO. GEORG. BOERNERO.

IN portu es, qvem gratulor tibi ob inſignes, atqve eximias dotes contigiſſe; optoqve, ut ea felicitate regere pertendas hanc navem, qva coepiſti. Crede mihi, niſi me omnia fallunt, auguror amplius aliqvid, qvod virtutibus tuis debeatur, conſultiſſime Boernere. Interim fruere deliciis novae nuptae, et prode exemplum poſteris dotium, abs te longe, lateqve amplificatarum. Gratulor etiam patriae meae, laudum tuarum, qvas Gieſſa celebrat, memori, ut vel ſic intelligat, qvalis is fuerit Boernerus, qvem ob honeſtisſima vitae inſtituta, doctrinamqve haud vulgarem, et egregiam indolem, ſtudiaqve optima, popularibus indicavi, meritoqve laudavi. Pro inſigni illo monimento tuo ago, habeoqve gratias multas, et decentes, et in extremo obſecro ſanctiſſimum Numen, ut Geieriae, Iacobiae, et Boerneriae neceſſitudines novum per te robur capiant, atqve indies magis floreant, qvo religionis, prudentiaeqve coniunctiſſima illa ornamenta ad utilitatem patriae, et poſteritatis exemplum transmittantur. d. III. Ianuar. clↃ IↃc LXXIX.

CCCCXCIII.
PROCERIBVS DRESDENSIBVS.

PRo fide, et pietate mea, ſub hoc tempus, qvo vota qvisqve facimus, gratulor vobis fauſtas, feliceſqve res, qvas ut nullus in poſterum caſus, nul-

nullave calamitas perturbet, pie, reverenterqve Deum immortalem, ſanctiſſimi ordinis veſtri cuſtodem, atqve conſervatorem, precor, ſimul et confido, de me ad potentiſſimum Principem *Electorem* vos eſſe perbenigne relaturos, qvod me per epiſtolam de obiecto praeiudicio purgavi. Qvare a vobis humilime peto, ut mihi ope, conſilioqve veſtro ne deſitis, cum neqve rationibus, neqve teſtimoniis ſententia mea deſtituatur. Ego enim nullius Imperii Principis dignitatem, iurave, ne per latus qvidem, petere conſtitui, nedum ut voluerim offendere, aut qvoqvo modo impugnare. Ita vos, Praeſes illuſtriſſime, Patroniqve maximi, DEVS ſervet, omnibusqve fortunae beneficiis augeat, et firmet. d. X. Ianuar. cIↄ Iↄc LXXIX.

CCCCXCIV.

HENRICO, L.B. A FRISEN.

CVm Caeſar, ſimulationibus hoſtium deludi ſe, videat, tum nulla honeſta ratione fieri poteſt, ut pax iniqvis conditionibus ſtabiliatur. Qvibus rebus experiuntur Sveones, non futuram recuperandi amiſſa occaſionem. Neomago carmen mihi transmiſſum eſt, qvo acriter perſtringuntur, ut meminerint, qvibus modis res ſuas labefactaſſent. Cellenſis per Hammerſteinium Stadam, et reliqva, in ſatisfactionem attributa oppida in verba ſua adegit. Brandenburgicus ſaltem iure hypothecae Pomeraniam citeriorem retinebit, id eſt, nunqvam reddet, qvod totus ſeptentrio non tantum pecu-

niae

niae habeat, qvantum ille poſcit ad ſolvendum ſumptus, in bellum, ab Imperio decretum, factos. Poloni, parum abfuit, qvin ſtatuerent in comitiis Gradnenſibus, ut verſus Livoniam redituri in loco hoſtium haberentur. Hiſpani, ceſſo *Comitatu* libero, non plus in Gallum conferre potuerunt, qvam ipſi habuerunt. Supremum enim ius in eum *Comitatum* pertinet beneficiario nomine ad Germaniam, qvod Hiſpanis nullo titulo abalienare licuit, cum tantum abalienaverint, qvantum fuit in ipſorum poteſtate, qvod profecto, ſalvis domini beneficiarii rationibus, eſt intelligendum. Qva rerum noſtrarum fortuna optandum eſſet, ut bellum hoc anno felicius procederet, Carolusqve Lotharingus Imperii auſpiciis *Ducatum* ſuum recuperaret, cumqve illo tam inſigni *Comitatu* coniungeret. Verum niſi ad ſigna redeat cunctator Montecuculi prudens, et ſagax, vis, conſilii expers, parum eſt profutura, ut vel ipſi Galli gloriantur, propeqve irrident Germanicos apparatus. Sleidanus, a me continuatus, offendit pleroſqve exteros et alieniores reddit. Verum ego caritatem, et officia Germaniae praeſto, cum civem Germanicum nulla ratio inducere potuerit ad ſcribendum, et propugnandum pro cauſa populi, hoſtiliter omnia facientis. De cetero in tuo patrocinio innitor, Domine, precorqve, ut te, conſiliaqve tua rectiſſima Numen fortunet. d. XVII. Ian. cIↃ IↃc LXXIX.

CCCCXCV.

CCCCXCV.
N. N.

QVod meum in te ſtudium eſt, nullum tempus erit mihi tam moleſtum, nullaqve occupatio tam difficilis, et taedioſa, ut tuam memoriam delere, veteriſqve amicitiae fructum eripere mihi poſſit. Gieſium, compoſitum, et eximium adoleſcentem, comiter accepi, et in Ziegleri aedes non invitum adduxi, Muſeumqve ei delegi. Si placet loci conditio, meaqve conſvetudo, uti poteſt occaſione. Ego omni in re illi officium, qvodcunqve poſſum, navabo. Mullero, viro cordato, gnavi et prudentis praeſulis munus pariter, et partam qvietem, gratulor. Parum enim habent Academiae, qvod delectet iuvenes. In luxum, licentiamqve proni, graſſantur per oppidi itinera, et genio tantum ſuo, ac ſodalitatibus indulgent, qvas ut vitet Gieſius, monui aliqvoties, et fideliter, qvod nullum vitium perinde ſerpit, ac mala haec conſvetudo. Summorum hominum, Conringii, et Schraderi, morbos valde doleo, optoqve, ut mox convaleſcant: qvibus meam obſervantiam nunciabis. Crede mihi, niſi hiemis inclementia me de ſententia deduceret, confeſtim illuc proficiſcerer. Nunc, opinor, Lipſienſes Nundinae expectandae erunt, qvibus conſtitui inviſere ſummorum par virorum. In ſacris antiqvitatibus iam totus ſum, petoqve, ut Horneii hiſtoria trium ſeculorum ad me perferatur. Curabo,

ut pretium ſine mora reddatur. Vale. d. XXII. Ianuar. cIɔ Iɔc LXXIX.

CCCCXCVI.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

SVeones grave, periculoſumqve bellum rurſus adverſa fortuna gerunt, ſenſimqve retrocedunt, qvos recepta Tilſa inſeqvitur Brandenburgicus, et, ubi invenit, caedit, aut captivos ducit. Carlſonius, Caroli Guſtavi nothus, cum plerisqve non vulgaribus tribunis interceptus eſt: tum annona difficilis eſt, reditusqve maxime impeditus. Iacobus, Curonum Dux, idemqve Brandenburgici affinis, infeſtum iter ipſis reddet, et iam aperte minatur, qvaſi hoſtibus reipublicae, cum conſilia inſidiis plena explicarent. Simul ac venit Brandenburgicus, fortuna mutata eſt. Credo ego iratum genti prorſus eſſe Numen, qvod omnia eorum deſtinata contrariis eventibus mutat, adeo ut vel Horniorum nomen paſſim foedum ipſis omen praebeat. Accepi enim, qveri hanc mariti fortunam Hornii uxorem, qvod videat nihil admodum a Sveonibus actum, ſiqvidem Regium montem, totamqve illam regionem occupare potuiſſent, ſi citatis itineribus contendiſſent. Sed haec perſcribere tibi debui, Domine, qvae iam pro certis ex Pruſſia afferuntur: te vero divina ope perpetuo ſalvum nobis pollicemur, eoqve DEVM pro pietate noſtra obteſtamur. d. XXIV. Ian. cIɔ Iɔc LXXIX.

CCCCXCVII.

CCCCXCVII.
GEORGIO SCHVBARTO.

TVus liber, qvem de Comitibus Palatinis Caeſareis inſcripſiſti, non eget teſtimonio laudis meae, propterea qvod ipſe ſe commendat, auctorisqve nomen facile mihi, atqve omnibus eruditis approbat: iis autem praecipue, qvi veri huius antiqvitatis exiſtimatores eſſe poſſunt. Belle iudicas, appoſiteqve eruis origines, et civile decorum ubiqve convenienter ſervas, non aliter, ac ſi Boſianae gravitati illud certe non exiguum ornamentum acceptum ferres. Qvod, dici non poteſt, qvam delectet, me in primis, amantem qvoqve humanitatis, qvae paſſim hodie a tironibus negligitur, propeqve ſuggillatur. Non dubito, qvin Schilterus, Reineſiani theſauri heres, facem tibi praetulerit, cuius eruditionem non ſecus aeſtimo, qvam Budaei, qvo viro vix qvisqvam Graece peritior fuit. Haud enim ſcio, qvis hac rara certe huius aevi laude, praeſertim inter iureconſultos, propius ad eam accedat, veriusqve aeqvet. Nihilo minori gaudio mihi fuit, qvod Graevio, viro Graece, et Latine doctiſſimo, opuſculum illud eximium dicaſti: qvo inſtituto, et libro immortalitatem, et tibi ſolidum, ac manſurum decus conciliaſti. Ita te DEVS ſervet. d. V. Febr. cIↄ Iↄc LXXIX.

CCCCXCIIX.

CCCCXCIIX.
HENRICO, L.B. A FRISEN.

RAtiones victoriae Brandenburgicae prorſus confectae ſunt, fortunaqve adiuvit conatum, et Sveonum, pacta Olivenſia cum Polonis A. cIↄ Iↄc LX. conventa, violantium, conſilia convertit. Id vero haud mediocriter Brandenburgicum perturbat, qvod Caeſar, praeter, et contra inſtitutum belli ſocialis, cum Gallo pacem inſtauravit, ſententiisqve, ab Imperio dictis, non acqvievit, qvae eo ſpectabant, ut totum hoc ſane arduum negotium communibus ſociorum auxiliis, coniunctisqve animis perficeretur. Sed, uti exiſtimant, vicit affinis reſtituendi utilitas, Auguſtumqve praecipue induxit, ut, qvae ille armis conficere non potuerit, tranſigendi opportunitate obtineret. Nec dubito, qvin hunc ad modum res Vngaricas magis in tuto collocaturus ſit, qvas cum iactura templorum in urbibus, oppidisqve ordinare vult. Id vero eſt, qvod Vngari nunqvam admittent, qvippe qvi cupiunt, ut in urbibus pariter, ac tractibus ſacrorum ſuorum libertati caveatur. Ita agunt hi omnes. Cum periculum inſtat, foedera ſanciunt; ſed, ubi emergit occaſio commodi, conditiones ſibi utiles accipiunt, communemqve cauſam deſerunt. Qvod exemplum Foed. Belgae primi nobis prodiderunt, teſtatiqve ſunt, ſe in poſterum rationibus pecuniariis pacem, bellumqve facere poſſe. Cum enim hi diſceſſionem facerent, tum nervus omnino ſocialis militiae inciſus erat;

qvan-

qvanqvam iuſtum, aeqvumqve poſtulabant, ut pax univerſe recuperaretur. Sed ita fortaſſe non futura eſt pax fida, et perpetua, qvae communi demum nomine ſancietur, niſi haec forte via eſt, qva ceteri praeparentur magis, atqve ad pacem adducantur. Et nemo magis ſentiet haec mala, atqve Danus: poſt eum ſocii ceteri. Neqve Germania talem pro tot periculis, totqve calamitatibus, et ſumptibus, pacem, certe infirmam, ſperavit. Vereor, ne ita male plerisqve regionibus conſulatur, dum pax inter ſingulos iam coaleſcit, qvae ad ſecuritatem omnium pertinebat. Te vero, Domine, DEVS ſervet, ut conſilia Proteſtantibus adverſa, bene cadant. d. IIX. Febr. clↃ IↃc LXXIX.

CCCCXCIX.
EIDEM.

SOpito pace Gallorum, odio rex Chriſtianiſſimus ad premendos Hugonottos ſe convertit, et parat, ac ſine culpa dignitates, privilegiaqve iis aufert, perinde ac ſi hanc vicem Anglis, Catholicos, ob tentatum coniurationis facinus, iure punientibus, reddi oporteat. Nam haec arbitria ſibi ſumit iſte rex, et, cum vires ſuas iam noſcit, nulla ratione metitur, et hanc uni ſibi tribuit gloriam, qvod pacis negotium non acceptis, ſed latis a ſe conditionibus nunc demum ſit confectum. Nec habent Sveones, ut magnopere glorientur, cum non ſuis viribus, ſed, Gallico patrocinio confiſi, reſtituantur. Qvo rerum ſtatu Auguſti, et Ger-

Germanorum fortunam doleo, qvod, cum antehac toti fere terrarum orbi leges darent, nunc, rebus converſis, non ſine damno, et dedecore accipere cogantur. *Comitatum* Burgundicum, qvi ex regno Arelatenſi reliqvus erat, amiſimus: Flandria, veteris Auſtraſiae portio, non minus diminuta eſt: Brema, tam bene merita, deſtituitur; omniaqve ſic immutantur, ut iacturam hanc poſteritas vix modice ferat. Sed adhuc ſupereſt Germanis magnitudo animi, et priſtinum robur: et forte tempus erit, qvod calamitates Germanicas in Galliam vertat, praeſertim cum tuis conſiliis qvam diutiſſime fruemur. Moſchi id agunt, ut vires, copiasqve ſuas cum Polonicis adverſus Turcas coniungant. D. VI. Febr. pax, inter Caeſarem, et Gallum conventa, eſt ſubſcripta. Hinc animos Sveones recipiunt: in Pruſſia non modo nihil ſe dignum confecerunt; ſed ne conſiſtere qvidem potuerunt. Poloni eos elabi permiſerunt, promiſſaqve de iis in limite perſeqvendis non ſervarunt. Alioqvi omnes periiſſent: pleriqve a Samogitis male accepti ſunt. Inducias inter reges ſeptentrionis auctoritate ſua conciliat Rex Galliae, qvi dat pacis, induciarumqve leges, iunctisqve regibus parem ſe, vel maiorem putat, qvod res declarat. d. XIV. Febr. cIↄ Iↄc LXXIX.

D.

N. N.

QVae optima ſit tractandae hiſtoriae ratio, commodius qvidem dici, qvam ſcribi poteſt: dabo

dabo tamen id auctoritati tuae, ut intelligas, qvantum tibi, atqve filiis tuis, ad honeſtam laudem nitentibus, debere velim. Principio auctor ſum, ut Graecas, Latinasqve hiſtorias, cum ſtyli, tum prudentiae cauſa, multum, diligenterqve legant. Inde ſe ad res Teutonicas, et monumenta noſtri aevi convertant, ſcriptoresqve, a Ioanne Piſtorio, Iuſto Reubero, Marqvardo Frehero, Simone Schardio, Melchiore Goldaſto editos, evolvant. Ordiantur autem totum hoc, et inſigne ſtudium a Pithoeanis, qvippe qvi mediae aetatis fontes aperiunt, viroqve in republica verſaturo permagnum afferunt momentum. Tum Maximiliani I. hiſtoriam, et congruentes exterorum res, eventaqve ex Ioanne Cuſpiniano, Franciſco Guicciardino, Franciſco Belcario cognoſcent. His ſubiungendus eſt Thuanus, vir ſane prudentiſſimus, et ad ſcribendam hiſtoriam natus. Inde rerum civilium momenta, et imperiorum converſiones, incrementa, et deminutiones abunde intelligent, exemplaqve, ad vitam, et aulam idonea, petent. In primis Germani intereſt noſſe patriam ſuam, noſſe Caeſarum, Principumqve origines, familias, viciſſitudines, foedera, pacem, bella. Permultum etiam in urbibus ſitum eſt, praeſertim iis, qvae Imperiales, itemqve Hanſicae audiunt, in qvibus Germaniae qvaſi nervus eſt, et robur. Hic refert, ut ſciant, qvae ſint Germaniae I. et II. Belgicae item I. et II. Metropoles: ſteterintne in libertate, an exciderint? qvomodo, et qvibus artibus, de poteſtate Principum exemptae fuerint?

qvibus deniqve modis iura, ac privilegia etiamnum tuentur? Neqve eo ſecius Arelatenſes, et Auſtraſiae regni antiqvitates, origines, et mutationes perqvirent, ut, qvemadmodum Gallia ex Germaniae ruinis creverit, in hiſtoria, qvaſi in vivo ſpeculo, contemplentur. Nam e republica eſt ſcire etiam vires hoſtium, et mirari Galliae fortunam, qvae omnium prope regum noſtri temporis gloriam obſcurat, pacemqve dat potius, qvam accipit; nec tam viribus, qvam aſtu, et conſiliis debellari in poſterum debet, ſi, rupta, qvae nuper coaluit, pace, aliud fortaſſe bellum conflетur. Plura in aliud tempus differam, tibiqve ad omnia ſtudia promptum me, paratumqve profitebor. d. XVI. Febr. cIↃ IↃc LXXIX.

DI.

M. IOANNI EGGERTO.

RЕnunciatus es Magiſter eo ordine, et loco, qvi te decet. Omni enim ſtudio cauſam tuam ſane tuendam ſuſcepi, atqve effeci, ut primus eſſes inter eos, qvi certa formula paciſcuntur. Convenit id honori, ac doctrinae tuae, qvam pro eo, ac par eſt, aeſtimo, teqve hortor, ut in tam laudabili inſtituto perſeveres, literasqve humaniores diligenter tractes, monitisqve meis audiens ſis, qvorum recordatio, opinor, tibi iucunda erit. Datus eſt tibi nunc creſcendi locus, ut vires ingenii tui explices, hoſpitisqve tui ope enitaris. Ergo hoc age, ut ad hanc laudem accendas te, et pares, in qva patriae, et tibi permultum eſt ſitum.

Ex

Ex tricis *Scholaſticorum* tene modum, et antiqvitati, ac lingvis praecipue totum te trade, ut acre illud, excitatumqve ingenium tuum magnos coetui ſacro, ſcholisqve fructus afferat, nec tibi minorem laudem relinqvat. Eid. Febr. cIↄ Iↄc LXXIX.

DII.
CHRISTIANO SCHVZIO.

MOrtem Gvilelmi Koſpothii, viri illuſtris, et de noſtrate republica pulchre meriti, vehementer doleo, et ſcio, multos deflere, qvi in eo vitae, fortunarumqve praeſidium ponebant. De Burcardo noſtrate res, opinor, in incerto eſt, an ita cadant conſilia, qvemadmodum is vult, ſiqvidem ita mutata eſt aulae Baruthinae, et Onoldinae facies, ut exiſtimem, nihil tale unqvam futurum. Credo autem, Academiam, qvae hoc anno inſtituetur, Coburgenſem prae aula delecturum, ſi aſſeqvi id poſſit, ut lautiori ſtipendio conducatur: niſi tamen me conjectura fallit, qvam ſatis ingenue, tibi autem ſoli, perſcribo. Nec enim de aliis laboro, nedum fortunam meliorem invideo. Mihi tecum pacis cauſa commune debet eſſe gaudium, cum ſpes ſit, fore, ut literae in poſterum pace melius floreant, tutiusqve conqvieſcant. Cives enim noſtri, qvaſi Martiorum aemuli, omnia prope diſciplinae repagula perfregerunt, et clamoribus, licentia, diſſolutisqve moribus omnia contaminarunt, ut parum a barbarie abfuturi fuiſſemus, ſi duces malorum hominum

reliqviſſemus impunitos, qvorum duos ex urbe excedere iuſſimus, ut exemplo alios deterremus. Sveones, in Pruſſia male accepti, longiori mora, qvae toto hoc bello ipſis nocuit, occaſionem neglexerunt; nec tam armis, qvam conſiliis iacturam ſarciunt, omnes Germaniae principatus, praeter Sedinum, et duas Bremenſis *Ducatus* praefecturas, recuperaturi. Qvod tamen non eſt, cur ſibi tribuant, qvando rex Galliae auctoritate ſua effecit, ut iis, qvibus vellet, conditionibus reſtituerentur. Pax qvidem minus honorifica Germanis; Caeſari tamen, pro ſtatu temporum, utilis: nec adverſa Hiſpanis; Foederatis tamen iniqva, propeqve inſperata, adeo, ut Brandenburgici, et Luneburgici, cum olfacerent haec conſilia, protinus etiam agere coeperint, expóſitis qverelarum, obteſtationumqve capitibus; ſed Caeſari ita ingratis, ut ſpecioſe tantum excuſarentur. In cauſa Brandenburgici ſimul pronunciat Senatus Principum, Ordinumqve, ad qvos una ſpectat cognitio de pace publica, et principatibus beneficiariis, nomine fractae fidei nuper occupatis: qvod e republica, atqve ex utilitate ſociorum, Principum certe eſt futurum. Ita vero gratulamur temporibus noſtris, qvibus denuo expetita pax illuxit, qvam praeſtat iniqvam habere, qvam nullam in corpore tam magno, et, diffidentibus membris, gravi, ne, dum lenta tabe conſumitur, infelici caſu pereat, totumqve collabatur. Nanceii iactura Lotharingo acerba eſt: Friburgae iure ceſſit Caeſar, ut Philippiburgum retineret, miro fortunae,

tunae, et conſiliorum temperamento: qvi ſane exitus Sveonibus, Danisqve in perniciem vertit. Illi leviter caſtigantur, hi omnia fere reddere parati ſunt, et coguntur. d. IV. Martii cIↄ Iↄc LXXIX.

DIII.
HENRICO, L. B. A FRISEN.

POſtqvam ex malis ſuis emerſit Germania, periculo non vacat Italia, ea praeſertim parte, qva beneficiario iure cum Imperio coniuncta eſt, dum Caſalium, Principatusqve Montisferratenſis prenſatur ab rege Franciae: resqve iam eo deducta eſt, ut pactio iniqva, et Caeſari, Imperioqve ignominioſa perficiatur, rataqve habeatur. Itaqve, miſſo Mantuam Thurnio, Caeſar, cuius auctoritas in eo vertit, mature intercedit, et, qvam id indignum ſit, oſtendit. Sed ita agunt Galli: Omnes fere Italiae Principes, praeter Etruriae magnum Ducem, obnoxios habent: Sabaudum, cuius commoda in proximo Neomagenſi negotio procurarunt, adverſus Genuam, Italiae veluti clauſtrum, accendunt: Caſalium a Mantuano tradendum ſperant: qvod ſi futurum ſit, Hiſpanica auctoritas, ſecuritasqve, etiam in Italia, prorſus collabentur: Germani non minus inſignem iuris partem, ſplendoremqve, et decus, a Saxonibus Germaniae illatum, malo exemplo, amittent. Exiſtimo autem, hoc factum eſſe noſtrae nationis, ut in periculo verſetur, caveatqve ſibi etiam reſtituta pace, donec in ſummo faſtigio eſt Ludovicus, qvi

pecunia, et potentia ſua, omnia Europae conſilia fere ad nutum ſuum moderatur. Pax, Neomagi inita, multum ex iniqvo habet, et parum honorifica videri poteſt, qvod ſatisfactionis, et contradictionis principum, qvorum intereſt, nulla ratio habita fuerit: qvanqvam neceſſitas auctorem defendat, ut mallet, etiam iniqvam iniri pacem, qvam perſeqvi crudele bellum, qvo Germania indies magis vaſtabatur. Cum vero Imperii ſenatus ſit eam pacem ratam habere, ut vim legis pragmaticae accipiat, et, exceptis, in qvibus derogatum, mutatumqve eſt, capitibus, pax Veſtphalica ex integro corroboretur: tum DEVM precor, ut fortunet, qvae nomine Principis *Electoris* in eam rem conſules, patriamqve benigne reſpiciat, et tueatur. d. II. Mart. cIↄ Iↄc LXXIX.

DIV.

CHRISTOPH. ARNOLDO.

OFficium mihi praeſtitiſti eximium, et pro more tuo multa, nec iniucunda mecum communicaſti. Si qvid habeo, viciſſim honori tuo dabo, ut intelligas, me haud ingratum fore. Hic, finito Theologorum certamine, operae conqvieſcunt. Ego hiſtoriam Saxonicam, multorum annorum opus, molior: doctrinae, rerumqve ſubſidia ex publico ſunt conſtituta. Ex Anglia nunciatur Iamblichum de myſteriis Graece, et Latine, opera, ſtudioqve Thomae Gale, evulgatum eſſe, qvem dudum expetii, anxieqve qvaeſivi. Priſci Anglo-

Anglo-Saxonum regis, Aelfredi, hiſtoria, qvam Henrici Spelmanni induſtriae acceptam ferimus, nunc tandem qvoqve in lucem exit. Ibidem recuſus eſt Herodotus ad formam editionis Stephani. Cyprianum de integro curavit Fellus, praeſul Oxonienſis: in aditu operis luculenta praefatio cernitur. Ignatianae epiſtolae multum Pearſono debent, viro et hiſtoriae, et antiqvitatis ſacrae inſigniter perito. Cum Etruſco exemplari contulit Iſaacus Voſſius, qvi de ſcriptis Sibyllinis commentabitur, et, cur a Blondello diſſentiat, explicabit. In Epiphanio rurſus edendo, ut aiunt, occupantur Londinenſes. Petavius in multis haeſitavit, qvod mendae paſſim, et lacunae teſtantur. Sandii nucleus iam totus in inutilem corticem vertit, prorſusqve enervatur. Novus Atlas, magnum, ſumptuoſumqve opus, undecim voluminibus conſtabit. Chartae tam elegantes confectae ſunt, ut vix noſtra, patrumqve memoria elegantiores viſae unqvam fuerint. Pokokius Hoſeam interpretatur: Collectanea de proſelytis ex Maimonide fere abſolvit Prideaux. Liber Iuchaſin, editionis Conſtantinopolitanae, tam rarus eſt, ut Cracovienſis ab amico, Ebraice docto, conqviratur. Grotii opera Theologica nitidis Elzeviri typis excuſa ſunt: Palmerii Graecia omnino expectationi meae ſatisfecit: Stephanus Byzantius, magno cum Geographiae commodo a Pineda, Iudaeo Luſitano, viro diligenti, et inter iſtos homines mire docto, curatus eſt; ſed Holſteinianae notae adhuc magnopere deſiderantur, pariterqve ex-

expectantur Benthleianae. Nicolaus Heinſius Velleium expolivit, digneqve illuſtravit: Florus Graevii etiam huc allatus eſt. Nec te latet Ornithologia Volongthaei, Robinſoni Annales, aliaqve, nuper elucubrata. Dionyſius Afer notis doctiſſimi Hilli auctus eſt. Ludvolfus lingva Anglica ſcripſit contra Atheos: contra presbyterianos Dodvellus, vir diligens, atqve eruditus. Lipmannus Vagenſeilii, Critica R. Simonis, me non monente, tibi nota ſunt. De Anglica coniuratione nihil addam: ea inſtituta eſt ad ſacrum, civilemqve regni ſtatum ſubvertendum. Laeſae maieſtatis poſtulatus Comes Stafordius, Barones de Ponis, Belaſii, Petre, Adell de Nardovis, Comes de Coslemaine: multiqve inferioris ordinis homines eodem crimine tenentur. Staglegus, et Colemanus, iam ſupplicio multati ſunt: tres alii poenam eandem expectant. Regina ipſa, et Dux Eboracenſis in ſuſpicionem eiusdem ſceleris venerunt. Hic ſe in Belgium ſecuritatis cauſa contulit: qvod eiuſmodi eſt, ut viris doctis metum fere panicum incutiat. Noviſſime convictus eſt Comes Danbyus, ſummus in Anglia aerarii qvaeſtor, non tam, qvod inter coniuratos fuit, qvam alias ob cauſſas. Qvod induxit Proceres, Ordinesqve, ut ſacris diſſidentes ab utraqve regni curia excludantur: eamqve ob rationem ab utriusqve curiae Senatoribus, priusqvam locum, et ſedem ibi capeſſant, iusiurandum, qvod fidei, et obſeqvii vinculum ſit, exigatur, ut renuncient doctrinae, et placitis ſui coetus. d. XXV. Mart. cIↃ IↃc LXXIX

DV.

DV.

CHRISTOPH. ARNOLDO.

De tribus Imperii, regnorumqve, aeterno foedere coniunctorum, inſignibus, ſive coronis, iamdudum ſubdubitare coepi: nec mihi cauſae deſunt, cur receptam vulgo ſententiam in fabulis numerarem. Scala ſeqvitur Blondum, ſcriptorem aetate proximum: Petrus de Andlo etiam diverſam coronarum materiam approbavit. Sed ab eo diſſentiunt multi alii, ac fidenter tradunt, coronam regni Italiae, qvod alioqvi Langobardicum dicitur, fuiſſe ferream, qvam Petrus argenteam putarat. Nihil vero tale ex priſcis ſcriptoribus colligas, qvippe qvi nullas, niſi aureas coronas commemorant, qvas mendax, ſuperſtitioſumqve aevum in argenteam, ferreamqve commutavit, ut, neſcio qvod, hieroglyphicum ſacrum more ſuo extunderet, fabulamqve tam lepidam adornaret. Non vacat afferre, et expendere Friſingenſem: nec forte neceſſe eſt. Nam ipſe, ſagacior popularibus ſuis Sigonius non obſcure it in hanc ſententiam, cum inficiari non potuit, auream qvidem regni Mediolanenſis coronam; ſed interiore circulo ferreo fuiſſe intextam. Nihilo ſecius Corcyrae *Archiepiſcopus*, Pii II. viri aulae Friderici IV. et Germaniae multo peritiſſimi, familiaris qvondam, idemqve auctor praefationis III. librorum de viribus Eccleſiae Romanae, exiſtimavit. Verum id longius exeqvi forſan taedium pariat. Ex Anglia

glia multae et novae editiones afferuntur: Cyprianum Pearſono, vindicias Canonum Apoſtolicorum Beveregio, Dionyſium Afrum Hillo debemus. De novo XI. voluminum Atlante magna paſſim opinio, maior certe expectatio eſt. Voſſius, qui apud Anglos commoratur, de Sibyllis commentari aggreſſus, Blondellum qvoqve caſtigabit. Noſtra hic fere conticeſcunt, poſtqvam Theologi tandem aliqvando ſunt reconciliati. Hiſtoria mea Saxonica opus multorum erit annorum, ubi ſelecta, et in eo genere nondum edita, ex ipſis, ut dicitur, fontibus in areolas meas derivabo. Saxo noſter hic proxima hebdomade fuit, et, ut tumulos Saxo-Aſcaniorum, qvi maiorem partem in fano Franciſcanorum conditi ſunt, inſpicerem, mandavit. Interim vale, et Magliabechium perofficioſe ſaluta. d. XXX. Mart. cIↃ IↃc LXXIX.

DVI.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

PEllectus ſum ad viſendos fani Franciſcani tumulos, ut de eorum inſcriptionibus referrem, et, qvem Principem qvaeqve earum deſignarent, explicarem. Verum, qvia id praeter meam opinionem accidit, et pulvere, ſituqve fere omnia obruta erant, non perinde ac optavi, iis partibus fungi potui. Omnino autem me erexit tuae benignitatis nuncius, qvem Reinhardus, ab epiſtolis ſanctioribus, attulit, qvi mihi confirmavit, te velle, ut ſcribendae noſtratis hiſtoriae ſubſidia mihi

hi conſtituerentur. Simul ut hoc audivi, DEO gratias egi, qvod exiguae hominis Academici doctrinae, fideiqve tribueres, ut cum patriae, tum tibi probum, gratumqve animum teſtari poſſet. De cetero ex Italia ad me perſcriptum eſt, qvid de materia Caeſareorum inſignium ſentirem: qvam ego qvidem auream eſſe affirmavi. Nec cauſae, nec argumenta eius ſententiae mihi deſunt. Ex medio aevo aſſentitur: Otto Friſingenſis, interqve ſagaciores Italos Carolus Sigonius, et Corcyrenſis *Archiepiſcopus*, Leonis X. Pontif. Max. aeqvalis: a qvibus ut diſcedam, haudqvaqvam movet Petri de Andlo, et Blondi auctoritas, qvos mendacis aevi ſuperſtitio feſellit, ut coronas aureas cum argentea, ferreaqve commutarent. Berolini haud aeqva de Gvelſis iudicia circumferuntur, qvaſi per eos ſtetiſſet, qvo minus Brandenburgicus occupatas provincias retinere poſſet. Cum enim illi, pactis in ſatisfactionem Doivern, et Tadinghauſen praefecturis, Dano, Brandenburgicoqve tranſitum ac receptum denegaſſent, vel invito huic belli finiendi legem dixerunt, totamqve militiae ſocialis aleam commutarunt. Vilshauſium pignoris loco Monaſterienſi relinqvitur, qvoad illi praeſenti pecunia ſatisfiat. Tam facilis eſt Ferdinandus Furſtenbergius, qvoniam animo eſt pacis, literarumqve ſtudioſo, nec morem imitatur ſuperioris Antiſtitis, Chriſtophori Bernardi, qvi, ſi diutius vixiſſet, nunqvam fortaſſe redditurus fuiſſet

Ot-

Ottersbergam, qvam magno impendio firmarat. Dicitur autem Bavarus, conſiliis Gallicis validus, totam hanc ſcenam inſtruxiſſe, ut per latus peteretur Brandenburgicus, qvippe alioqvi modum potentiae exceſſurus. Tibi vero, Domine, optimi conſilii, et *Proteſtantium* cauſae utilis, laudem haud ingrata poſteritas rependet, qvae pacem, privatim forte iniqvam, iudicabit publice ſalutarem. Ita te DEVS ſervet, ut patria in poſterum auctoritate, conſilioqve tuo ornetur, atqve fulciatur. d. IV. April. clɔ Iɔc LXXIX.

DVII.

IO. HENR. CONRADO,

CONSIL. LICHTENSTEIN.

Singularis, et aliqvoties repetita propenſi in me animi tui ſignificatio per mihi iucunda fuit, praeſertim, cum dono, ad tuam, auctorisqve memoriam, inſigni, me ornaſti. Balbinus, ut mihi videtur, interdum Sileſios per latus petit: rectior, atqve ſincerior eſt Henelius veſter, qvem multis abhinc annis diligenter legi, legiſſeqve me non piget. Superiori hebdomade Saxo noſter hic fuit, feſtisqve ignibus ſe recreavit. Per idem tempus Eſaias Puſendorfius, Sveonum legatus; huc adventavit, cum Principe *Electore* collocuturus. Berolinum, iam diu pacis Cellenſis, per Rebenacium conciliatae, nuncio male affe-

affectum, prope invidiam ſucceſſuum, nunc impeditorum, reiicit in Brunſvicenſes, qvi tranſitum, receptumqve militi Brandenburgico ex formula pacis denegarant. Eſt enim horum temporum ratio, ut nemo excedat potentiae modum, praeſertim eo in limite, ubi navigationis opportunitas, et gradus ad partem dominii maris metus, aemulationisqve cauſam dederunt. Volhardus in patriam rediit, literisqve miſſis fidem dedit, curaturum, ut Manuſcriptum qvamprimum mihi reſtituatur. Interim vale, et Hanckium, virum egregium, diligentemqve, ſaluta. Demum cura, ut laborem belle perficias. Ego vero precor, ut vulnera domeſtica in poſterum ne experiaris. d. IV. April. clↃ IↃc LXXIX.

B. L.

B. L.

Seqventes Epiſtolae, ſero repertae, hunc locum occupare debuerunt.

DIIX.

IO. GEORG. BOERNERO.

PRaecipuam felicitatis meae partem interpretor, qvod et petenti concedere locum, et abſentis implere vices libitum fuit. Erit id, qvod et nunqvam obliviſcar, et celebrem ſemper. Hoc nomine exolvam pietatem, et redeuntis anni ſolemnia precabor. Efficiat DEVS, temporis ille arbiter, ut diu tuis, mihiqve ſuperſis, et impertiatur inſuper, qvod et privatim tibi acceptum, et publice ſalutare eſt. Corpori ſanitas, animo priſtinus vigor redeat, et qvicqvid exoptas, non adſit modo, ſed affluat. Hic voventis animus, haec ſumma votorum eſt. Eid. Dec. clↄ Iↄc LXXIX

DIX.

EIDEM.

LIteras accepi, qvibus nnncias, qvod deſiderabam. Fortunet te DEVS, et coepta univerſa. Qvod mihi exponis de illuſtriſſimi herois Friſii animo,

mo, ſummum felicitatis meae caput exiſtimo. Servet heroem DEVS cum illuſtriſſima familia. Id tua, id mea intereſt, immo patriae. Qvid patriae? Germaniae qvoqve, et paene cultioris Europae. Tanti is aeſtimatur apud prudentes, qvanti olim Maecenas apud ſuum Auguſtum. Diſputationem mitto exiguam: de Vittekindo expecta. Scias de Vaſmero, mutaſſe aedes. Hac nocte lites inter eum denuo, et Peterſonium exortae, arbitro gladio mox diſceptatae. Mille nebulonum, maleferiatorum nomina audiviſſes. Peterſonius iſte, neſcio, qvid intendat. De Sveonibus diſſerere ſuper menſam homini piaculum. Qvae loqvitur, ad militiam ſpectant. Nempe miles erit Caius. Vale, et ampliſſimam tuam familiam plurimum ſaluta. d. XXX. Septembr. cIↃ IↃC LXXIX.

DX.

IO. GEORG. BOERNERO, IVNIORI.

NOn perinde gaudeo, qvam cum lego literas tuas. Intelligo, qvid tibi debeam. De Boeclero qvod ſcripſi, recordor, ad pleraqve eius ſcripta pertinere. Tacite enim invidet Saxonibus, ut ſoli patrocinetur Moguntino. In iure, qvod Saxoni convenit, convocandi, per latus petit. Argumentum tibi Notitia Imperii, ab illo edita, exhibebit. Iam totus in eo ſum, ut caſtigem ſigillatim. Vellem, Sigfridus ea notaret, et communicaret tecum. Recito, qvicqvid ſentio, Oſtiis,

et Vaſmero privatim. De cetero, qvod de ſtudiis meis bene ſperas, ingenti me gaudio affeciſti. Vale cum familia tua, et nobiliſſimum Parentem, et magnificum Iacobi meo nomine ſalvere plurimum iube. Nec omittatur iureconſultiſſimus noſter Zieglerus. d. IIX. Dec. cIↄ Iↄc LXX.

DXI.

N. N.

IAm dudum reſpondere debui: facturusqve id fueram, niſi et deſtinatum iter me avertiſſet, et proximi metus incendii retardaſſet. Sed, qvae benignitas tua eſt, non interpretaberis ſiniſtre, qvod condonandum neceſſitati eſt. Mitto tibi diſputationem de abdicatione, qvam dederam ſtudioſo huic, Ienam profecto, et, ut affirmabat, Halas veſtras tranſituro. Sed, uti hominum illorum inſtituta variant ſaepe: ita alio flectunt iter, aut obliviſcuntur omnino rerum traditarum. Vale. Non. Mai. cIↄ Iↄc LXXI.

DXII

N. N.

BOnae menti concedas, qvod ſcribere ad te auſim. Incitavit Vaſmerus: commovit opinio tuae virtutis. Fiduciae momentum a tua propenſione: praeter hanc nihil expecto, laetus, ſi obtinui expetitam. De cetero ſatis mihi fuerit, venerari te, et illuſtres dotes tuas, meritaqve omnino magna. Precor inſuper bene tibi, tuis, Reiqve publicae tuae. Nihil ſupereſt praeter antiqvam

tiqvam formulam, Vale. d. VI. Mai. cIↄ Iↄc LXXI.

DXIII.

N. N.

FVit mihi haec mens ſemper, ut te, qva poſſim, pietate colerem, ac tandem publica hac formula teſtarer: ſimul a te perofficioſe peterem, ut patrocinium, qvod ſane duco maximum, et ſcio rebus meis profuiſſe ſemper, mea cauſa non ita pridem ſuſceptum, tueri in poſterum velis. Ego omni ſtudio viciſſim conabor, ut pro honore tuo, ac retinenda omni proſperitate, Numen orem, ac me numero tuorum clientium adſcribam. d. VII. Mai. cIↄ Iↄc LXXI.

DXIV.

N. N.

QVae privatorum, eae qvoqve regum ſunt vices. Mutabilis identidem fortuna iam blanditur, iam refragatur: tanto magis, qvanto altius faſtigium eſt. Nolim referre de peregrinis? exempla domeſtica habemus. Mallemus non habere, ſi per nos ſtaret. Auſtria, longo tempore fundata domus, a tenuibus principiis ſurrexit. Crevit ad maxima, et ad invidiam usqve divinis auctibus floruit. Vtinam eodem ſemper vaſtigio illa, a tot ſeculis parta, felicitas duraret! Sed inde perfidia, hinc orbitas, graviſſima in magna fortuna mala, metuenda nobis. Fraudes a domeſticis, bella ab exteris, calamitas ab orbitate imminet.

net. Sed enim credo, fore, ut tandem ceſſent inſidiae: redeat antiqva foecunditas: redintegretur priſtina concordia. His dotibus inſtaurabitur amiſſa felicitas: vitabitur neceſſitas: ſuccedet neceſſitati ſpes: ſpei ſalus ex heredibus erit. d. IIX. Mai. cIↃ IↃc LXXI.

DXV.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

NEſcio qvid Anglia obnunciat. Ordines tacite diffidunt Regi: *Reformatis* in religione admodum ſuſpectus eſt, et Puritani eum occulte deteſtantur. Non ſcribam de omnibus, nec veteribus, neqve novis. Saepe tamen haec implent ſuam fidem, ut vel experiendo didicimus in patre eius Carolo, huius nominis I. Rex Poloniae praeeſt genti Martiae, ipſe non Martius, et Numae magis, qvam Romuli ingenio praeditus. Is ſi amiſerit Vkrainiam, expeditus Tataris, Turcisqve in Poloniam aditus erit. Non Germani tantum metuemus; ſed Lithuani, Livoniqve omnes. Deliberant mature Sveones; ſed finium ſuorum cauſa: de Polonia non facile angentur; plane ut in incendiis evenire ſolet. Qvilibet eo usqve ſecurus eſt, qvamdiu expers damni. Proxime Holmiam venit legatio Tatarorum, literasqve attulit, Italice ſcriptas; idqve praeter morem gentis. Hiſpania iamdum eo miſit Nunezium ſuum: nec ceſſat Gallia in rem ſuam, cuius auſpicio huc iter fecit Dux Andegavenſis. De Sveonum copiis, in Germaniam tranſportandis, plus famae eſt, qvam veri.

Regis

Regis adhuc immatura aetas eſt: nihil facile audebit, niſi auſpicio adulti Regis. Stenobiel tuus nuper ex vero: Qvot Domini, inqvit, tot Reges ſunt. Nempe haec natio aut ſub capite floret, aut foedere ſervatur. De Gallis magna gloria eſt, exiguus ſucceſſus. Qvicqvid deſtinant, praevident Batavi, et indicant Hiſpanis, et adeo librant orbem potentiae civilis creſcentium regum. Aedificant vaſtas naves, eoqve aut inutiles ipſis, aut praedas hoſti. Qvod ad Brunſvigam attinet, audiuntur varii ex trivio ſermones. Sunt, qvi ſpondeant auxilia a Sveonibus. Sed hi ſatagunt ſuarum rerum, nec temere offendunt Principes, in ſuo tractu potentiores: praeſertim ab eo tempore, qvo mutatus amor in Sveones, minutae opes, attritae vires, pecunia bellis multis profuſa. A Caeſare nihil ſperat, qvia non eſt Imperii civitas. Brandenburgicus, et Monaſterienſis, nonnunqvam aemuli, tamen amici, cum agitur de imperio urbium. Adeo verum hodie eſt, qvod ſuo tempore pronunciavit Florus: Currere ſeculum everſionis urbium. Hanſicae civitates ſatis habent pro ſe frui ſecuritate. Aſpicient fata Brunſvigae; nec movebuntur. Batavi olim ſuppetias tulerunt: iam nec cogitabunt de Brunſviga. Si Coloniam liberent, gratulabuntur ſibi: idqve propter Gallum, et foederi Gallico qvosdam innexos Rhenanos. Eſt ſane Brunſviga ab ultimo tempore Gvelphicae Domus: brevi, crede, ad vetus officium tandem redibit. Sic ſentio, Domine, ominorqve. Tu, ut ſoles, pro more

tuae gentis, aeſtima pietatem. Eid. Mai. cIↄ Iↄc LXXI.

DXVI.

IO. IAC. MEZNERO.

NOn auſim ſpem tuam fruſtrari. Deſideraſti a me literas; ſed forte deſiderio nondum ſuffecturas. Non miraberis. Diu earum rerum iucunda ratio eſt, qvas ſemel factas volumus. Publicum munus expecto: ambio etiam, idqve Academicum. Huc usqve vero, audio, nullum tale apud vos vacare. Gymnaſii enim me dudum ſatietas cepit. Tum vellem indicaſſes, qvanto ſalario Princeps *Elector* conducat Profeſſores: vitaene, et victui ſufficiat, an minus? Nihilo ſecius ſcire cuperem, qvalis Academiae ſtatus, qvi ſtudioſorum ſit numerus. De ſcripto edendo, qvod mones, iam per occupationes non licet. Scribo privatim hiſtoriam: commentor ad Sleidanum: praelego de iure naturali, et gentium: vices expono familiarum: alia multa, ne iactare videar, praetereunda. Vnum adeo tibi incumbet de his me certum reddere, anteqvam aliqvid ſtatuam certi. Alioqvin ex diverſis locis invitor; ſed nondum qvicqvam decerno. Moderabitur tandem DEVS inſtituti rationes. Vale, et feliciter peregrinare. DEVS omnia fortunet, qvae ages: DEVS pondus addat conatibus. d. XXVI. Qvinct. cIↄ Iↄc LXXI.

DXVII.

DXVII.

N. N.

CVm ſuperiori tempore apud vos eſſem Halis, optabam vehementer occaſionem inſerviendi. Sed morbus intercepit conſilium, praeſertim, cum invaleſceret magis. Neqve vero, cum remitteret, otium ad compellandum fuit. Sed id facile deprecabor, qvod filio auctor fuiſſem, ut excuſaret me tibi: cuius ſimul itineri bene precor, et moneo, eum ante diſceſſum perſcripſiſſe huc, operarum privatarum nomine mihi ſatisfacturum. Non credam, interceptum eſſe, qvod eo deſtinatum fuit. Neqve tamen ero tam imprudens, ut poſtulem, cuius ultro meminit filius tuus. Ignoſce itaqve fiduciae fortaſſe nimiae, et feliciter age cum tuis. d. XXVII. Nov. clɔ Iɔc LXXI.

DXIIX.

AMICO DRESDENSI.

REm multis officiis demerendam feciſti, qvod ſummo Maecenati propoſuiſti petitionis meae rationes. Namqve haud facile emergunt huiusmodi occaſiones. Ordinariae functiones nervum habent, ac durant: qvae extra ordinem, ſaepe vicibus obnoxiae ſunt, et minus implent hanc menſuram. Hoc approba viro ſummo, qvi me egregie inſtruxit in ſtudiorum curſu, et curavit, qvae ad commodum, honoremqve meum pertinent. Vale, et crede, me nunqvam non tui commodi velle eſſe ſtudioſum. Proprid. Kal. Febr. clɔ Iɔc LXXII.

DXIX.
HENRICO, L. B. A FRISEN.

CLaſſis Turcica iamdudum errat in mari, metuitqve ipſa, ut metuatur. Venetorum naves, infeſtatae a Corſis, aeqve ſe receperunt. Genuenſes, toto mari iactati, nondum collegerant ſuas vires: plurimi domum, curandi ſui cauſa profecti ſunt. Fuerunt etiam, qvi haererent brevibus: alii ſcopulis illidebantur: pauci evaſerunt in tutum, id eſt, natando ſalutem qvaeſiverunt. Adeo ſola libertas vindicatur: praeter hanc nihil comparatur ex certaminibus iſtis. d. XII. Febr. cIↄ Iↄc LXXII.

DXX.
AMICO.

ORdinis Ieſu ſodales nunc in eo ſunt, ut aegre faciant innocentibus Lutheranis. Haud ſcio, an triſtior unqvam coetus ſacri apud nos ſtatus fuerit. Templa noſtris eripiuntur: nemo vel muſſare audet. Etiam vix deplorare malum licet: adeo nos inſectantur; nec famae modo, ſed etiam vitae inſidiantur. Vale. d. XIII. Febr. cIↄ Iↄc LXXII.

DXXI.
HENRICO, L. B. A FRISEN.

CErtis nunciis confirmatur, in Foed. Belgio ferme omnia deſperata. Hinc muſſare populum: illinc Hollandos diſſidere a ceteris Ordinibus. Sunt, qvi

qvi cogitent illo rerem ſtatu ſecedere ad remotiora. Dovingus, Anglorum legatus, ex Belgio diſceſſurus, irati animi ſigna reliqvit. Hiſpani cunctantur, qvoad poſſunt: tranſitum vero per Flandriam adhuc recuſant. Veſtphalia omnis militem Gallicum recepit: de Colonienſi, Monaſterienſi, Neoburgico, conſtans ſententia eſt, ſe tradidiſſe in fidem Galli. Ferri poſſent, ſi ibi ſe continerent: nunc, cum, ultra progreſſuros, traditur, ſuos qvemqve limites curare oportet. Luneburgici, et Brandenburgicus, foederati Belgarum, illi Hoxteni, hic Cliviae nomine metuit. Berolini omnium animi converſi ſunt ad curam belli. Literae afferuntur, qvibus nunciatur, Gallos velle conflare bellum religionis, eoqve iam acciviſſe tot Antiſtites in ſocietatem: denuo moliri ordinis, a Ieſu nominati, ſodales, qvod olim per Ferdinandum II. Gallos qvoqve deſtinare Regi ſuo ſucceſſus Caroli M. qvi, Rheno apud Coloniam traiecto, cum exercitu Francorum ſubegiſſet Saxones. Verum iſta fortuna uſus Carolus eſt: nemo poſt ipſum. Carolus Calvus riſum debuit poſteris, qvod vel aemulari ſolum incepiſſet magnum illum Carolum. Adeo verum eſt, qvod cenſent multi, fortunam Caroli M. cum Carolo extinctam eſſe. Aſſerimus id exemplo Ottonum, qvi X. ſeculo, nullo obſiſtente, imperarunt Francis Teutonicis: Gallicis autem ſaepe pacis dederunt leges, finibus ipſorum vaſtatis, et regno Galliae diminuto. Ita premi poſſumus Germani, Saxonesqve: ſupprimi non poſſumus. Idem ſpiritus, qvi libertatis, religionisqve

 finis

finis eſt, ſi ſpiraverit adverſum aliqvid ab occidente, ſeptentrio id omne difflabit. Faxit DEVS, ut facere ipſe poteſt, ut vani hi rumores ſint, ut Rex Chriſtianus ne deflectat a via Chriſtianae moderationis. Monuit ipſius avus Thuanum, DEVM poſuiſſe imperiis limites, ultra qvos non recedant. Id exemplo maxime pio exprimat nepos, et ſatis habeat fregiſſe potentiam Hiſpanorum. Hic ſiſto me, Domine, et, ut ad vigorem redeas, ac valetudine nunqvam adverſa utaris; ſemper contra felicitate fruaris, et omnibus DEI, fortunaeqve beneficiis, precor, et in hac pietate in aeternum perſevero, qvi ſciam, ex te, Domine, omnia mea pendere. d. XXIII. Febr. cIↄ Iↄc LXXII.

DXXII.

EIDEM.

SI rude qvoddam, inconditumqve ſeculum fuit, exiſtimabo, undecimum fuiſſe, praeſertim vergens iſtud Henrici IV. aetate. Nobiles enim bello, ſodalitates ſacrae ignavia innutriebantur: neutri literarum habebant curam. Nulla Henrici culpa: ſolum id Pontificibus imputandum vitium eſt. Ordior ab Hildebrando, ſeu Gregorio VII. Peſſimus ille auctor tumultuum Germanicorum non Petrum, ſed Neronem ſe praebuit ſucceſſoribus primusqve omnium in Imperatores occidentis affectavit Dominatum. Qvod miror, qvia contra formulam pacti Ottoniani, contra ſacramenta anteceſſorum, contra officium Pontificis eſt. Interdixit ſane Imperatori communione ſacri coetus

tus: perculit fulmine brutae cenſurae. Diſſident hic ſcriptores, et pari ardore certant qvisqve ſua parte. Sunt, qvi Henricum IV. putent ſubmiſiſſe faſces ſuos infulis Hildebrandinis. Occurrunt mihi in eam ſententiam Lambertus Schafnaburgenſis, Vernerus Rolevincius, Abbas Stadenſis: ille in primis, qvia ex inſtituto condidit hiſtoriam Henrici IV. ab Vrſtiſio editus, qvi ibi incipit, ubi deſinit Hermannus Contractus: unde vita Henrici III. innoteſcit. Sed tacet ſcriptor vitae Henrici IV. ab Vrſtiſio editus: Sigebertus ferme contradicit, liberrimus cenſor Pontificum, dum ceteri aſſentantur. Ego in tanta diſſenſione non numerum ſeqvor; ſed momenta. Diſtingvo etiam hiſtoriam rei geſtae a rebus coniunctis. Diſcerno inſuper tempora, qvibus Henricus IV. Rex Romanorum, et qvibus inauguratus Romanorum Imperator fuit. Aſſero, tandem temperaſſe animo Henricum, indulſiſſe Pontifici aliqvid, et veniam petiiſſe. Nego autem, pernegoqve, nudis pedibus ſtantem ad qvartum uſqve diem petiiſſe, et qvidem ſub id tempus, qvo electus tantum Imperator, nondum inauguratus erat. Tradit Sigebertus, Pontificem Henrico occuriſſe, et, qvamlibet ſimulato, condonaſſe. Scriptor vitae Henrici IV. applaudit, memorans, Henricum venienti Pontifici obviam iviſſe. Sed, poſtqvam Imperator conſecratus eſt, rediit ad ingenium vetus Pontifex. Inde Imperator, ira accenſus, eum ſede deiecit in concilio Vormatienſi. Turpiter errat Huldrichus (Goldaſtus mavult Hugvaldus; alii, ſed per errorem, Hen-

Henricus) Mutius, qvi, in concilio Brixienſi factum, prodidit. Ea ſententia bis confirmata Moguntiae irritavit Hildebrandi ſucceſſores, maxime Vrbanum II. Paſchalem. Incidunt hic memorabilia qvaedam: id praecipue, an vere exauctoratus fuerit Henricus? Qvod argumentum alibi proſeqvar, Domine: iam tibi, ut debeo, ſupplex commendo cauſam ordinariae ſtationis. Reddet tibi DEVS in vicem, qvod precor. d. XXVII. Febr. cIↃ IↃcLXXII.

DXXIII.

EIDEM.

NOndum recedam a triſti ſeculo, qvod tertium decimum vocatur Pontificum. Et tunc conſilia erant, qvae optimus qvisqve, aut recte intelligens averſabitur; hoc magis, qvod Hohenſtauſios, unde Germania imperatores aſciverat, ſeu vita, ſeu Imperio privare decreviſſent. Non caruerunt conſilia eventu. Vrbanus IV. Siciliam, iure partam, auferebat, ac devolvebat ad Gallos: Clemens IV. anteceſſoris inſiſtebat exemplo, et ſententiam firmabat novo decreto; Gregorius IX. minis, dirisqve omnibus graſſabatur in Fridericum II. Neqve filio huius, poſterisqve parcebatur; uno omnes exitio involvi, oportebat. Inde iactari ſine capite Germania, et luctuoſiſſimo interregni ſtatu prope redigi ad extrema coepit, donec, Richardo in Angliam reverſo, argumenta derelicti haberent Germani, et ſummam rerum deferrent ad Habsburgios, qvibus, qvanta poſſum pietate, aeternitatem generis precor, et optimos ſucceſſus.

Moli-

Moliantur Gregorii: Clementesqve, comparent omnia ad tumultus, expoſcantqve in ſeculum addictos *Epiſcopatus*: nihil timebimus in meliori cauſa. Voveant Mariae, et ſeipſos devoveant: animum non deſpondebimus, qvi ſciamus, DEVM reſpicere iuſta arma, et fortunare. Minis non emoriemur. Germani ſumus: manu, et mente uti poſſumus, priusqvam libertatem, et ſacra amittamus, ſpiritum amittere parati. Qvod ne fiat, DEVM oramus, ut foeda conſiliâ hoſtibus in exitium vertat, et Caeſarem, a DEO datum, afferat adverſus omnem vim, atqve exteris tandem moderationem, noſtris concordiam inſpiret. De Conringio heri ad me Helmſtadio perſcripſit Schraderus, indies deficere attritum corpuſculum viri, animo tamen veteri, et laboris aſſveto etiamnum eſſe, ac concinnare aliqvid pro defenſione urbis Lindavienſis adverſus Lindavienſem *Abbatiſſam*. Nempe Danieli Heidero, hoc argumentum nuper proſecuto, ſuppetias feret. Sed deſino. Servet interim te DEVS, et conſilia tua fauſta, ac felicia eſſe iubeat omnia, et vigorem perpetuum impertiat. Kal. Mart. cIↃ IↃc LXXII.

DXXIV.
IO. GEORG. BOERNERO.

Recte ſcribis: tempora inſtant difficilima, et Germaniae lugenda. Conflabitur, credo, Epiſcopale bellum. Berolini fama publica eſt fore bellum religionis. Varia ſunt, qvae ſuſpicantur

tur de Gallo: nec ſcribam, qvia ſuſpicantur. De Veſtphalia noſtra id dudum perſenſi. Mater mea, qvicqvid carum habet, Caſſellas importandum curavit. Batavi offerunt conditiones ampliſſimas Gallo. Qvas ſi acceperit, Germani bellum ſuſtinebimus. De rebus meis, obſecro te, laborare pertendas. Proxime Helmſtadio ad me ſcriptum, periculoſe decubuiſſe Conringium: nunc qvidem non nihil meliuſcule habere; ſed forte non fore diuturnam valetudinem. Nunciavit mihi Schraderus, vir inſignis, cum qvo tamen huc usqve mihi nulla ſive familiaritas, ſive conſvetudo vitae interceſſit. Accipio tamen animum in omen propenſae voluntatis, et recordor una, qvod ante biennium dixiſſent conſiliarii Brunſvicenſes, ſi nusqvam, mihi apud ſe perfugium futurum. Qvod tamen potentiſſimus Saxo inuſitato gratiae exemplo praevertit. De controverſia Geographica ſcias, poſſe ita excuſari; ſed deſiderari accurationem. Eruditi cum non ſiverint ita facile loqvi, confugiendum eſt ad uſum vulgi. Vale, et commenda meam cauſam ſummo Maecenati, et ſaluta nobiliſſimum Parentem. Kal. Mart. clɔ Iɔc LXXII.

DXXV.
EIDEM.

SPeravi eqvidem, fore, ut ſententiam mihi diceres de iis rebus, qvae non modo ad muneris mei dignitatem pertinent; ſed etiam in republica plurimum momenti habent. Qvae ſi me deſtitu-

ſtituant, nec ſcio conſilium expediendae huius difficultatis, nec reperio viam decidendae iſtius qvaeſtionis. Itaqve elabora, et, ut potes, doce me, et nulla oblivione delendum beneficium mihi impertire. d. X. Mart. cIↄ Iↄc LXXII.

DXXVI.

IO. ANTON. SCHVRZFLEISCHIO, FRATRI.

CVr Belgis nemo aſſiſtat, cauſa eſt, qvod omnes offenderint, praeſertim monopoliis. Gallus in eos movit ob foedus triplex, de conſilio ipſorum adverſus ſe initum: Britanni, qvod vela ſubmittere aliqvoties recuſaſſent mari. Sveones veterum iniuriarum memores ſunt: Hiſpani ſatis habent vigilare pro ſe ipſis. Iam affertur Gallum tribus horis abeſſe Amſtelodamo. Qvod ſi verum eſt, iniqviſſimo loco erunt iſtae gentes. Imperium cur opem non ferat, credo fieri, qvod ad Imperium non ſpectent. Sed interim optandum erat, communis ſecuritatis gratia, populo huic relinqvi libertatem. Sveones offerunt conciliationem. De Vittenio rumor, qvod fuerit inter coniuratos. Vir is alioqvin prudens, et in rebus agendis exercitatiſſimus, omniumqve arcanorum gnariſſimus fuit. Grotius Hugonis iſtius labem qvaſi hereditario vitio contraxit. Ex literis Batavorum rogo te, ut ſingulis hebdomadibus, nova ſi acciderunt, ſcribas. Nam et id hoſpes avide expectat, et Marcus commode a te fieri poſſe, affirmat. d. XIIX. Iun. cIↄ Iↄc LXXII.

DXXVII.

DXXVII. HENRICO, L. B. A FRISEN.

AMſtelodamum rupit cataractas, et aqvas immiſit ſolo: at minori, qvam creditum fuerat, ſucceſſu. Nam aqvae partim ariditate diminutae, partim putredine vitiatae ſunt. Ita illa gens ex neceſſitate conſilium cepit, cum conſilio praevertere neceſſitatem poſſet. Reperiuntur, qvi veteri proverbio exprobrent Batavorum aurum. Et verum eſt Batavos, ſuae ſortis oblitos, tantum qvaeſtus occaſionem captaſſe, et belli artes, qvibus et libertatem, et multam laudem comparaverant, imprudenter amiſiſſe. Miratur Polybius, qvid ſit, qvod tot orbis partes, velut inertes, patiantur imperia Romanorum. Pertinet hoc, meo iudicio, ad Batavos, qvi, cum multas ob cauſas ab Ao. cIↄ Iↄc LXIIX. extimeſcendam Galli potentiam haberent, extimeſcere prorſus deſierant, nunc malo ſuo experti, qvantae ex ſecuritate calamitates oriantur. Sed hi fortaſſe dicent cum Artabano, ſe in arbitrio fortuitorum, non fortunam ita in ſuo arbitrio fuiſſe. Qvod Angliam ſpectat, aut peribit certo, aut foedus ſolvet cum Gallo. Hiſpani enim forte cunctando non reſtituent ſummam rerum. d. XXIIX. Iun. cIↄ Iↄc LXXII.

DXXIIX. N. N.

QVod de patrocinio tuo per Leineckium interpretem confirmaſti, enixe gratias ago. Praedico benevolentiam, exiſtimoqve inſuper, me

nulla

nulla cauſa magis obſtrictum eſſe debere, qvam ex hac finiendae litis. Facies ita rem nomine tuo dignam, et incitabis ad maiorem cultum, ac certe pietatem aeternam. Vellem ſcire, qvid penitus ſentiam: qvod literae praebent, indicium externum eſt. De fortuna mea admoneo, Dreſdam in conſpectu eſſe: poſcere in ſcribendis annalibus operam. Nondum aſſentior; nec delibero ſine cauſa: malo auſpicari a gradu Academici honoris. Cetera, credo, fortuna expediet, ac prudentia maioris aetatis. De cetero deſtinaveram his nundinis ire ad vos; iamqve ſarcinas colligebam, cum literae me impediunt, Dreſda miſſae. Non licebat deprecari, ne viderer officium exuiſſe. Vnum maxime doleo, qvod matri ſpem feciſſem veniendi, praeſertim eo ſtatu, qvo res domeſticae qvotidie turbantur, ac ruunt in peius. Ac illo nomine qvaeſo te, ſumme vir, ſubvenias laboranti, atqve auxilium afferas afflictae. Innoteſcet olim literato orbi, qvicqvid ages meorum; immo qvod mea ipſius cauſa. Suppetunt mihi rariſſima monumenta: hiſtoriam Germanicam pleniſſime evolvi, excuſſiqve: rationes prudentiae eas comparavi, qvas mihi qvondam commendaſti. Non auſim gloriari: id ſolum te obſecro, ſi qvid habeas ad eruendam patriae hiſtoriam, communica mecum: praeſertim, qvod ſpectat ad origines Svalenburgicas. Si qvid ſcripſero, non eodem meo nutu; ſed, poſtqvam ſcriptum erit, reddam, ut ſubeat tuam cenſuram, ne qvid afferatur in praeiudicium veſtri iuris. Pietas enim id ſuggerit

erga patriam. De vita Ioannis Georgii I. Saxonis aliqvid meditor, brevi iudicio aulae ſubmittendum. Age vero, ut libet, et aeſtima pium inſtitutum, ac genti noſtrae honorificum. Si mitteres ephemeridem rerum, ab Illuſtriſſimo Georgio Friderico geſtarum, redigerem ad hiſtoriae leges, ac vindicarem laudes herois ab oblivione, immo ab invidia qvorundam, qvi, cum eius meminiſſe deberent, ſilentio tegunt bene acta. Vale, et Dei benignitate familiae inclutae ſplendorem tuere. d. XXV. Iul. cIↄ Iↄc LXXII.

DXXIX.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

IN Foed. Belgio omnia miſera ſunt, et turbarum plena: fœdumque dictu, Principes Reipubl. adverſus Rempublicam conſpiraſſe. Pars convicti, damnatique ſunt: pars in ſuſpicionem vocantur. Vittenius, Grotius, et Generalium Ordinum multi mutandis Belgii rebus plurimum perfidia ſua attulerunt. Ab aliis aditus: et itinera hoſti oſtenſa: ab aliis conſilia, et agendi rationes praebitae ſunt. Reinbergam deditione captam ſcimus, qvae virtute defendi potuiſſet. Veſalia, et Emericum primum impetum non ſuſtinuerunt: inſula Batavia ſcelere prodita eſt: Geldri, qva pertinent ad Ordines Foed. in Gallos maxime propendent. Animi hinc, inde diviſi, populus maxime perturbatus eſt. De propugnaculo Schenckiano, credimus, a Vurzio, architecturae militaris periciſſimo, defenſum eſſe. Nec ſecius ſperamus de Nim-

Nimmega, niſi qvod Vltraiecto timeamus. Rebus ad hunc modum afflictis ſolicitati ſunt Sveones de offerenda conciliatione; neqve recuſarunt: Angli, velut mutata ſententia, in inducias conſenſerunt. Qvod alioqvi navale praelium ſpectat, pari utrinqve clade diſceſſum eſt. Amſtelodamenſes, ſi ad extrema ventum fuerit rumpent aggeres ſuos, et vitam, fortunasqve omnes in defenſionem libertatis impendent: qvanqvam ſint ex populo, qvi cupiant a Principe Auriaco regi; ſed eo modó, qvo veteres Batavorum Principes rexiſſe confirmat Hugo Grotius noſter. d. XXVII. Iul. cIↄ Iↄc LXXII.

DXXX.
EIDEM.

MAgna populi Batavi acerbitas eſt, et ſaevitia erga ſuos Proceres, qvos inclinatae libertatis ſuſpectos habenr. Ioannes Vittenius, ab officiis penſionum, et Cornelius frater, caeſi ſunt miſere, foedo ſane ſpectaculo, et inuſitato furoris exemplo. Omnia nunc curat Auriacus Princeps, et, ne qvis Ordinum fallat publicam ſpem, providet: qvandoqvidem antehac pecuniarum infinita vis tam indigne impenſa fuit in privatos qvaeſtus, nec alia conſilia valuerunt, qvam, qvae ſpectabant ad ſubvertendam Auriacam domum. Roterodami ſenatus loco motus: Dordracum, ſi poſſet, memoriam Cornelii Vittenii obliteraret. Sonda ſuſpicatur aliqvid de Beverningio, proxime cum pleno mandato in caſtra miſſo. Deſtinabatur

tur huic penſionum cura; ſed, poſtqvam percrebuit, Ioanni Vittenio obnoxium fuiſſe, delatum ad Fagelium illud, honore, atqve utilitate praecipuum, munus eſt. Nullius fatum magis, qvam Ioannis Vittenii miror. Vir erat ingenio, uſu rerum, et legationibus obitis maximus: divitiae, et gloria ſupra modum circumfluebant: qvae vellet demum, qvaeqve diceret, pro oraculis habebantur. Sed non capiebat fortunam, qvi, cum parem non haberet, ſuperiorem omine exitii impendentis deteſtabatur. Recordor hic, affirmaſſe Boxhornium, haud ſcire ſe, an expeditior Ioanne Vittenio orator eſſet. Qvicqvid huius ſit, cumulaverit populari laudes noſter: certe ante exitum non fuit felix, qvi tam infelicem exitum habuit. Princeps Friſiae, verſus orientem ſitae, hoc rerum ſtatu Embdam, Lieratianum caſtellum, repoſcit a Batavis, ſubverita, ne, ſi horum praeſidium non deductum fuerit, ab hoſte, qvem ipſa, neutrarum partium ſtudioſa, non metuit, invadatur. Brandenburgicus nondum ducere audebit in Monaſterienſes, poſt tergum reſpiciens ſemper, et bene tamen ſperans, hoc potiſſimum indicio, qvod, qvanqvam hucusqve Sveonum Ordines ceſſerint obteſtationibus Gallorum aureis, nunc comitiorum decreto ſanciatur, nihil ſuſcipiendum eſſe contra Imperium, memores, qvid A. cIↄ Iↄc XLIIX. per Ioannem Oxenſtirnam, et Salvium Osnabrugae promiſiſſent. In Polonia qvotidie naſcitur factio Gallicana: praeſes Gneſnenſis capeſſit fugam: magnus regni militiae imperator inter

fidem,

ſidem, et neſas anceps creditur vulgo. Caeſar, affini adiutor, ſumptus, qvantos per ſuam fortunam poteſt, praebiturus dicitur: cum primis omnium animos magna ſui expectatione ſuſpendit Decretum Saxoniae inferioris, cuius eventum declarabit Caeſarearum adventus copiarum. Ego, ut nunc tempora ſunt, tuis conſiliis robur opto, Domine, et proſpera, qvae cliens tuus debet, precor. Non. Aug. cIↄ Iↄc LXXII.

DXXXI.

EIDEM.

DE Brandenburgico compertum, itineri ſe accinxiſſe, et tranſiiſſe Magdeburgum. Dixiſſe abeuntem, ferunt, aut Berolino ſe, aut Gallum Belgio excedere oportere. Gallus, cum inaudivit de adventu Brandenburgici, plura auxilia contrahit, et Alexandrum imitari geſtit ſine animo Alexandri, qvi non emit urbes; ſed occupavit, ſi Orſoy, et Niemegam forte excipiamus. Coverdam ſane, Friſiae qvaſi clavem, ex pacto dedidit praefectus caſtri Broersma. Proditio ſcelesta haec eſt, et qvotidie eius auctores pluribus indiciis deteguntur. d. XVI. Auguſt. cIↄ Iↄc LXXII.

DXXXII.

EIDEM.

PRimus noſtrae gentis meminit Iulius Caeſar, ſi qvaeſtio eſt nominis Germanorum: antea Teutones, Celtae dicebantur, Galli etiam, non,

qvod deſcenderent a Gallis, ſed, qvia comites Gallorum erant. Poſtea hoſtes fiebant, victoresqve, dum ſedes qvaererent Rhenum. Diſerte Salluſtius, in Bello Iugurthino, Gallos nominat, qvos Cimbros, Teutonesqve debebat. Conſtabit id, ſi Liviana epitome, id eſt, utrinqve eiusdem gentis commemoratio attendatur. Poſt Livium occurrit Plinius maior, qvi diſpeſcit Germanos in qvinqve nationes. d. XX. Aug. cIↄ Iↄc LXXII.

DXXXIII.

N. N.

IAmdudum eſt, qvod perenixe qvaeſivi occaſionem parandae tuae amicitiae, in qva mihi plurimum momenti fore credo, ſi petere honorem hic loci inſtituero, et fortunis meis conſulere voluerim. Non enim ignoras, qvam difficilis Academicorum ſors ſit, praeſertim eorum, qvos divitiae, ac nervus rerum deſtituunt. Credo tamen, tuo, et DEI auſpicio me id habiturum eſſe, qvod adhuc deſidero, qvodqve, non poſſum, qvin pro extremae neceſſitatis lege a te reqviram. Effice ergo, ut qvamprimum conſeqvar locum, qvem rogo. Ornabo eum, uti me decet, et ubi tu voles. d. XIII. Dec. cIↄ Iↄc LXXII.

DXXXIV.

CAROLO, L. B. A RISEN.

OMnia permitto iudicio tuo: ſtatue de obſeqvio, et pietate animi. Nihil ſcribo, ut arguam veſtram aulam; ſed, qvo deteſter pravos alio-

aliorum ſenſus. Ego in verba Principis *El.* adactus: ego tot beneficiis aulae veſtrae obligatus: qvicqvid ſum, DEI gratia ſum, et Saxonis mei. Si qvid igitur vel vota mea concipere, vel ſpes moliri poterunt, vertam ad gloriam veſtrae domus, veſtraeqve aulae laudes. Floreat Saxo: floreant heredes agnati, cognatiqve omnes. d. XIII. Dec. cIↄ Iↄc LXXII.

DXXXV.
AMICO.

PErgratum mihi accidit, qvod, confirmandae amicitiae noſtrae cauſa, evocaveris me ad munus ſponſoris ſacri obeundum. Dabo operam, ut, cum praeſens tibi eſſe non poſſim, nova ſobole aucto gratuler, et amicum meo loco filiolum de ſacro fonte levare iubeam. Tibi autem honoris, officiiqve, cauſa exiguum donum offero, qvod ita accipias, aeſtimesqve, ut mihi, tibiqve expedit. Interea opto, ut filiolus adoleſcat feliciter, et patrem referat. De me promitto, proximam patri curam in eo educando, inſtituendoqve poſiturum eſſe. Eid. Dec. cIↄ Iↄc LXXII.

DXXXVI.
PATRONO CVIDAM.

DVdum eſt, qvod nihil ad te ſcribo: nec tamen qvicqvam praetermitto, qvod tuo honori, commodove hic inſerviat. Cumqve te maligni forte oderint, hanc a bonis, et omnibus doctis inibis gratiam, ut nomen tuum magis colamus.

Neqvam enim, et, neſcio qvis, furcifer fuit, qvi famoſo carmine petere te voluit. Pereat iſte, aut nunqvam bene habeat: tu ſi ſalvus ſis, ſummam ſperati patrocinii habemus. d. XXIV. Decembr. cIↃ IↃc LXXII.

DXXXVII.
ADAMO CHRISTOPH. IACOBI.

PRiusqvam faciam, ut intelligas de meis rebus, id volo, voveoqve, ut annum, qvem proxime ingreſſus es, feliciſſime compleas, et, qvemadmodum optas, ita omnia eveniant gloriae fortunisqve tuis. De me primum gratias tibi ago, qvod auctoritate tua induxeris aerarii praefectum, ut perſolveret mihi, qvod debebat. Memor ero huius, atqve aliorum, qvae in me extare voluiſti, beneficiorum. Vnum porro abs te peto, efficias apud praefectum tribunali redituum Saxonis, ut conſeqvar reliqvam pecuniam, qvam liberalitas ſenatus veſtri addixit mihi in praemium profeſſionis extra ordinem. Certius eſſet beneficium, ſi ſtipendium loco eius conceſſum eſſet, ut Mag. Bon. conceſſum memini, cum ſtudia mea ſint inter cetera ſapientiae ſumptuoſiſſima. Sed id meum non eſt definire, cui nihil relictum eſt praeter preces. De rebus Batavorum pro vero affirmant literae Groeningenſes, recuperatam eſſe Coverdam, munitiſſimum Friſiae verſus occidentem propugnaculum. Cetera Batavorum ancipitia ſunt: qvanqvam indies colligunt animos; pleriqve tamen

men parum recte curant ſtationem, ſive qvod non adſit Nancus, ſive qvod non intelligant artes militares. Brandenburgicus commodi ſui gratia cunctatur: Principes ad Rhenum aut diffidunt ſibi, aut aemulantur: faba, opinor, in Colonienſem, et Monaſterienſem cudetur: tametſi neqve extra periculum ſit Brandenburgicus. Cliviam tractarunt Galli, ut a moribus Chriſtianorum abhorreat. Sveones dum Vertumnos prae ſe ferunt, forte Fabios praeferunt. d. X. Ian. cIↃ IↃc LXXIII.

DXXXIIX.

ACADEMIAE VITEMBERGENSIS RECTORI,

Alterius Nomine.

PRimum gratulor honori, et precor, ut tibi, ac tuis bene vertat: deinde rogo, ut mihi veterem benevolentiam conſerves. De me promitto obſervantiam, atqve animum officioſiſſimum. Poſtremo obſecro, ut mihi, et Titio operam naves in curanda, atqve avehenda re libraria. Affirmavit enim, diſſolviſſe aes alienum, qvod apud vos contraxiſſet. Ego hinc ſaltem occaſionem accipiam praedicandae benignitatis tuae, ac me magis famae tuae devinciendi. d. III. April. cIↃ IↃc LXXIII.

DXXXIX.

HENRICO, L.B. A FRISEN.

REtroceſſerunt Foederati: neqve tam hoſtibus, qvam amicis damna attulerunt. Veſtphalia

omnem culpam confert in Brandenburgicum, qvi infelici expeditione ſua exciverit Tureniano: hic ſe purgat, et, niſi alia obſtitiſſent, vel ſuas copias Turenio prohibendo ſuffecturas fuiſſe, affirmat. Nam ſi rupiſſent pacem Aqviſgranenſem Hiſpani, ſi opem tuliſſent Caeſareani, ſi memorabile qvid geſſiſſent Hollandi, et ſi deniqve non diſſvaſiſſent Sveones, qvorum diſſvaſiones armatae erant, praelio experiri voluiſſe. Nunc, cum haec omnia adverſa fuiſſent, ſibi non debere imputari, qvod non deſcendiſſet in campum. Illud vero cognitum habeo, qvod non procul Vnna conſtiterit Brandenburgicus, qvaſi pugnaturus; ſed mox, tubae ſigno dato, revocaverit ſuos a conatu, et iam inſtructa acie ſtantibus edixerit, capitale fore, ſi qvis faceret contra iuſſa. Ad excuſationem opportunam pertinuerunt literae, per *tympanotribam* allatae, qvae non ſinerent, qvid hoſtile agi. Eo vero rerum ſtatu qverebantur Batavi, male impendi pecuniam ſuam, et erogari ad ſupervacuos cultus. Neqve tamen nunc melius agitur cum Veſtphalis, foedante omnia, praecipue ſacra, militis licentia. Sveones compoſitionem curae habent, et nihilominus XXV. millia adulto vere exponent: ſuntqve horum poſtulata aliqvot, qvae diſplicent Luneburgicis Ducibus, ſecreto Brandenburgici gaudio, ut gnarus ille eſt inſtruere ſcenam, et eos petere ex obliqvo, qvos aperte, aut directo non audet. Batavi, qvanta poſſunt ope, ſumptuqve, claſſem inſtaurant adverſus Anglos, a qvibus ſibi magis timent, atqve a Gallis, diffi-

cili

cili ad terras exitu, ſi Traiectum ad Moſam, et Sylva Ducis excipiantur. Danus VI.millia promiſit, qvibus utantur ad bellum navale Brandenburgicus, ſi procedat bellum, ſuas copias cum Hollandis; Caeſareani, ut creditur, cum Hiſpanis coniungent: qvanqvam Hiſpani et debile ſui Regis corpus, et una debile regnum intuentur: minari, qvam praeliari malunt. Nempe hic mihi ſuccurrit commodum, Batavis, ſi ſaepe voluiſſent, obſervandum, externas amicitias infeliciter qvaeſitas. Sed ita hodie ſeculum eſt, omnes diffidere omnibus. Interim te DEVS conſervet, et tuis conſiliis, omnibusqve actibus adſit, ac efficiat, ut tua merita nunqvam obliterentur, curaeqve, et labores, qvos pro ſalute noſtra ſuſcipis, nobis, ſeriſqve poſteris recordandi iuxta, ac laudandi materiam ſuppeditent. d.IV. April.cIↃ IↃc LXXIII.

DXL.

AMICO.

QVae meo nomine ſuſcipis, curasqve, valde probo, et omnem promitto tibi operam meam, ac laetor, te eum eſſe, qvi ſummi Patroni noſtri expectationi ſatisfaciat, apud qvem videbis, et obſervabis, qvicqvid uſqvam egregium eſt, ac ſingulare. De rebus, de qvibus ſcripſiſti, ſcias valde dubios eſſe rumores, et Gallos omnia occupare, ut omnia perdant. De rebus Belgicis commentationem perferet Titius. Vale. Non. Mart. cIↃ IↃc LXXIV.

DXLI.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

QVis Henrici VII. exitus e vita fuerit, et, an dolo Monachi, qvi hoſtiam, veneno intinctam, praebuiſſe dicitur, periit, non pauci dubitant, qvod Conradus Vecerius, qvi ipſi a ſecretis fuit, eiusqve vitam deſcripſit, nihil tale tradiderit. Mihi tamen id a vero non videtur alienum propter teſtimonium Alberti Argentinenſis, qvem Chriſtianus Vrſtiſius, et Ioannis Gerbrandi a Leydis, qvem Franciſcus Svertius evulgavit. Accedit auctor Chronici Baſileenſis, et probat facti huius veritatem. d. XI. Mart. cIↄ Iↄc LXXIV.

DXLII.

CAROLO, L. B. A FRISEN.

QVod Tuae prudentiae eſt, Domine, vehementer rogo, uti cauſam meam tuendam ſuſcipias, et artis poeticae munus, omni ope, conſilioqve ornandum, mihi tradas. Vnum vero inter tot, et tam magna, ac nulla unqvam oblivione delenda beneficia mihi tribuas, ut profeſſio extra ordinem clienti tuo ne adimatur. Nam nec parva ea rebus meis, ac opinioni apud exteros parta acceſſio eſt, et praemium tot laborum, vigiliarumqve maius, atqve honorificentius conferri non poteſt. Laborem ſi exigis, Domine, plane Herculeum promitto: ſin exempla reputas, iam multi ante

ante me fuerunt, qvi tali modo qvoqve profeſſiones cum ſumma laude coniunxerunt. Neqve tantum ad honorem, ad utilitatem meam; ſed etiam ad iuvenum Academicorum commodum, diligentiamqve excitandam ea benignitas pertinebit. Nam ego ita docebo publice, ut privatim nemo optet doceri melius, nemo certe fidelius. Nam et ſubſidia eo comparata mihi omnia ſunt in promptu, et animus eſt indefeſſus. Iudicii gloria tibi relinqvitur: mihi ſempiternus conſtabit cultus, atqve durabit pietas, ut noctes, diesqve pro tuae gentis illuſtriſſimae gloria vota faciam. Eid. Nov. cIɔ Iɔc LXXIV.

DXLIII.

EIDEM.

SVeonibus omnia adverſa ſunt, et ſibi iam metuunt, qvod minis ſuis effecerint, ut metuerentur. Oxenſtirna dimiſſus eſt Ratisbonam inſigni prudentiae Auſtriae exemplo, ut minantium iſte ardor mora magis refrigeſcat. Hannoveranus qvoqve Princeps ſibi diffidit, et Sveones, Gallosqve deſtituit, poſtqvam Haſſos Caſſellanos in finibus ſuis armatos, et non, ut olim, Sveonibus ſtudere, animadvertit. Batavi ſane magno animo reſponderunt Ehrenſteinio, Sveonum legato: Si Rex eius duceret in Foederatos ſuos, terra, mariqve hoſtes ſe habiturum eſſe. d. XI. Decembr. cIɔ Iɔc LXXIV.

DXLIV.

DXLIV.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

SVbvereor, niſi Sveones verſus Veſtphaliam, cuius ipſi nunc pars ſunt, vigilent recte, miros iſtius belli Gallici eventus fore. Sed huc uſqve Sveones et patroni *Proteſtantium*, et aeſtimatores ſuae ipſorum utilitatis eſſe tandem volunt, et in tempore reperire conſilium belli finiendi; ſed Dano non fidunt. Meinardus cuius premendi rationes qvaeſivit factio Somniziana Principi ſuo attulit formulam rati. Traiecti ad Moſam expugnatio decem millium iactura ſtetit Gallo. Vſqve eo fortiter pugnavit Farius, et nomen ſuum memorabile fecit apud Belgas. Monaſterienſis in finibus noſtris egregia Rabenhauptii virtute accepit cladem. Angli nuper ſe recipere coacti ſunt: Inferioris Saxoniae Principes, hortatu Vindiſchgraezii, licet renitente Hannoverano, praeclare in rem Imperii conſuluerunt: totus demum ſeptentrio Gallicae potentiae obicem optat, aut finem. Gedanum diffidit patrocinio reipublicae Polonicae: populus Sveoni favet: proceres reipublicae timent ſe dare in patrocinium ac fidem potentiae externae. Ille qveritur magiſtratus ſui iniuſtitiam: hi utilitati ſuae conſulunt, et paucorum commodo ſtudent, et ſimul, hoc mirabili rerum, ac turbarum Polonicarum ſtatu, ſibi valde metuunt. d. XXIV. Iul. cIↃ IↃc LXXIII.

DXLV.

DXLV.

AMICO.

NVnc uterqve cognoſcimus de prudentia Montecuculi, qvi ſuperiori anno ſvaſit, occupandos eſſe aditus: hoc eſſe debellare hoſtem. Cuius ſalubris conſilii ratio accepta eſt, et Bonna expugnata, res Caeſaris firmatae: Sveonibus etiam oſtenſum, Caeſari propoſitum eſſe defendendi ſolum Imperii, non invadendi aliena. d. XXVI. Iul. cIↄ Iↄc LXXIII.

DXLVI.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

ANglus cur tam pertinax ſit, ac difficilis ad inſtaurandam pacem, cognoſces, qvod aliam, qvam nunc ſperat, ſatisfactionem ſit recepturus. Is enim Inſulam Valcheram, et in ea praecipuos portus maritimos ſibi deſtinaverat: tum non populi; ſed alieno, id eſt, Gallico ſumptu militat: nec credes, eum Regem bene cupere Auriaco ex cauſa dominatus. Polonia, diſcors antea, et imbecillis reſpublica, concordiam pro muro habuit, Rege nunc extincto. Tum Moldaviae Reguli defectio, et Huſſarorum impetus plurimum momenti habuerunt. Sed et peſtilentia plures abſumpſit, qvam praelium. d. XIX. Novembr. Iↄc Iↄc LXXIII.

DXLVII.

DXLVII.

CAROLO, L. B. a FRISEN.

SI beneficia tua, illuſtriſſimiqve fratris poſſem exaeqvare ſtylo, contenderem cum diſertiſſimis, ac intenderem ad tuas laudes ex merito praedicandas. Nunc, cum ea fiducia me deſtituat, praeſidium non in genere ſcribendi, ſed in pietate ponam. Auxiſti me nova penſione, et ita acuiſti induſtriam meam. Nempe omnia tibi debeo, Domine, ut nihil excipiam, et hoc ingenue fatear, omnem vim, omnem ſpiritum, caloremqve venire noſtris Muſis tuo, et fratris ductu. Vos et gloria allicitis, et liberalitate fovetis univerſos: Vobis ſtudia noſtra honorem: vobis patrocinium omne acceptum ferunt: Vos eligunt, qvia diviniores non habent: Vos ſuſpiciunt: Veſtra merita admirantur; nec tam exerere, qvam effundere pietatem volunt. Certatim inclamant: Vivant Friſii, ſpes noſtra, amor noſter, deliciae Saxonis ſui. Necdum ſilent: heredes qvoqve deſiderant, Friſiae gloriae capaces. Annuat religioni noſtrae DEVS: annuat veſtrae ſtirpi: annuat heredibus veſtris. Idemqve faciat, ut ſaepiſſime, immo ſine ſine vobis redeant, et ſimul feliciſſime vertant Ianuariae Kalendae. Fiat, Domine: nunqvam triſteris: nunqvam moriaris. Kal. Ian. cIↄIↄc LXXIV.

DXLIIX.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

EX Belgio nihil affertur, dum de ceſſatione armorum conſultant partes. Rident Galli Batavorum ignaviam, et Auriaci, Montereiqve noviſſimis aemulationibus laetantur: gaudent tacite Sveones, Anglum inſtigantes, ne pacem prius ineat, qvam, libera, et communia Indiae verſus orientem commercia in poſterum fore, Pacto ſanciatur. Nam *monopolia* potiſſimam bello Gallo-Anglico cauſam praebuerunt, et occulta Sveonibus odia hodieqve excitant, ut minus ſincere obeant conciliatorum munus. Interim cautus eſt Caeſar, et infra fines defenſionis Imperii arma ſiſtit, ne Sveones irritet. Vale, et ſpartam, ut ſoles, orna. Poſteritas tibi laudem addet: DEVS cumulatiſſima praemia. d. VII. Febr. cIↃ IↃc LXXIV.

DXLIX.

EIDEM.

QVod Caeſar revocaverit ex Veſtphalia legiones, id multum in receſſu habet, et aliis curam, aliis metum intendit. Brandenburgici non ita pridem dictum fuit, omnes Germaniae Principes hoc tempore ad arma excitandos, partim ob aſſerendam Germaniae tranqvillitatem; partim ob depellendum externum dominatum; partim ob diſiiciendam *monarchiam* Gallicanam, qvippe qvae univerſis incubitura ſit, niſi ſinguli auxilia conqvirant. Gravia, fateor, invitamenta ſunt, et qvorum

Tt rum

rum non poenitere poſſit, qvi ſeqvantur. Verſat interim ille nova conſilia, et die, noćteqve cogitat, ut et opinionem retineat apud exteros, et Viennae diffidentiam amoveat. Viderit interim Sverinius, qva prudentia expediat hos laqveos, Principe tam arćte Batavo foederi innixo. Sveones ſic rem agunt, ut altera manu pacem, altera bellum oſtendant, iter, ut terreant magis, ad Viſurgim deſtinantes. Sed haec, credo, infra conatum erunt. Batavi colligunt vires, qvantas poſſunt, et ferme, ut fidem excedat maritimus apparatus: ita hi paulo reſurgunt ex ruinis, et primo formidoloſi fiunt. Ordines Regni Anglici Regi ſuo liberrime expoſuerunt, nulla commoda ex hoc bello Gallo-Anglico perveniſſe ad Regem: omnem utilitatem ad Gallos, contemptum, ac damnum ad Anglos redundaſſe. Neqve tam ingens horum in illos, qvam antea, ſtudium apparet; et tamen odium durat erga Batavos: qvanqvam paulatim evellere ſtudeat Auriacus, ſi tamen vere, atqve ex animo ſtudet. Contrariae ſaltem ſuſpiciones vel in ipſo Belgio gliſcunt. d. XI. April. cIↄ Iↄc LXXIII.

DL.

EIDEM.

DE Saxonibus ſcias, ſeparatim eſſe referendum. Eos vicit Karolus Magnus; ſed victos non eodem loco habuit. Primores gentis Francorum adſcripſit civitati: plebem ad ſubiectorum redegit leges. Ita Franci ex hoſtibus amicos, ex amicis cives

cives legerunt. Magna haec Francorum, magna Karoli inter Francos prudentia fuit. Liber, de qvo ſcripſiſti, egregius eſt: perlegi, iudicavi, et, qvem cenſuiſti, eum in poſterum cenſebo. Res continet varias, et qvaedam arcana etiam. His, crede, utar, et una praedicabo honorem tuum. d. XV. Apr. cIↄ Iↄc LXXIII.

DLI.

AMICO.

Est ſcriptor qvidam, Arnulphi aeqvalis, et fide inſigni, qvem recenſuit Reineccius, dignus, qvem et aſſidue legas, et ſic familiarem tibi reddas, ut totius hiſtoriae Karolinae veluti nervos, atqve artus omnes in eo tibi proponas: ſimul et exiſtimes, ſi dubitationes qvaedam ortae fuerint, me monitorem, ac promptiſſimum interpretem fore. d. XXVII. Apr. cIↄ Iↄc LXXIII.

DLII.

CAROLO, L. B. A FRISEN.

Edidi aliqvid de Pomeranis, et eruere ſtudui origines, vel ipſius Conringii iudicio difficillimas, partim, qvod pauci veterum has illuſtraverint; partim qvod migrationes hic longe maximum negotium faceſſant. Cramerus, Fridebornius, Micraelius, ac novitii omnes parum mihi ſatisfecerunt: Conringius, qvi unus inter doctores Academicos intelligit recte hiſtoriam, vix tribus verſibus hoc complexus argumentum eſt. De meo ſpecimine tu, Domine, ſententiam dices.

 In-

Inſerui qvaedam notis, et tacite oſtendi, qvam non ſemel aberret Limnaeus. Vnum vero me valde angit, qvod usqve adeo intendantur pretia librorum, ut, dum vel praecipuos mihi comparo, omnes fortunas, facultatesqve meas impendam. Peto itaqve, Domine, ut penſio, qvam duobus abhinc annis merui, tua liberalitate, providentiaqve, perſolvatur. Expoſui hanc neceſſitatem Zieglero, et iterum expono per interpretem Martini, oroqve vehementer, ut Principis, et tuo beneficio fiat, ne me in poſterum fortunae ſubſidia deſtituant. Ego pro hoc, et aliis beneficiis, qvae in me extant, vicem aeterni debitoris rependam. d. IX. Iun. cIↄ Iↄc LXXIII.

DLIII.

CAROLO, L. B. A FRISEN.

DE propenſo in me animo ago, habeoqve gratias, et, qvod ita rationibus meis proviſum eſſe voluiſti, in ſempiterni beneficii parte ponam, et libens carebo acceſſione, qvam rebus meis utilem fore iudicabam. Illud vero oro te, atqve obteſtor, ut, qvod ex praefectura Miſnenſi mihi, propter hiſtoriam patriam excolendam, obvenit, ne adimatur, et, qvia primo anno non ſum ex ſalario ullum fructum percepturus, (nam ita ſtatutum hic, atqve decretum eſt,) ſive ſemeſtre, ſive annus, qvod tuo arbitrio definies, gratiae, ac benignitatis ſingularis utendus, fruendus concedatur. Ego omni pietate id ſemper recordabor, et Friſium nomen, qvod omnibus muſis ſanctum eſſe debet,

debet, publice, ac privatim venerabor, et religione officii apud DEVM qvoqve felicitati, ac gloriae tuae adiiciam cumulum, et prius moriar, qvam ut qvis dicat, me erga Friſiam gentem ingratum eſſe. Ita, Domine, DEVS te ſervet, atqve omnia conſilia tua fortunet. d. IX. Mart. cIↄ Iↄc LXXV.

DLIV.

N. N.

PRorſus egregium mihi tribuiſti beneficium, qvod me ad amicitiam tuam adiungere voluiſti. Patriae vero tuae vicem merito doleo, et praecipue, qvod fructu deprecationis, ab Oxenſtirna factae, caruerit. Fere enim intempeſtive omnia ſua iam agunt Sveones, et una opera Brandenburgicum, Caeſaremqve, et univerſum imperium offendunt. In comitiis res eo deducta eſt, ut parum abſuerit, qvin pro hoſtibus imperii haberentur: ſed vis coeleſtis, Numenqve divinum ita ſaepe hominum conſilia eludit, cum humana prudentia ſolum fulciuntur. Qvod vero ad populares tuos attinet, eorum ſalutis ſum cupidiſſimus, et nihil omittam, qvod ipſis qvidem afferre commodum poſſit. De ſcriptis, qvae a me ſub fictis nominibus emiſſa ſint, volo te coniectura acqvieſcere. In futurum nemo ſatis eſſe cautus poteſt: neqve ſapientem decet, omnia revelare omnibus. In reliqvis multo libentiſſime, qvam poſſum, operam navabo. Ita DEVS te ſervet, et Sereniſſimam Principem tuam, ac ſacra ſub eius

praeſidio in poſterum protegat, ac tueatur. d. XVII. Mart. cIↄ Iↄc LXXV.

DLV.

IO. FRIDER. VOLHARDO.

AEqvum eſt adeſſe te, et mecum efficere, ut preli labores inſtando continuentur. Ita una hebdomade abſolveretur opus: atqve ego interea conqvieſcam a laboribus privatis. Rogo autem te, ut inſtitutum ne evulges, qvod multis forte det occaſionem ſiniſtre ſentiendi. Factis enim, qvae velis, demonſtrare utilius eſt, qvam multa dicere, priusqvam aliqvid ſit factum. d. XVII. Mart. cIↄ Iↄc LXXV.

DLVI.

SACERDOTI CVIDAM.

CVravi, qvae perhonorifice a me petiiſti, ſtatuitqve Philoſophorum ſenatus, uti, futuro Iovis die te inter praecipuos eius claſſis, qvam contrahentium vocant, numerem, ac ſolenniter renunciem Magiſtrum. Nam et vitam, et doctrinam tuam perſpectam habent, et iuſtam hanc, gratiſſimamqve abſentiae rationem una tecum habent, atqve interpretantur. Sumptus, qvos eo facies, conſtabunt impendio XXX. numum uncialium. Hi partim fiſco Academico, partim ordinis inferuntur, partim ad honeſtas operas eroganur. Eos igitur abs te expecto, et teſtimonium non aliter, ac ſi praeſens fuiſſes, mitto. Kal. Nov. cIↄ Iↄc LXXV.

DLVII.

DLVII.

HENRICO, L. B. A FRISEN.

SVeonum claſſis, qvae Foederatorum animos paulum ſuſpenſos tenuit, a ventis, tempeſtateqve disiecta eſt, tanto eius regni damno, qvantum intra huius, et ſeqventis anni ſpatium non reſarcietur. Caeſar in proximo conventu Mulhuſano per Vindiſchgraezium poſtulavit, uti omnes operam, conſiliumqve ad Sveones, ex Germania profligandos, conferant: dignos enim eſſe, qvi publica ſententia excidant iure, et poſſeſſionem principatuum Germaniae, ut qvi, diſtracto Brandenburgico, prohibuerint, qvo minus Imperii hoſtis e finibus Germaniae eiiceretur. Contra vires ſumunt belli ſocialis Principes, et Vismariae iam res ſunt conclamatae, magno Dani gaudio, ut qvi vehementer cupiat imperio maris Balthici frui ſolus, et Svedos nolit eſſe ſibi vicinos. Qvod ſi uſu veniat: multi dubitant, an potentia *Proteſtantium* contra auſus *Catholicorum*, qvi prudenter metuendi ſunt, firmari recte, utiliterqve in poſterum poſſit, reiectis ultra Oceanum Sveonibus, veteribus ſociis, adiutoribusqve. Sed, ut hodie facies Imperii, roburqve eſt *Proteſtantium*, etiam ſine ope Sveonum ſe contra eiusmodi, qvem multi timent, impetum tuebuntur: qvanqvam haud neſcio, Saxones ſemper aeqve *Reformatorum* nimia incrementa, atqve *Catholicorum* formidaſſe. Nunc tamen, Dano ſuis viribus innixo, et Belgio in libertatem vindicato, qvod ſecuritatis ſuae cauſa

utramqve religionem iuxta habet, et recordatur, Saxones apud Rhenum, Moſellamqve plurimum, Brandenburgicos effeciſſe nihil, tale qvid non eſt facile metuendum, niſi qvod hereditariae Caeſaris regiones brevi forte ad Caeſaris religionem redibunt, vicinaeqve provinciae exulibus plus, plusqve implebuntur. In Sileſia tres *Ducatus*, Brigae, Liegnicii, et Olaviae, repetit Caeſar, tanqvam ſummus Sileſiae Dux, atqve Dominus, noſtrae pariter, et *reformatae* religionis damno. Trecenta forte templa eripientur noſtris, et exules, alioqvi nobis moleſti, cumulabuntur. Nam, qvi ex Hedvigae Sitſchia nati ſunt, habentur pro natis ex impari connubio, vel ipſius Chriſtiani tabulis, qvibus de filii Georgii Gvilelmi, nuper defuncti, ſucceſſione diſpoſuit. Ac ita in univerſum deſiit familia Piaſtidarum, ex iure, atqve dignitate matrimonii Principis cuiusqve aeſtimatorum. Vnica ſpes eſt in deprecatione Saxonis, et Brandenburgici *Electorum*. d. XIX. Nov. cIↃ IↃc LXXV.

DLIIX.

AMICO.

INſtitutum tuum peregregium eſt, ac laudabile: vereor autem, ne ſumptus deſtituant. Ipſe noſti ſortem meam, et tantum pecuniae impendiſſe libris, qvantum octo annis ex ſalario non ſum recepturus. Itaqve omnino tibi ſvadeo ſtudium iuris, et praecipue ſummi viri, Eichelii, modum, atqve ordinem. Singulis paene hebdomadibus

huc

huc veniunt ad me, qvi Helmſtadium, eius, et Conringii cauſa, abeunt, ut inviſant doctiſſimos viros: ubi ſi ad tempus vivere poſſes, magnopere tibi conſuleres. Interim ſingularem tuam promptitudinem iuvandi me laudo, compenſaboqve tibi. Diſſertationem, qvam deſideras, et XII. unciales numos certo tibi ex meis facultatibus, alias plane acciſis, mittam, ſi primum tomum mittas, et qvarti appendicem. Nam id mihi non vitio vertes: alioqvi tota pecunia fruſtra impenderetur. Hieronymi Elveri epiſtolae non ſunt purae: Goclenii notae in Platonem vulgares, hisqve anteferendae Sebaſtiani Foxii in libros de Republica Platonis. Epiſtolae Iacobi, purpurati Papienſis, non ſunt integrae, qvas nemo mihi ſic ſupplebit, qvae ſcire te velim. Athenaeus, qvaeſo te, ut aeſtimatus ad me veniat: Bizarrus a me poſſidetur. Vale, et mihi fave, ac effice, ut totus ad me veniat Tomus Hiſpaniae illuſtratae: et ita curſor noſter, pecuniam tibi certo afferet. Qvod ſi praeſtari non poſſit, non poſſum emere reliqvos tomos, ne opus ſit imperfectum. Meas diſſertationes cum opuſculo alio accipies futuris nundinis. Editio Platonis Serrarii eſt comparanda. Eidib. Decembr. cIↃ IↃc LXXV.

DLIX.

AMICO.

ITerum flagitat Titius, uti faciam te aeris alieni memorem, et minatur iuris remedium, niſi ſibi

ſatisfiat. Rogo itaqve te vehementer, ut, propter meam fidem, qvam interpoſui, liberandam, ſatisfacias creditori, et occaſionem liti praecidas. Qvaeſo te, expende collocatum tibi officium, ac deſine eſſe in mora ſolvendi. Nam et id ad tuum honorem pariter, atqve meum pertinet, cum, qvia pro te vadem dedi, tum qvia tu ex pacto convento teneris. Peto abs te reſponſionem, ut ſciam, qvid mihi, qvi fidem pro te obligaverim, facto opus ſit. De cetero bene tibi cupio, et opto, ut hic, et ſeqventes anni tibi felices ſint, et fauſti. d. XIX. Ian. cIↄ Iↄc LXXVI.

DLX.

Nomine Illvstris Ivvenis, PARENTI EIVS.

TEnent me literae tuae qvodammodo, et vere permulcent, cum, qvia curam, amoremqve tuum mihi confirmant; tum, qvia excitatae meae ad tua exempla indoli credunt, et tacite mihi de non inglorio propoſito, ſuſceptoqve conſilio honeſtiſſimo etiam gratulantur. Nitar adeo pro viribus, et pleno gradu contendam ad ſumma, neqve obliviſcar unqvam diſciplinae, ſaluberrimorumqve tuorum monitorum, dum propono mihi iucundam metam, qvam, priusqvam attingam, laboris plenum ſpatium conficiendum mihi eſſe, ſcio. Qvod ut mihi ex ſententia ſuccedat, omnes vias, atqve rationes inibo, et virtutem, qvae maximos diſtingvit familiarum principes, in me non patiar

tiar imminui, nec fortunam meae gentis parum amplificari. Kal. Mart. cIↄIↄcLXXVI.

DLXI.

HENRIETTAE CATHARINAE GERSDORFIAE,

NATAE FRISIAE.

SVppudet me omiſſi muneris, qvod nemini potiori iure debeo, qvam illuſtriſſimae Friſiae, atqve Gersdorfiae genti, qvae me qvidem, hominem communi beneficio ſibi mancipatum, ſaepe autem de omnibus fortunae praeſidiis deiectum, erexit, benigneqve fulcivit, et langventem etiam, tempore in primis alieno, maximeqve difficili, fovit, et complexa eſt, adeo, ut non modo ingratus eſſem, ſi oblivifcerer; ſed etiam improbus videri deberem, ſi vel eorum, qvae in me extant, meritorum memoriam obſcurare vellem. Priusqvam autem has obſeqvii mei partes diligentius expleam, officioqve iuſtiſſimo fungar, deligam aliqvid Gersdorfio nomini inſcribendum, qvod tale erit, ut regni Burgundici, veteris, et novi, commemoratione contineatur. Confectis huius inſtituti rationibus tibi qvoqve, ſuper omnem ſexus tui laudem evectae, pietatem meam, pro eo, ac par eſt, teſtabor, illuſtriſſima Domina, qvae ſemper decus et praeſidium noſtri ordinis fuiſti. Illud autem ad res tuas propius pertinet, qvod illuſtriſſimus in toga heros, idemqve cariſſimus maritus tuus,

tuus, ſuperiori die huc ſalvus, ſoſpesqve pervenit, et pridie Kalendas Maias, primo diluculo, cum amplo, et inſigni comitatu, verſus Magdeburgum profectus eſt: cuius legatio ſplendida omnium ſermone celebratur, cuiusqve tantum pondus eſt, ut maiorem Europae partem ſuſpenſam teneat, ſolicitamqve, praeſertim, cum futurae pacis, tot votis expetitae, rationes inde pendeant. Qvare DEVM oro, ut glorioſum inceptum fortunet, et Friſiis, Gersdorfiisqve laboribus, pro tranqvillitate publica ſuſceptis, gloriae, felicitatisqve perpetuae mercedem rependat, ut ſummis in omni genere meritis, confecta tandem pace, cumulus fortunae maximus adiiciatur. Qvae pietas non in ore; ſed in mente, animoqve naſcitur, et vota pariter, ac officia aeterna tibi, Domina, et univerſae tuae genti ſpondet, ſanctєqve pollicetur. d. II. Mart. cIↃIↃcLXXIX.

DLXII.

IO. GEORG. BOERNERO.

BOno tandem animo ſimus, et Gvilelmo victori fauſtis acclamationibus plaudamus, qvi magnum Galli impetum in medio curſu fregit, et Hiberniam, fugato hoſte, liberavit. Vereor, ne mihi verba non ſuppetant, qvibus commune gaudium exprimam, qvo melior nuncius recreavit nos poſt metum, perturbationemqve ſuperiorem. Dilapſus ex acie Iacobus nave ſumpta verſus Galliam abiit, vivus ſuae cladis, fortunaeqve converſae

ſae teſtis futurus. Magnum audaciae ſpecimen ab illo noſtrarum partium Rege editum eſt, qvod ſub unum fortunae ictum omnes ſuas vires daret, qvi non ignoraret, duos iam terra, et mari errores admiſſos, qvos ſi non longo intervallo exciperet tertius, regno exitium allaturus fuiſſet. Sed DEI providentia id correxit, impetumqve, cuius initium a DEO proficiſcitur, fortunavit. Maria, uxor pia, genibus innixa, DEVM precata eſt, fructumqve pietatis tulit, qvem meliorem, cumulatioremqve optare non potuit. In Hibernia profecto debellatum eſt: coniurationes extinctae: capita factionum perculſa: omnia, qvae nutabant, denuo firmata: metus minor belli longius trahendi. Batavi exultant, qvi certatim de publica gentis ſuae laetitia ad me perſcripſerunt, antea qveruli, et rebus aeverſis male affecti; immo, niſi Achilles Batavus reſtituiſſet, deiecti. Torringtonius perfidiam, an ignaviam, non impune laturus eſt, Rege cognitionem, ut invidiam declinet, ſenatui regni eius permiſſuro. Saxonis expeditionem perinde laetam fore, ſpero, cum de Hunninga armis tentanda, caſtriſqve cum Batavo coniungendis nuncius affertur. Delphinus, utriqve impar, vel ex inſidiis aliqvid auſurus, vel ignem vicinis urbibus, Moguntiae, aut Heidelbergae iniecturus. DEVS avertat malum, et perniciem in hoſtes vertat. Vale, Patrone. d. XXV. Iul. cIↄ Iↄc XC.

DLXIII.

DLXIII.
EIDEM.

RES Gvilelmi proſperae ſunt, qvae Foederatis animos faciunt, et meliorem praeliari volentibus fortunam pollicentur. Nam ſecunda fortuna, et firma valetudine in Angliam rediit, claſſem omni apparatu inſtructam hoſti, mare infeſtum habenti, obiecturus. Turvilius excenſionis faciendae occaſionem neglexit, ſive errore qvodam, ſive metu, ob conſpirationem detectam, ſive ob cladem, in Hibernia acceptam. Poſtqvam Rex ſua tutatus eſt, aliena invadet, bellumqve transferet in hoſtile ſolum, et maritimam Galliae oram laceſſet. Claſſis, qvam conflat, centum navibus bellicis conſtabit: ſexaginta Angli, qvadraginta Batavi praebent, qvae ſpem victoriae navalis faciunt, ex cuius eventu Foederati conſilia ſuſpendunt. Rident Galli, et vires, conſiliaqve Foederatorum diſtrahunt, ac eludunt; ſed ab Anglis ſibi timent, et omnia auxilia, qvanta poſſunt celeritate, contrahunt, fatalemqve decretoriae pugnae exitum expectant. Pulſis Gallis, mariqve purgato, tota Hibernia victoris arbitrium ſeqvetur: Gallia in viſceribus bellum alet: Foederati erigentur, et magis confirmabuntur. Nam terreſtri certamine vix pares hoſti ſumus futuri, niſi navali ſuperiores ſimus. Batavi noctes, diesqve reficiunt naves, ulturi cladem, qvam per Torringtonii ignaviam acceperunt. DEVS fortunet inceptum, et Foederatis pariter victoriam, ſperatam diu, ſed, impe-

ditis

ditis Angliae rationibus, nondum partam, impertiatur. Vale, Patrone. Eid. Sextil. cIↄ Iↄc XC.

DLXIV.
EIDEM.

PRroſperas mihi ſemper, fortunatasqve duxi tuas neceſſitudines: nec vana me ſpes tenuit, conſiliumqve peropportunum mihi datum eſt, cum, difficilimo tempore, auctor mihi manendi eſſes. Qvod nunqvam animo meo excidet, qvi tot, tantisqve abs te beneficiis auctum me eſſe, fateor, ut ea prorſus digna putem, qvae in accepti tabulas referantur. Si gratias referre neqveo (agere enim ſemper debeo) non tamen committam, ut ingratus videri poſſim. Qvin omni fide, et obſervantia te pariter atqve neceſſitudines tuas colam, atqve id omne meis rationibus alieniſſimum iudicabo, qvod eiusmodi ſit, ut tuam de me expectationem tueri haud poſſim. Subſidium, ſi petere audeo, Miſenae unum, atqve alterum conſtitutum eſſe, audio, qvod Principis *El.* beneficio etiam huius loci profeſſoribus tributum eſſe, memini. Iudicium permitto illuſtriſſimis aulae proceribus, qvi arbitratu ſuo de fortuna clientis ſtatuere poſſunt, qvorum interpres eris, et mihi optimus adiutor, faciesqve, ut in ratione, et conſilio, de vitae genere ſuſcepto, perſeverem. Ego de filio tuo, ſi ſtudiorum cauſa huc venerit, qvanta potero cura, viciſſim merebor. Foederati ad hiberna properant, et infauſtam huius anni expeditionem finiunt, plura ex promiſſo auſuri, ſi Rex Gvilelmus

elmus copias in hoſtile ſolum exponat. Apud Rhenum, Moſam, et Salim, in caſtris magna annonae caritas eſt: ruſtici ex ſilvis, et montibus inſidiantur militibus Germanis aeqve, ac hoſtibus: res paſſim confuſa: dum frumentatum eunt, ab illis, itinerum gnaris, occiduntur. In Tranſylvaniam, traiecto Danubio, movit Badenſis: aditus adhuc venienti patent: qvos ſi praeripuiſſet Toeckelius, exigua eos manu arcere potuiſſet. Londini Regem, capto, ut ferunt, Limerico, redituram expectant, qvi claſſem, ad avertendos ab Hibernia Gallos, comparavit. Nondum enim invadendae Galliae facultas data eſt, rebus paſſim impeditis, qvas corrigat DEVS, et mutet, ac tibi omnia laeta, proſperaqve largiatur. d. XXVI. Sept. cIↃ IↃc XC.

DLXV.

EIDEM.

Belgrado capto, tota Caeſaris fortuna converſa eſt, patefacto barbaris aditu in fines Pannoniae, Sclavoniae, et Tranſylvaniae, qvas brevi recipiens, Caeſaremqve propius laceſſent. Niſſam, Vidinium, Semendriam, non validas, et reſiſtendo impares urbes, ſolo aeqvari, et inſtrumentum bellicum, qvod ibi nacti ſunt barbari, Belgradum devehi oportuiſſet. Monuit, et monere inſtitit Ludovicus Badenſis; ſed ſpreta eius conſilia cauſas poenitendi perpetuas Caeſari relinqvunt. Tranſylvani nutant, et in Toeckelium proni ſunt, multis modis laeſi, et occaſionem, qvae hoc infelici caſu data

data eſt, expectantes. De *reſcripto*, qvod ad ius prohibendi pertinet, nihil in ullo hiſtoriarum monimento reperiri potuit. Tum natura rei non recipit tale ius, qvod libertati ſtudiorum repugnat, et uſu, exemplisqve Germaniae refellitur paſſim. Illuſtriſſimo heroi Gersdorfio commendari me, ſimul et excuſari peto, ob nondum perfectum penſum. Vale, Patrone ſuſpiciende, et cauſam meam age, ut potes, dexterrime. Eid. Octobr. cIↃIↃc XC.

DLXVI.
EIDEM.

ADverſa Caeſaris fortuna non in animis ſolum, ſed prope in oculis eſt. Doleo, commune orbis Chriſtiani propugnaculum Caeſari eſſe ereptum, ex qvo recipiendae Budae ſpes tenet barbaros, animosqve facit, et belli melius gerendi occaſionem praebet. Badenſis tamen inclinatas vires reficit, et Toeckelii manipulos diſiecit; ſed Belgradi iacturam non ſarciet, ſi maxime illud militiae horreum, Tranſylvaniam, Caeſari ſervabit. De pactis, inter finitimos initis, qvae facultatem condendi ſcholas publicas adimant, nihil legiſſe memini, et vix adduci poſſum, ut credam, talia unqvam fuiſſe inita: qvanqvam haud me fugit, omnes finitimos principes, eosqve non Saxonicae ſtirpis, nec dignitate *Electorali* praeditos, tale ius in vicinia noſtra exercuiſſe. Sed nemo illos impedivit, et merae facultatis ea res fuit; neqve pacto ullo aliter cautum, atqve conſtitutum eſt,

qvando haec facultas eminentiori modo principum ius afficit, et ex ipſa in territorium poteſtate, velut ex fonte ſuo nativo, dimanat. Rationes ſvaſoriae, aliunde qvaeſitae, leviores ſunt, qvam ut rem conficiant, praeſidiümqve cauſae firment. Chartam Melanchthonianam brevi remittam: mallem, Latine fuiſſe ſcriptam. Annus ille, qvo confecta eſt, Saxoniae fatalis erat, et funeſtus. Principi iuventutis firmam valetudinem precor. Iuvenis hic Svevus honorem nominis tui in albo ſuo reverenter petit. Vale, Patrone, et indulge clienti. d. XXIV. Octobr. cIↄ Iↄc XC.

DLXVII.

EIDEM.

HOc temporis articulo Graecus ad me venit Mercurius Laſcares, variis, dubiisqve fortunae caſibus iactatus, et in Pathmo aliqvandiu ſacerdotis honore perfunctus, vir et natalium honore, et muneris dignitate clarus. De ſtatu Graeciae liberaliter, et copioſe diſſerit, iugumqve ſervitutis longa patientium conſvetudine lenitum eſſe, exemplo ſuo confirmat. Graece loqvitur non peſſime, propterea qvod Graeci hodierni ab antiqva, et maieſtatis plena dicendi gloria nimis receſſerunt. Hominem mihi commendavit iuris conſultiſſimus Strykius: qvod apud me valuit magnopere, ut Academiae pariter gratiam, atqve beneficium homini valde egenti conciliarem. In Graecia conſilium cum re dudum amiſſum eſt: qvod ne Germaniae eveniat, DEVS impediat, com-

communemqve cauſam tuendam ſuſcipiat, et meliora conſilia tandem impertiatur. A meridie Graecis formulis et tuo, et Strykiano honori libamus. De communicata mecum epiſtola gratias ago: Melanchthon vir erat Graece, Latineqve doctiſſimus, et cum Camerario inter maximos Germaniae viros numerandus, modo religionis negotio abſtinuiſſet. Vale Patrone, et benevolentiam ſerva clienti tuo. Ipſo Lutheri anniverſario. cIↃ IↃc XC.

DLXIIX.

EIDEM.

QVod mandaſti proxime, id adeo non refugio, ut ultro mihi impoſuerim munus: hucusqve autem occupationes, et negotia qvaedam retardarunt: qvibus confectis, de propoſito meo dimoveri non patiar, ad qvod perſeqvendum vel ſola tua auctoritas revocat, et ipſa me religio obſeqvii excitat pariter, atqve confirmat. Nobiliſſimi fratris, qvem ob virtutem, et moris elegantiam in primis amavi, iacturam vehementer doleo, et erepta familiae ornamenta comploro, qvae ut filii tui recuperent omnia, et farciant, opto qvam poſſum enixiſſime tuae gentis cliens. Obſecro autem, Patrone, ut cauſae meae praeſidium afferas, et de penſione, qvam noſti, conſilium, cogitationemqve ſuſcipias, et, pro eo ac potes, efficias, ut mihi, ad qvem pertinuit, reſtituatur. Illud vero praecipue abs te peto, ut in Italiam cogitanti veniam, indulgentiamqve in tres menſes impetres.

Spero, ibi me reperturum, qvorum hic nemo copiam facere mihi poſſit, praeſertim hoc tam erudito ſeculo, qvo magna doctrinae pars ab Italiae libris, codicibusqve in Galliam aeqve, ac Germaniam transfertur. De Genealogia illuſtriſſimi B. Haugvizii perſcribam ad Lunigium, qvi me rogavit. Interim habeat ille me excuſatum, donec inqviram vel tua, Patrone, auctoritate, et deprecatione. Vale, Patrone, et meam cauſam age. Priusqvam abeam, oratio honoribus Ziegleri dicabitur, et tibi etiam laboris nomine fructus obſeqvii mei conſtabit. Eid. Octobr. cIɔ Iɔc XCI.

DLXIX.
EIDEM.

MVltum debeo humanitati tuae, et benevolentiae ſingulari, qvam non imminuis, ut multi rerum ſuarum ſatagentes ſolent; ſed novis qvotidie acceſſionibus cumulas, atqve confirmas. Faciam, ut intelligas, me tanti memoriam beneficii conſecrare velle, et, ſi facultas mihi dabitur, tot, tantisqve meritis gratiam referre. De fide mea non eſt, cur dubites, qvando non eo ſum animo, ut ingrati, fallacisqve hominis notam inuri mihi velim. Duae reſtant hebdomades, finem orationi, et initium, ſi DEVS, et Saxo meus ſinant, itineri allaturae. Dumqve in Italiam cogito, Valdeccius, e Brabantia redux, me multis, magnisqve promiſſis invitat: ad qvem, hoc rerum ſtatu, proficiſci non poſſum. Vltro multa mihi offert,

offert, et occaſionis vult eſſe memorem, qva rationibus' meis conſulere, et fortunas augere poſſim. Neqve id invidet mihi Saxo, cuius indulgentia fidem excedit, et grata ſemper mente praedicari debet. d. XX. Nov. clↄ Iↄc XCI.

DLXX.

EIDEM.

CVro, qvae iubes, et rationem hanc mihi praeſcriptam eſſe intelligo, ut non prius abeam, qvam omnia confecta ſint, qvae ad partes meas ſpectant. Fidem dedi: fidem ſervabo: neqve ullus diffidentiae locus erit, niſi honorem periclitari, et perire velim, qvem ſalvum eſſe cupio, et, donec vivam, ſancte, integreqve ſervare. D. Hornii oratio una exprimenda eſt, qvam proxime habuit in patrum, civiumqve concione, diſſertatione eius argumenti a me ornatam. De beneficio, qvod, indulgentia Saxonis, curante illuſtriſſimo ſenatu veſtro mihi partum eſt, gratias ago, qvas poſſum maximas, et tibi in primis, cui debitorem me fateor, et addico. De epiſtola commeatus adhuc tempus eſt: nunc certe abeundi certus eſſe poſſum: qvod in primis deſideravi. DEVS te, cum nobiliſſima familia, florentem, valentemqve praeſtet. d. XXVII. Nov. clↄ Iↄc XCI.

DLXXI.

EIDEM.

ANte dies aliqvot Zinnam excurri, invitatus a Crazio, *Electoris* Brandenburgici praefecto,

 cuius

cuius filius itineris mei ſocius, comesqve erit. De impetrata commeatus ſchedula demiſſas ago gratias, et, eo nomine me ſatisfacturum, ſpondeo, DEVM veneratus, ut omnia divina, humanaqve beneficia cumulatiſſime tibi impertiatur. Qvod reliqvum eſt, pedem ex urbe non efferam, niſi curaverim, qvae ad ultimum Ziegleri officium ſpectant. Non. Dec. cIↃ IↃc XCI.

DLXXII.

EIDEM.

Obſecravit me pereruditus iuvenis, M. Fleiſcherus, ut mea commendatione, qvam ei denegare non poſſum, aditus ſibi ad te pateat, proptusqve, velut illi, qvi in numero clientum ſunt, admittatur. Ego, qvod vix pro alio fecerim, pro eo ſpondere auſim, frugi eſſe, et doctum, vitamqve agere ſine vitio; et dignum exiſtimavi, in qvo ornando nihil praetermittatur. Procul domo huc usqve verſatus perfugium in patria qvaerit, et ad te potiſſimum ſe convertit, qvi apud gratos, honeſtosqve iuvenes beneficium ponere ſoleas, et inter laudes domeſticas numerare facilitatem, ſtudiumqve iuvandi alios, et benigne complectendi. Certabit ille mecum obſeqvio, et in pietate ſua nemini concedet. Vale cum nobiliſſima familia, et patrocinium petentibus praeſta. d. XII. Mai. cIↃ IↃc XCIII.

DLXXIII.

DLXXIII.
EIDEM.

CVM omnium animos, voluntatesqve tibi devincias: tum bonos, et beneficii memores auxilio tuo non deſtituis, eos maxime, qvi in te ſpem ſuam defigunt, et collocant, in primisqve, ope tua, poſt calamitates, et mala ſe reſpiraturos, ſperant. In his eſt M. Miculcius, Luſatus, qvi ex Pomerania rediit; nec dura eius gentis ingenia ferre potuit; nec prius tot miſeriarum finem inſtare arbitratus eſt, qvam ſe reciperet ad Saxones, coelo mitiori, qvod mores, et manſvetudinem formar, utentes. Venit hic in mentem Crumbholzii, ab Vngaria reverſi. Eſt inſignis orator in ſacris, qvem Poſonii concionantem audivi, et dignum patria ſacerdotem iudicavi, cui qvin ad te aditus patuerit, non dubito, et doctrinam, religionisqve conſervandae ſtudium, propter qvod vir optimus male habitus eſt, maximopere commendo. Langium, qvendam Vngarum, humanitatis apprime peritum, mihiqve notum, commendatione ſua magis devinxit, qvem ſcholae, ubi pueros emendatos ſcriptores doceat, praeficí poſſe, ſponſor confirmo. Ad extremum fratri meo magnum in te praeſidium polliceor, qvem vel mea cauſa qvam benigniſſime complectaris. DEVS te cum nobiliſſima familia ſervet, et longa, ac perpetua poſterorum ſerie florere velit. d. XIX. Febr. cIɔ Iɔc XCVII.

DLXXIV.

A. PHILOPATORI.

MAgnum Auſtriae nomen, et ampla potentia eſt, cuius fama omnes terrae orbis regiones pervaſit, exterasqve gentes, et nationes longinqvas, et barbaras metu victricium armorum complevit. Qvae ſalva eſt Imperatore ſalvo, qvi ſuis viribus, foederatorumqve auxiliis molem belli, poſt homines natos maximi, ſuſtinuit, Thraciaeqve, et Celticae Regibus pari felicitate reſtitit, et unus adeo ille nobis relictus eſt, qvi patriam pietate ſua, et conſilio firmaret. Omnino enim pietas qvaeſtui fuit Auguſto, et in varietate fortunae, ac viciſſitudine temporum ſalutaris conſilii fontes ei aperuit opportune, ac demonſtravit. Secundum pietatem, qvae fundamentum eſt omnium virtutum, Deumqve placatum efficit, duce prudentia uſus eſt, et primo omnium potentiae modum ſtatuendum, divi patris exemplo, putavit, non alieni appetens, et ſuis finibus contentus. Conſtitutis domi rebus, deletisqve ſuperioris belli civilis iniuriis, et ſopitis offenſionibus, ne vicini opprimerentur, providit ſapienter, et cavit, ſociorumqve iniurias haud neglexit, ut appareret, nolle ſeiunctam ſibi ab amicis eſſe fortunam. Qvocirca Foed. Belgas, repentina hoſtium irruptione perculſos, erexit: langventes Hiſpanos excitavit: Britannis conſilio minime defuit; neqve Auriacum, gentis liberatorem, retardavit, aut prohibuit: Italos fluctuantes e periculo ſervitutis eripuit;

puit, et auctoritate ſumma confirmavit, ut ſciat poſteritas, nullam ab eo praetermiſſam eſſe occaſionem diſtinendi, impediendiqve hoſtis, qvi concitaret barbaros, peſtem, perniciemqve Auſtriae molituros. Callide ſatis comparavit hanc machinam ad evertendas Imperatoris opes, incidendosqve potentiae nervos: qvod certe futurum erat, ſi bellicoſos Vngaros a fide, et obſeqvio Auſtriae disiunxiſſet. Sed aliter evenit, atqve cogitavit hoſtis, et praeter Vngariam qvoqve Dacia, qvam Tranſylvani incolunt, ad Imperium, ditionemqve priſtinam rediit, viresqve luculenta acceſſione auxit, atqve inſigniter corroboravit, adeo ut unum ſervandae Vngariae praeſidium in Tranſylvania reliqvum mihi eſſe videatur. Italiam, Inſubricam illam, et Germaniae, Rhaetiaeqve proximam, legibus aeqve, ac legionibus in officio retinet, proſpiciente futuros caſus Roma, et Auguſtae auctoritatis vindices reſpiciente. Vicit enim Caeſar, et una tempeſtate duas res maximas confecit. In Vngaria collatis ſignis ſubmovit barbaros, eorumqve impetus cunctatione interdum, et idoneo receptu fregit, ut in magna annonae difficultate, et eluvionis metu non haberent, ubi adverſis caſtris conſiſterent; ſed, velut victi, diffugerent, ambitionisqve poenas darent. In Germania tentatus, ſuperatusqve eſt Rheni aditus, edito late, usqve ad hoſtium fines, terrore, deletis belli horreis, et corrupta paſſim annona, ut pro ubertate agrorum mera iam vaſtitas conſpiciatur. Ita carus DEO Leopoldus eſt, ut cum

Vv 5 DEI,

DEI, et libertatis hoſtibus continenter bellum gerat, et infelici temporum conditione ad procurandam patriae ſalutem utatur, victoriasqve ſine praeliis reportet. Qvod genus vincendi utiliſſimum eſt, qvia non eſt cruentum, ſangviniqve parcit, et prudentia ſervandi militis continetur. Hoſtium ea temeritas eſt copias obiicere caſibus, et militum robora conſumere in obſidionibus urbium: qvod eiusmodi eſt, ut ſaevitiam, crudelitatemqve imitari videatur. Melior Auguſto, mitiorqve animus contigit, qvippe qvi hanc conſtantiae legem ſibi indixit, ut lento bello fatiget hoſtem, et frangat, viribusqve exhauſtum eo redigat, ubi ad reſiſtendum nihil reliqvi fortuna ei faciat. Alia enim ineundae iuſtae pacis ratio excogitari non poteſt; aliud conciliandae ſocietatis inter bello diſſidentes remedium non ſuppetit, qvam, ut captae arces, et urbes, ereptaeqve provinciae iis, ad qvas veteri iure pertinent, reſtituantur. In hoc cardo pacis vertitur, in hoc ſalus omnium poſita eſt, ut diſtracti principum animi per aeqvas ſatisfaciendi conditiones coniungantur iterum, arctiſſimeqve conſtringantur. Hoc ſperat Europa melior, votisqve poſcit Germania: qvod ut conſeqvatur pietatis munus expleat, Deoqve, pacis effectori, res, fortunas, arma committat, et ab ope, auxilioqve eius pendeat, et vero, nec ſimulato honore, cultuqve arbitrum felicitatis proſeqvatur.

DLXXV.

DLXXV.
EIDEM.

VIx dolorem lenire potui, cum audivi, principem, ſplendidamqve urbem ingenti clade, ac damno affectam, et igne, incenſisqve pilis verberatam: Belgium, qva ad Hiſpanos pertinet, metu perculſum: finitimas regiones repentino caſu perturbatas, qvibus crudelitatis imago ante oculos verſabatur. Sed novus recepti Namurci nuncius me refecit magnopere, et erexit, ut aeqviore animo calamitatem nobiliſſimae urbis ferrem, qvae inter tot minas priſtinam conditionem, et opes Belgii ſumma in principem fide, obſervantiaqve, defendit, erepta iam e periculo, et metu repetendae impreſſionis liberata. Qvod DEI beneficium grata commemoratione praedicandum eſt, et carum DEO nomen, qvod fructum tanti laboris ſibi vindicat, non magis ſermone celebrandum, qvam in animo exſculpendum videtur. Coeleſti auſpicio Gvilelmus verſatur iu caſtris, et ſigna praecedit: in ſuſcipiendo conſilium, in conficiendo fortitudinem probat. Omnibus magnis rebus praeſto eſt pariter, ac proſpicit; idqve ad ſuam dignitatem, et ad ſummam belli pertinere iudicat, non ſolum intereſſe difficilimis, et ſalutem, libertatemqve Europae complectentibus negotiis; verum etiam praeeſſe, et ſuſtinere tanti gravitatem oneris, apteqve moderari: illa etiam, qvae veniunt ſubinde, et incidunt, vertere in perniciem hoſtium,

um, ac praecipere animo, et providere pericula, qvae non cogitantibus imminent plerumqve, ac impendent. Magnus hic Imperator ſit, neceſſe eſt, qvi perinde, ac temporum ratio poſtulat, conſilia capiat et exeqvatur, cunctaqve ordinet, ac ipſos adeo gubernatores imitetur, qvi navem, coorta tempeſtate, regunt prudenter, curſumqve tenent, et vento adverſo obliqve flectunt, ac nunqvam ſubmergi patiuntur. Qva ſolertia periculum evaſit Gvilelmus, et virtutis bellicae gloriam non deminuit; ſed auxit, fructumqve maturi conſilii attulit foederatis, qvi, dubio obſidionis eventu ſuſpenſi, urbis tam egregiae, tamqve amplae, ex qva magna pars Belgii dependet, recuperationem expectabant. Succeſſit res ex ſententia, et in una urbe magni tractus, variae, et inſignes clientelae, plurimi pagi recepti; praefecturae divites; nemora, et ſilvae, qvae cenſum augent; fodinae, et ſecturae marmoris, qvibus ditatur aerarium; ſacerdotia, et fana, cum Abbatum dignitate condita; Antiſtitis per Philippum II. inſtituta ſedes, recuperata feliciter, Principi ſuo reddita, imperium Moſae deniqve priſtino domino vindicatum. Res ipſa fateri cogit, Regem ſuperiori laudi novum decus addidiſſe, nataliumqve dignitatem, in qva haud exiguam felicitatis partem habet, admirabili fortitudine ſuperaſſe. Non tamen praetereundi, nedum fraudandi gloriae fructu ſunt Boius, et Brandenburgicus, qvorum alter manu, alter auxilio obſidentes adiuvit. Magnus utiqve campus gloriae patefactus eſt, dum conſilia ſaluti publi-

publicae accommodanda eſſent, ut tot afflicti, vexatiqve populi, tandem ab iniuriis vindicati, in priſtina conditione, et qviete conſtituerentur. Ambo, regi tantum ſecundi Principes, gaudio, et gratulatione proſeqvendi ſunt, qvos a ſocietate Gvilelmi nullum periculum deterruit, nullus Ludovici magni metus retardavit. Vix habet, ubi conſiſtat hoſtis, aut conqvieſcat: Germani, Angli, Belgae, Hiſpani, meliorum partium Itali, terra mariqve aeqvali virtute pugnant, Gallicae ambitionis vindices, et optimae cauſae adiutores. Bruxellarum cladem, verberationemqve ulti ſunt, Gvilelmi auſpicio, Britanni, Maſſiliamqve, igni in tecta coniecto, vaſtarunt; naves incenderunt, aut eripuerunt, commerciaqve toto mari eripuerunt. Haud minorem in freto maris occidui calamitatem, damnumqve, Caleto qvaſſato, intulerunt, et ſummis viribus, nec ſine metu, et admiratione hoſtium, res maximas labore, induſtria, conſtantia perfecerunt. Nulla tam iniqva, aut ingrata poſteritas ſit, qvae de his rebus conticeſcat. Qvod reſtat, DEVM precor, ut ad ſummam laetitiam brevi accedat cumulus, et victoria e Belgio, et Vngaria, qvae reliqvas hoſtium vires diſſipet, nunċietur, Saxoqve victor redeat, et Ludovicus noſter, propoſito firmus, et fide conſtans, ad Rhenum his Gvilelmi rebus, qvaſi gloriae facibus, ad imitandum inflammatus res ſuas nihilo peius agat, ut tandem aliqvando iuſtae pacis conditiones Imperatori, et foederatis offerantur.

DLXXVI.

DLXXVI.
EIDEM.

PRima omnium rerum initia perobſcura, et incertae origines ſunt, qvas perqvirere iucundum, et expedire arduum, et definire audaciae plenum videtur. Nec tamen non ſuſtinere debeo expectationem tuam, qvi de rebus, poſt eluvionem Noachicam geſtis, meam ſententiam perqviris in praeſens, et reputas adeo, ac reſpicis ultima tempora inſtauratarum e ruinis gentium, et ſtructa Babylonis turri diſſipatarum, praeſertim earum, qvae, a Iapheto propagatae, in Europam migrarunt, et, ductis late coloniis, in Germania conſederunt, qvarum conditores pleriqve vetuſtate temporum obruti iacent in tenebris, et ignorantur. Tuiſco autem, pater noſtrae gentis, antiqviſſimis maiorum carminibus celebratur: cuius filius Mannus, nepotesqve, Ingaevon, Herminon, et Iſtaevon, fama noti magis, qvam idoneis monimentis. Nam de his nihil, praeter nomina, tradunt veteres, nec Tacitus plus compertum habuit, niſi qvod his addidit Herculem, non tranſmarinum illum, aut Thebanum; ſed Alemannum, et inter Reges Germaniae indigenas clarum. Fidem hiſtoriae praeſtare non auſim, neqve Beroſo aſſentiar, qvem non veritatis ſtudium; ſed mentiendi licentia nobilitavit. Libere dicam, et corruptoris fraudes in lucem proferam: nec enim id turpe eſt, et laudem veri habet. Decepit Aventinum, Melanchthonem, Sleidanum Beroſus, ab Annio Viterbienſi petulantiore

tiore ingenio confectus, qvi, fallendae poſteritatis ſtudio, notam famae ſuae inuſſit. Qvem Tacitus Tuiſtonem, ille Tuiſconem, male expreſſo nomine, appellavit. Hic Mannum, Ingaevonem, Herminonem, et Iſtaevonem, horumqve ſucceſſores: Marſum, Gambirium, Svevum, Vandalum, Alemannum, longa ſerie enarravit, fabulasqve fabulis miſcuit, et indigne cumulavit, ut mirari in mentem veniat, qvamobrem Reineſius, Graece doctiſſimus, Latinum, ſuſpectumqve iſtum Beroſum minime ſpernendum putet, qvi, qvantus qvanteſt, in nugarum, et ineptiarum ſordibus iacet. Habes, qvid ſentiam, et erroris cauſam non ignoras, et, qvae in hiſtoria uſui eſſe poſſunt, diligenter tibi comparas, ac tempeſtive praemeditaris.

DLXXVII.

AMICO ΦΙΛΕΛΛΗΝΙ.

NOn moleſte fero conatum tuum, et concedo petitioni tuae, aeqvitate ſubnixae, non invito nec repugnante Patrum Senatu, qvi reſpondendi provinciam mihi demandavit. Hoc fides muneris, et mutua inter nos benevolentia reqvirit; ut nec de voluntate mea ſubdubites, nec timeas, conturbari rationes tuas. Qvid Nepenthes ſit, qvidqve in rebus humanis poſſit, multi tam confidenter pronunciant, ut aſpexiſſe plantam, et deguſtaſſe videantur. Si Pauli Iovii auctoritas ad perſvadendum valet, eam in Thraciae hortis inveniamus: qvin et Selimo in cibo appoſitam lega-

mus,

mus, qvi eam comediſſe dicitur, ut rerum ſane moleſtarum memoriam ex animo deleret. Inter medicos non convenit: nec meae partes ſunt de rebus, ad me non pertinentibus, exiſtimare. Homero autem ratio interpretandi vix melior congruit, quam ut de medicina animi, et diſciplina recti moris, atqve adeo de philoſophia vitiorum expultrice intelligatur. Prodeſt vinum, et recreat, et mala, moleſtiasqve oblivione obruit; ſed eam vim non praeſtat animo, qvam nepenthes, qvod affectus in obſeqvium redigit; nec vero muſica hanc dignitatem conſeqvitur, cum nervorum, vocumqve cantus, et modulationes multis moleſtae ſint, et Aegyptiis qvondam tam inviſae, ut eas nullo loco haberent, et, tanqvam noxias, averſarentur. Sed qvis a muſica petat fortunae remedium, et conſolationem? oblectatio ea brevis eſt, er infra animi medicinam, qvam nulla qvidem eloqventia attingit, aut exaeqvat. Hyacinthus poetarum an ea ſit, qvae in noſtratibus hortis ſeritur, non decido; nec mihi ſatisfacit Palmerius, gladioli nomine appellans. Potius ſentio cum illis, qvi conſolidam mediam vocant. Hoc enim Hofmannus et Metgerus me docuerunt. Qvin autem ſertis virginum praebuerit materiam, haud dubito, et ipſius Theocriti teſtimonium declarat. In planta Arcadum qverenda, non eſt, cur operam ſumas. Tantum diſſentio a Salmaſio, Graecae literaturae principe, qvem nimia ſaepe emendandi cupiditas inceſſit. Hic tali indicio ſe prodit, et literas, vocesqve liberius mutat; nec ſolum notio-

notionis vim pervertit; ſed qvoqve ſitus locorum Graeciae non recte deſcribit: qvod in tanto, tamqve erudito viro nemo probet, nedum ei aſſentiatur. Menſuras, cochleare, et acetabulum, multis modis differre, auctores mihi ſunt Galenus, Plinius, Priſcianus, Rhemnius: a qvibus cur Hermolaus diſceſſerit, haud aſſeqvor: te autem commoneo prudens, ut novos Plinii interpretes cum delectu evolvas, Pliniumqve ex Graecis, qvos ſecutus eſt, aeſtimes, et exponas. Livii caſta Latinitas, lacteaqve ubertas, reprehenſionem tuam effugiat, neceſſe eſt, qvae civitate Latii tuetur orationis dignitatem, et repellit Patavinitatis contumeliam, et defendit cauſam ſcriptoris. Malim tamen dicere cum prioribus Livio Qviritibus vertentem annum, qvam circumactum; hodie, qvam, hodieqve: et qvae id genus alia apud Livium leguntur. Oratio Livii tota eſt aeqvalis, et recta; ſed qvaedam ſingularia, eaqve perpauca, et ſtudioſe obſervanda. Senam Livii in Picerio collocandam cenſeo, et in eo aſſentior Sabellico, Senam Gallicam a Ciſalpinis Gallis, et Senonibus, qvi in Italia conſederunt, appellatam. De trecentis Fabiis nemo plenius te erudiat, qvam Dionyſius Halicarnaſſeus, ex qvo lucem afferas non poetis modo, qvi licentiam iure privilegii ſibi vendicant; ſed etiam Eutropio; Oroſio; immo et ipſimet Gellio, qvorum induſtria non aeqvalis, nec iudicium ſemper idem fuit. Pila Tiburtina Romae fuit, qvae celebratur in regione urbis VII. Columella haec olim trigeminorum fratrum ſpolia ad poſteritatis

memoriam ſervabat, de qva legas, licet, Dionyſium, Sextum Rufum, et Publium Victorem: ex poetis, ſi libet, Martialem. Qvod de portis, earumqve ſignificatione ſubiicere voluiſti, eiusmodi eſt, ut intelligas, clauſtra, anguſtias locorum, et fauces uſu recentioris aevi, qvod de priſca Latinorum maieſtate deflexit, portas, immo et portarias appellari. Credo, id Graecorum imitatione factum, qvi πύλας, Thermopylarum hinc deducto nomine, nuncuparunt. Illi plane in barbariem verſi ſunt, qvi portum pro porta extulerunt, ut nomina, huius appellationis documenta, pleraqve in Hiſpaniae, Galliaeqve finibus etiamnum ſuperſunt. De numis qvid ſentiam, tempore excluſus, in aliud tempus differo, et, pace tua in privatum, qvem exopto, congreſſum, reſervo, ut, defixis in ſigno, numis inciſo, oculis, ad acriores curas, cogitationesqve animos excitemus, et, qvid ſentiendum ſit, collatis utrinqve rationibus ſtatuamus.

DLXXIIX.

M. PETRO ALINO.

QVod hominis proprium, et a natura ingeneratum ſciendi deſiderium eſt, id minime a rationibus tuis alienum putas, et potiſſimum qvoqve ingenuos decet, qvi nulla re magis, qvam cupiditate laudis excitantur. Sed veritas, ſeipſa contenta, plauſum vulgi non captat, et credulitate hominum non delectamenta, et ludos qvaerit, verasqve animi opes, nulla temporum iniuria corruptas,

ruptas, praebet nobis, et ſervat. Oculos autem, animosqve attollamus, neceſſe eſt: qvod facile confectu eſſe intelliges, ſi ex tenebris in lucem prodeas, caliginemqve fabularum, velut exorto hiſtoriae ſole, diſſipes, nativamqve corporis venuſtatem ab aſcito fuco, et formae mendacio diſtingvas. Illud autem non libenter, ſed moleſte audio, qvod aggreſſo ad optimam ſtudii partem arduus, difficilisqve labor viſus eſt, explicare negotium, qvod multos etiam hiſtoriae peritos impedivit huc usqve, et fatigavit. Pudeat vero civem Romanum, aut civitatis Romanae legibus ſubiectum, ignorare eius gentis origines, a qvibus literas, et leges accepimus, qvibus divina, humanaqve omnia debere nos fatemur. Roma, cuius hodie rudera, et, amiſſa nave, qvaedam tabulae ſuperſunt, in Latio vetere, qvod extra Italiam fuit, condita a Romulo, aut inſtaurata potius, et culta paulatim, non regionis ſuae tantum caput; ſed domicilium orbis terrarum, et arx omnium gentium delecta divinitus, et facta, nullis ſane externis, ſed ſuis ipſa viribus ſe confecit, urbs urbium profecto, et ex omnibus ferme urbibus, qvibus captis omnia earum ornamenta abſtulit, conflata. Romulus in Palatio ſedem habuit; ſed illa caſu eius in Capitolium translata eſt, ubi religione voti ſe exolvit, Ioviqve Feretrio templum ſtruxit, et dedicavit. Regionem urbis lituo deſcripſit, lituus autem qvin auguratus ſignum fuerit, Cicero dubitare prohibet: idqve, Reges fuiſſe augures, et augurato feciſſe, confirmat. Aqva Martia pura

magis, et limpida qvam ſalubris eſt, qvippe qvam Plinius omnibus aqvis praetulit: cui ſuffragantur idonei, et oculati iudices, Frontinus, et inter amoeniores urbis vates Tibullus, qvin ipſe Galenus, qvi Pergamo Romam venit, non foetidam, non turbidam, neqve aſperam, et crudam eſſe, haud inficiari potuit, qvem, ne a ſe ipſo diſſentiat, nullo negotio in concordiam ſecum, et cum aliis redigamus. Hieronymo Mercuriali nihil detractum volo, ſed hunc cum cura refert, ut legas, lapſumqve viro egregio condones. Id enim pro humanitate tua qvaeſo te, rogoqve. Aqvam illam ducere inſtituit Rex, Ancus Marcius: perfecit demum A. Martius, et ab ultimis usqve Pelignorum montibus derivavit: qvod ſtupendum opus fuiſſe, memoratur. Nunc in veſtigiis, ruderibusqve, non procul urbis porta maiore, licet, conſpiciamus. Formam urbis primam non fuiſſe rotundam, ſitus montis, in qvo extructa eſt, docet: qvadratam initio, et parvam, rudemqve, et incultam multa commonſtrant, qvae afferre longum ſit, et, ſi patientia tua abutar, erubeſcendum. De porta ſuburbana non recuſo has partes, nec repudio tuas preces. In ea ſpecus, et ſaxa cavata, aut excisa vidi; ſed, domos ibi, et ordinarias ſedes, perfugiaqve Chriſtianorum fuiſſe, ut crederet, adduci non potuit Borrichius: qvin, lapidicinas ibi extitiſſe, multis, et veri ſpeciem habentibus argumentis confirmare audet. Illud certe exiſtimo, cuniculos illos ſubtus terram ab impiis Chriſtianae religionis hoſtibus maiorem partem effoſ-

effoſſos, et arenam inde depromptam, qvae, calce mixta, aedificationi, et ſtructurae aedium ſerviret. Hinc immenſa prope moles egeſta, et colles exhauſti videntur. Specum Caci poetis relinqvo: qvanqvam hi contra fabulae ingenium ſubinde, et vulgo exponunt. Bacchi templum Romae celebre extitit, et monimentis commendatum eſt; ſed Bacchi ſepulchrum in Agnetis fano propius inſpexi, fucumqve ſubodoratus ſum, et, ſtomachante antiqvariorum vulgo, ſepulchrum Conſtantiae Auguſtae fuiſſe, non fallaci coniectura, et collatis ex Marcellino argumentis animadverti. Conſtantini M. *baptiſterium* in Bithynia; non Romae in veteri Latio qvaerendum, te admoneat Euſebius, cum qvo omnes Graeci conſentiunt, vulgaremqve ſententiam refellunt. Tumulos, ſangvine madentes, oſtendit mihi qvidam, et per Iovem iurare voluit tinctam eſſe cruore *martyrum* illam terram. Conticui, velut aſpectu rei novae, et miraculi plenae; ſed mox arenae rubentis indicio fraudem intellexi, tunc nihil muſſare, aut contra hiſcere auſus. Haud verius eſt, qvod de arca foederis iactant, et theſauro immane qvantum gloriantur. Vexit eam Pompeius Romam, et in Palatio aſſervandam curavit; ſed eripuit, et in Africam reportavit Genſericus. Qvod urbis fatum nobis ante oculos verſatur, et moles ſuperbas, et temporum vetuſtate collapſas oſtendit, et rerum humanarum viciſſitudinem aliunde confirmat, ac facile admonet, nullam rebus illis habendam eſſe fidem, in qvibus fortuna vim habet, et caſus dominatur.

 DLXXIX.

DLXXIX.

G. V.

QVae initia, et qvi caſus magnarum urbium fuerint, ſaepe mecum reputo, et qvonam fato haec tanta rerum viciſſitudo extiterit, vix intelligentia comprehendo. Illud etiam non raro miror, qvod primae earum origines parum explicatae ſint, atqve in caligine qvaſi, ac tenebris iaceant, et vulgo etiam ab eruditis, et, qvod ſtomachum facile tibi movere poſſit, ab eruditae antiqvitatis explanatoribus ignorentur. Argos qvidem, et Mycenas Homerus diſtinxit, qvamvis Mycenaei Reges iidem, qvi Argivi dicantur, ab eo praeſertim tempore, qvo Agamemnon, Atrei filius, regni ſedem iu urbe Mycenarum conſtituit feliciter, et collocavit. Sed omitto Graeciam, et in Latium cogito, ut, qvae ibi Troum urbs, qvaeve prima ex ruinis Troiae deducta fuerit colonia, exqviram. Dabo id petitioni tuae, et in primis dabo honori Auguſtae ſtirpis, cuius conditor, et parens Aeneas, Anchiſae filius, et Latini Regis gener, itemqve Laviniae maritus omnium monimentis celebratur. Hic, patria, fortunisqve omnibus everſus, mari enavigato in agrum Laurentem expoſitus, res ſuas prudenter comparavit, et, poſthabito Rutulorum principe, contracta cum Latino neceſſitudine, urbem, recens extructam, ab Lavinia coniuge Lavinium appellavit. Teſtes locupletiſſimi ſunt: Varro, Dionyſius Halicarnaſ-

naſſeus, Strabo, et auctor *Fragmenti* veteris, qvod de origine generis Romani inſcribitur: a qvibus diſſentiunt alii, et hiſtoriae rationes conturbant; nec ſibi conſtant ſatis, neqve rectam aliis viam commonſtrant. Virgilius qvadam temporis anticipatione ſcripſit *Lavinia littora*, qvoniam ante Aeneae adventum nulla urbs huius nominis in Latio condita, nulla unqvam ſic vocari coepta, qvae poſtea Latinorum aliqvandiu regia fuit. Non ſibi conſtat Cedrenus, qvi Albaniam ab Aenea cognominatam affirmat. Aliam vero, et Lavinio antiqviorem urbem *Aeneam* Aeneas extra Latium condidit, qvippe qvod in utroqve mari, Aegeo, et Tyrrheno, erravit diu, et iactatus eſt, ac, priusqvam Latium attigit, in Macedoniam appulſus, urbem ab nomine ſuo dictam exaedificavit, ſtato ſacrificio, et ſolenni ritu apud veteres claram. Qvod vel Livii teſtimonio confirmare expeditum eſt, cuius liber XL. C. IV. tacite te in hanc ſententiam inclinabit, atqve adducet. Qvin et in Latio Troiam, puta novam, Lavinio priorem, extruxit, qvod Strabonis, aut potius Scriptorum, qvos commemoravit, auctoritate muniamus. Confecto hoc antiqvitatis negotio alius reſtat ſcrupulus, ex animo tuo evellendus, qvem eruditorum princeps, Ioſephus Scaliger, evellere non potuit, qvippe qvi Lavinium, et Lanuvium unam, eandemqve urbem fuiſſe, docet. Neqve eo rem felicius expedit Taubmannus noſter, dubitanti ſimilis, et ſuopte iudicio nihil definire auſus. Hinc pleriqve interpretes ſibi non temperant, qvin nomina

mina haec commutent, qvaſi hac audacia ſibi gloriam qvaerant. At veteres libri, et menſurae locorum, rationesqve temporum nos admonent, ut prorſus, atqve omnino diſtingvamus. Locus orationis Milonianae Lanuvium expoſcit, non Lavinium. Id evincitur tum argumento ſitus iuxta viam Appiam, tum in primis indicio fani Iunonis Soſpitae, qvae ibi qvondam feſta Lavinii colebatur. Praeterea Lanuvium ad duo ſtagna iacet, et mari propius eſt; Lavinium luco antro nobile, et remotius a mari: alterum ab Aenea, alterum a Diomede conditum: illud magis, hoc minus ab urbe diſtabat. Tantum vero abeſt, ut Lavinium urbs maritima conſtituatur, ut tribus milliaribus noſtris a mari diſtingvatur. Neqve tamen Maro affinis eſt culpae, qvod *Lavinia littora* numeris, modisqve venuſte expreſſit. Nam id poetae licebat, qvod hiſtorico licitum, integrumqve non fuiſſet. Accedit, qvod *littora Lavinia* commode capienda, et exprimenda ſint de agro, et tractu potius Lavinatium, qvam de oppido, ad qvod mare non pertingit. Cluverius etſi utrumqve oppidum diſcernit: hiſtoriam tamen omnem commentis, et mendaciis Virgilii inqvinatam iudicat, et negotium hic faceſſit, atqve audaci conſilio interdum committit qvi non pugnant: aliqvando conciliat, qvi revera diſſident, ſcriptores. Servius, aut qvisqvis nomine eius lacinias et centones attexuit, multis errati auctor fuit. Rectius diſtinxit Aſconius, et rationem, cauſamqve idoneam diſtingvendi habuit, maxime indicio loci, qvod multum

tum

tum apud me valet. Tu vero, qvi abundas otio, et doctrinae ſubſidiis, fac, incumbas diligenter in hoc ſtudium, et, me admonitore, inter tot ſententiarum divortia caute incedas, animumqve fluctuantem e periculo erroris eripias, et rationibus argumentisqve inſtruas, et opportune confirmes. Ego fidem dabo amoris, ſemperqve cogitabo, qvemadmodum data occaſione in qvovis officiorum genere ſatisfacere tibi expedite, et cumulate poſſim.

DLXXX.

M. IO. GODOFR. BAVERO.

NVllum, ne belli qvidem munus, ſibi conſtare ſine doctrina poteſt; et eloqventiae ſtudium ſine literis inſvave, ac iniucundum eſt, lucemqve fugit, et in tenebris qvaſi, ſordibusqve iacet. Idcirco Graecorum Principes literati erant, et decus, praeſidiumqve a literis petebant, et, in poetarum qvoqve monimentis reconditam ineſſe eruditionem, per ſe ipſi intelligebant. Vlyſſi, et Achilli ſemper Palladem adiunxit ſacerdos poetarum, Homerus, ut hoc foedere armorum. et literarum oſtenderet, pacis, et belli ſtudia, minime ſeiungi oportere, et poetas etiam pro Magiſtris virtutum, et liberalium doctrinarum haud immerito haberi. Inter alios Horatius poeta ſapientiſſimus eſt, atqve eruditae antiqvitatis ſuccum, et colorem ſervat in carminibus, qvae cantu delectant. Pindaro, et Anacreonte haud eſt inferior, atqve in eo

poemate, qvo mores ſeculi inſectatur, Ennio, ac Lucilio argutior, Iuvenali moderatior, Perſio dilucidior, revera in utroqve genere Princeps, et praeter cetera doctrinae ornamenta rerum qvoqve naturalium inſigniter peritus. Qvo magis perſpectam habuit naturae vim, et acrius inveſtigavit cicutae vires, qvas in expurgando valere plurimum, et prodeſſe affirmavit. Recte, an ſecus, qvaeris a me, et dubitas, iniecto per Dionyſium Lambinum ſcrupulo, qvem eximi deſideras; et ratione, an errore ductus ſit, diligenter exqviris. Dionyſium Lambinum, crede, probatio deficit, et coniectura fallit, vocabulum cicutae audacter nimis exponentem. Perinde ac ſi commodius, et ad purgandi ſignificatum aptius, accommodatiusqve nomen qvaerendum eſſet. Igitur ingenio confiſus veteres terminos movet, ac cicutam poſſeſſione deturbat, ſpreta interdicti formula, qvae iuſtam poſſidentis cauſam defendit. At nihil eſt, qvod metuas, nec ſeveritatem dictatoriam pertimeſcas, cum aeqviſſimo praetoris iudicio tota haec diſqviſitio nitatur. Atqvi is vetat eiici cicutam, aut, ſi eiecta eſt, reſtitui iubet, qvae ſibi ipſi praeſidium comparat, et ſuis adeo viribus ſe tuetur. Sycia omnis eſt Latio ignota, et legibus, numerisqve Latini carminis, neqvicqvam reſpondet, et ſignificatio aliena eſt, qvae ad expurgandi vim non ſpectat. Nam cucurbitulae, qvas Graeci σικύας nominant, non purgant ſangvinem; ſed extrahunt, atqve educunt: evocant, et exhauriunt, non expurgando ſe produnt, ſi propriam,

am, et medicam loqvendi conſvetudinem ſervamus. Illud Celſus, et Plinius doceant, exemplisqve confirment, qvorum oratio perſpicua: illius maxime pura eſt, neqve ulla verborum inſolentia aures Latinas offendit. Alvum ducere, ac deiicere id demum purgare eſt, id tritum medicis, et paſſim uſitatum, qvi ventrem molliunt, et purgando inveniunt viam. Ipſa enim haec purgatio in ſalutari arte deiectio, et alvi ductio appellatur. Vena, ſcalpello inciſa, mittitur ſangvis, et funditur; ſed cucurbitulis extrahitur: non cucurbitis, qvam vocem hoc ſignificatu vetus medicina haud approbavit, vulgus vero eruditorum admiſit. De Martio, et Biſciola miror, ſecus iudicaſſe, et novos, nec idoneos auctores ſeqvi voluiſſe. Omitto medicos, qvorum ceteroqvin auctoritas hic praecipue valet, et qvem veteres, et vere eruditi poetae coluerunt: neqve inanem, et vitio corruptum; ſed lautum prorſus, et fructuoſum doctae poſteritati reliqverunt. Qvaedam, fateor, ſubtraxit iniuria temporum, qvibus tanto aeqvius careamus, qvanto plures reliqviae ſuperſunt, qvae tot opum, copiarumqve iacturam ſarciunt. Fragmenta dico, apud explanatorem Ariſtophanis, ea Athaenum, ac utrisqve recentiorem Svidam, apud qvos media ſyllaba moram brevem habet: qvam cur produceret Horatius, nulla ei cauſa fuit, qvi omnia ad Graecam elegantiam effinxit, Latinusqve Pindarus, et Pindaricus cygnus a Tertulliano, et Sidonio Apollinari eſt cognominatus. Porphyrio cicutam legit, eaqve inductus ratione helleborum exponit, ſi tamen coniecturae locus eſt.

Ad

Ad purgandi vim, qvae in helleboro ineſt, reſpexit: qvaſi diceret, huius ope ſatis curari. Inſaniam, morbumqve animi penitus ſanari, et furorem ipſum expurgari, medicinam intelligi efficaciſſimam, fere omnes putant, et Porphyrioni aſſenſum praebent Ioannes Bondus, et alii e vulgo, perinde ac ſi cicuta vim non maximam haberet. DEVM immortalem! annon Plinius cicutam inter res, atqve herbas purgantes numeravit? annon Dioſcorides, Plinio antiqvior, cicutae, ſigillatim aridae, vires ad medendum praeſentiſſimas vindicavit? annon cicutam Creticam, Megarenſem, et Atticam, Chiamqve, et Ciliciam, efficaciſſimas dixit? Commodum me Felurius, Gallorum medicus, admonet, ſturnos cicuta, velut proprio cibo, paſci, ut vix inter venena habeatur. Refrigerat fateor, cicuta, eaqve vi, niſi remedium affertur, extingvit: ſed, ubi modice ſumas, et moderate utaris, haud nocet: et caulis eius, maxime viridis, comeditur, auctore Plinio, et in patinis apponitur; nec prorſus reiicitur, et noxae damnatur. Qvod ſi vero hoc eiusmodi ſit, ut expectationi tuae non reſpondeat cicutam non de helleboro; ſed de canna, calamo, fiſtula, aut ſiphone commodius interpretabor, cum, veteres medicos clyſterum fiſtulas adhibuiſſe, ſciam, qvibus eam ad rem confectis corpora levarent, eaqve praeparatione, et purgatione morbos averterent, aut expugnarent. Non repetam a Lucretio, neqve a Virgilio mutuabor qvicqvam, contentus deſignaſſe auctores, qvi cicutam pro fiſtula uſurparint. Tempero mihi, qvo

qvo minus veteres vocabulorum commentarios ad confirmandum afferam, cum alibi de hac controverſia mihi conſtituendum ſit, qvando occaſio ſe dabit. Nunc ad gratulationem me converto, hoc praeſertim tempore, qvo hortorum cultus, et amoenitas ſpem novam faciunt, et agri fructus promittunt, prataqve herbis, et gramine conveſtiuntur, ut natura ipſa in novum habitum ſe induere qvodammodo videatur. Idem de lauru tua ſpero, eam ſemper viridem, integramqve futuram; qvam nullus imber, nullaqve tempeſtas deiiciat: nullum fulmen terreat, aut turbet: nulla vis invidiae laedat: nulla deniqve temporum iniuria deterat unqvam, aut labefactet. Vitembergae Saxonum, Kal. Apr. cIɔ Iɔc XC.

DLXXXI.

IO. IEREMIAE KNORRIO.

Est offenſio qvaedam diuturni ſilentii, et ingrata officiorum oblivio, qvarum altera humanitati cedit, et ab aeqviori iudicio vincitur, cum rationes ad excuſandum in promptu ſunt, et pondere qvodam ſuo valent; altera a me tantum abeſt, qvantum intelligo, amicorum honori eſſe ſerviendum. Igitur a principio huius epiſtolae volo, cupioqve ut ſub auſpiciis maximi, et regibus proximi principis felicem rerum, conſiliorumqve tuorum exitum expedias, et in eo gradu, qvem doctrina, et virtus poſtulant, annitente, et adiuvante purpuratorum ſummo Danckelmanno, nemine impedien-

diente, qvamprimum colloceris. Cuius voluntati morem geras neceſſe eſt, qvi amat doctos, et ſeligit, exemploqve ſuo admonet alios, ut eandem adminiſtrandae provinciae in aula maxime rationem ingrediantur. Mirum dictu, et dignum memoratu eſt, qvod princeps aulae, et conſilii ſanctioris, nullam ſtudii humanioris partem infra ſe ducit, et, Maecenatis inſtar, poetas admittit, literasqve has, qvas in Archia Tullius miratur, et praedicat, tuendas ſuſcipit, et libenter fovet, atqve auctoritate ſua defendit. Gratulor merito, et laetor magnopere, illuſtrem hunc tibi contigiſſe melioris fortunae auctorem, et ducem, qvi cum aulam conſiliis muniat, tum laboribus tuis multo honeſtiſſimis praemium non denegabit. Carmen lugubre, qvo ultimum Sereniſſimo principi Marchioni, Carolo Philippo, apud Allobroges defuncto, officium teſtatus es, laeto pariter, ac triſti animo perlegi. Laeto, qvod principis memoriam celebraſti, et haud minori pietate, qvam facultate ingenii hoc eius fortitudini tribuendum putaſti, ac numeris omnino tuis aſſecutus es non infelicis poetae laudem: triſti, qvod Princeps ereptus eſt, qvi genti Brandenburgicae novum Achillem, communi patriae Scipionem, qvi Punicam Galliae perfidiam ulciſceretur, in primo illo conatu, tirocinioqve promittebat. Volumen illud, qvo nihil gratius accidere potuit, verum decus invicti herois, et Germaniae Herculis continet, cui parem non tulit hoc ſeculum, patria nunqvam ſatis debitura eſt, laetabiturqve monimento, in qvod poſte-

poſteritas intueatur, ſempiterno. Nec tua pietas ſupervacua eſt, qva explicas ingenii vires, et facultatem artis ſubinde periclitaris, tempusqve in cura ſcribendi, et numeris collocas, ſenſusqve graves condis, et temperas, ac plebeium, vile, et ſordidum iſtud humi repentium verſificatorum, et extundentium potius, qvam limantium aliqvid, et digne pangentium, genus, qvanta fieri poſſit, contentione induſtriae vitandum cenſes', certe ſummo, ſanctiſſimoqve conatu religionem animi, et obſeqvium demonſtras. Neqve enim tempus, qvod nogotiis gravioribus ſubtrahis, melius a te collocari unqvam poteſt. Vale, et tardius, ſed liberius reſcribentem in tuis numera, et crede, prorſusqve confide, tuae dignitatis fore ſtudioſum. Eid. Ian. cIↃ IↃc XCVI.

DLXXXII.
N. MARTINI,
Consil. Sax.

FEci imperata, et filio, qvem virtus mecum coniungit, itineris ſocio uſus ſum, et tanto qvidem libentius, qvanto eum moribus elegantiorem perſpexi. Cautus ubiqve, et circumſpectus eſt, doctisqve hominum, qvos ſalutamus, ſermonibus ſe reficit qvotidie, et excitat: tum bibliothecas publicas, privatasqve inſpicit, in iisqve doctrinae, et antiqvitatis ſubſidia, ac iureconſultorum, qvi Italiam illuſtrarunt, imagines contemplatur. Viſit praeterea moles, et opera urbium, finesqve regio-

gionum gnaviter conſiderat, et, qvo qvaeqve modo acqviſita, vel amiſſa fuerit, mecum recogitat, atqve expendit. Praeſentia ante oculos ſunt: vetera cum praeſentibus contendimus: amiſſa populorum nomina reqvirimus, et nova Italia fruimur; ſed vetus, ea Martia, nos delectat. Nunc ibi iacent literae, unde accepimus: belli artes frigent, qvibus una haec inter omnes orbis nationes eluxit antea, et terribilis evaſit. Pontifex Maximus valetudinarius, et a bello alienus, ratione civili aditum Neapolitanum clauſit, nec partes eligere voluit, qvicqvid etiam agat orator Caeſareus Lichtenſteinius, qvem praeſentem aula Romana demulcet blanditiis, abſentem odit, et, qvoad poteſt, conatibus, conſiliisqve eius obſiſtit. Haec ſcena inſtruitur a purpuratis patribus, a qvibus Pontifex non minus ſibi, qvam a Gallo metuit, qvippe qvi Gallum, in ſummo fortunae faſtigio poſitum, offendi nolunt: idqve rebus ſuis conducere non incauti arbitrantur. Hiſpanorum vires attritae ſunt, et vix Mediolano, regnoqve Neapolitano tuendo ſufficiunt. Caeſar, alibi diſtractus, rerum ſuarum ſatagit: Magnus Etruriae Dux turbata Liburniae commercia dolet, eaqve revocari optat, non bello everti. Dici vero non poteſt, qvantum damni huc uſqve media partibus Etruria acceperit, florentiſſimasqve Florentiae res mutaverit. Qvare, ſi partes eligeret, Gallumqve laceſſeret, deterior ſtatus foret, et terra, mariqve periculum adiret, illo velut e longinqvo, ſi contra fiat, excenſionem minante. Sabau-

baudus certe eo redactus eſt, ut deinceps ex incerto fortunae eventu pendeat, et victoris arbitrium invitus ſeqvatur. Alioqvin taciturna, et temperans; ſed in primis cauta, et profecto callida Italorum natio eſt, et vulgus etiam fallendi peritiam pro virtute habet; dumqve inter officia, et obſeqvia blanditur, et ridet, decipiendi cauſas qvaerit, et ſola utilitate omnes divinas, humanasqve res metitur. Nos nihil temere credimus, et diligenter, ut poſſumus, cavemus, in qvo filius in primis mihi ſolertiam probat, ingentemqve, et providum futuri animum confirmat. Habet hoc paterna indoles, ut ſuſcitetur in filio, et, illuſtribus patefacta indiciis, acrius ſeſe erigat, atqve evehat: evecta demum nullo rerum, temporumqve caſu deprimatur. Id qvod evenire cupio, votisqve meis expeto, ut in proſpero, et aeqvabili fortunae curſu gloriam nominis, ſummamqve familiae dignitatem, non deminutam ſed illibatam ſerves, atqve in filium etiam, in qvo ſpes, curasqve figis, maiori incremento propages, laborisqve pro republica ſuſcepti, fructum capias, et ingraveſcenti inſuper aetate robur, vigoremqve animi nova ſemper acceſſione augeas, et, hoc demum conſecutus, in domeſtico praeſidio, id eſt, in filio, paternae virtutis, felicitatisqve herede non degeneri, nec langventi; ſed tui prorſus ſimili, feliciter, et ſummo tranqvillitatis argumento, reqvieſcas. Romae. clↄ Iↄc XCII.

DLXXXIII.

IO. GEORG. GRAEVIO.

CVm ſuperiore anno ex Italia, rebus ex animi ſententia confectis, redii: tum praeter dolorem domeſticum, qvem perfidia famuli mihi attulit, de morte filii tui renunciatum eſt, quem, non magis tibi, quam reipublicae literariae ereptum, doleo, quippe paternae laudis ſocium, et ſummae iuvenem expectationis. Quae iactura quamvis acerba ſit: tamen velim, dolori reſiſtas, et animum omnibus ſapientiae praeſidiis munitum ſerves aeqvabilem, et, quod rationibus Graevianis convenit, invictum. Salva eſt ingenii gloria, quam nemo tibi, neque filio eripiet, propterea quod ſpem ſeculi maturitate ſua antevertit, ut nihil in eo extinctum videatur. Sed vero te Deus cuſtodiat, ut omnia, qvae ſub manu ſunt, perficias, et incolumi familia diu floreas, turbatoqve mortalitatis ordine ornamenta filii ab interitu vindices, victoremqve iniqvae ſortis te probes aevo noſtro, ac praeſtes. Hoc fieri omnium, qvotqvot ingenui et liberales haberi volunt, intereſt, et res ipſa, utilitasqve communis poſcit, et tuae in primis virtutes, atqve ornamenta, in omni laudis genere maxima, merentur. Vale, decus noſtrum. cIↄ Iↄc XCIII.

DLXXXIV

DLXXXIV.
CHRISTIANO GRYPHIO,
GYMNAS. VRATISL. MAGD. RECT. ET P. P.

COnfecto tandem itinere refero me ad literarum ſtudia, a qvibus me ad tempus ſeiunxi, ut erectiore animo iterum me coniungam. At enim rationes meas conturbavit famulus, ſacerdotis filius; ſed neqvam et improbus, neſcio, qva illecebra ad furandum inductus, qvi cimelium, numis refertum, inita cum furibus ſocietate expilavit. Parum abfuit, qvin graſſaretur in libros, niſi opinione citius adveniſſem. Famam adventus celeritate anteverti, librosqve, ad diſtrahendum a fure ſepoſitos, in ipſo temporis articulo reperi, ac protinus vindicavi. Fur, ſceleris ſibi conſcius, diſſipavit fortunas, ac dilapſus eſt, qvem ſi revocari iubeam in vincula ducendum, nihil tamen exprimam diſſoluto homini, et nihil habenti. Mirum eſt, Patres, ad qvos haec cura pertinebat, ſcurram raros numos vendentem, eoqve indicio crimen prodentem, non coemiſſe, praeſertim cum de libidine eius longius progreſſa admonerentur. Tangit me qvidem haec moleſtia, in primisqve damnum; ſed non frangit animum. In furem, ſuis laqveis impeditum, iuſta Nemeſis animadvertet. Sane, qvoad me praeſente, hic vixit, ſpeciem boni, modeſtiqve iuvenis prae ſe tulit; poſtea, qvam itineri me dedi, conſvetudine ſcorti mutatus. Sed mitto hoc, unde detrimentum cepi, et erga

eos, a qvibus beneficio affectus ſum, grati officii partes expromo. Multum enim debeo, ſemperqve debebo illuſtribus Vratislaviae proceribus,qvi me tam prolixe, comiterqve acceperunt, ut, niſi dicam ingenue et praedicem, ingrati crimen admittere videar: qvod tamen refugio, ac firma animi ſententia deteſtor. Contra autem honeſta exempla me movent, et ratio admonet, ut magnis, inclutisqve patronis, ſplendidiſſimo Praeſidi, cuius mandatum ſancte conficiam, generoſiſſimo Conſiliario, et curatori bellico, cui plurimum tribuo, totumqve me permitto, gratias agam, non qvas debeo: neqve enim debendi finis ac modus eſt: ſed qvas poſſum. Floreant ſemper, et firmi, valentesqve ſint illuſtris Haunoldus, et Rampuſchius, Duumviri in ea republica, qvam pietas, et iuſtitia defendunt. Non praetereo generoſiſſimum Kretſchmerum, cuius ſocietate, et erudito colloqvio nihil mihi iucundius accidit, nulla certe maior delectatio afferri potuit, qvam, qvod adeundi ſe, et colloqvendi poteſtatem fecit. Nefas eſſet reticere ſumma *Baronis* Logavii merita, qvae non epiſtolam; ſed volumen deſiderant, et in publica eruditorum luce verſantur. Reviviſcit in eo novae literaturae, et hiſtoriae cadentis ſtator, dignus aevo Maecenas, cui ratio obſervantiae meae ſancte, perpetuoqve conſtabit. De generoſiſſimo Volfburgio nihil addo; ſed, te interprete, reverenter ſaluto, petoqve, ut ille honori meo faveat, me etiam opera, et conſilio iuvet, qvando, ſe effecturum, recepit, ut *genealogia* Mithoſiana, qvae

uſui

uſui meo ſit, deſcribatur. Vale, amicorum ocelle, et V. C. Hanckium, Kupfenderum, Cranzium, amiciſſimos, coniunctiſſimosqve viros, una cum D. Bremero, cui meliorem fortunam precor, multa ſalute imperti. Pro Euchhornio vota facio, ut qvamprimum convaleſcat, et de patria bene mereatur. Nam Lignicio id qvoqve debere volo, et praedicare humanitatem cogor illius iureconſulti, pariter atqve ſacerdotum Vrbis, vitae, et muneris dignitate ſanctorum. Vale iterum, et in poſterum de re literaria, et libris literas expecta.

DLXXXV.

DANIELI NESSELIO,

CONSIL. CAES. ET BIBLIOTH. AVGVSTAE PRAEFECTO.

ADhuc imago tua oculis meis obverſatur: etiam animo infixa eſt, admonetqve officii, qvod me debere fateor, cum ob inſigne beneficium, qvod apud me collocaſti, tum ob ſermonem, congreſſumqve eruditiſſimum, qvo me praeſentem dignatus es, et luculentum adeo humanitatis exemplum ultro mihi praebuiſti. Nam, tibi acceptum refero, qvod Auguſtam bibliothecam, Auguſtiſſimo Imperatore dignam, vidi, codicesqve Graecos, qvibus Italia meliores non habet, inſpexi, membranasqve, antiqvitatis ſuae laudem ſine temporum vitio tuentes, indicio ſcripturae veteris cognovi. In his enim pono ſpem felicitatis meae; nec alias qvaero delicias, qvam in veteribus, nec fallentibus monimentis, qvorum apud vos copia eſt, nec difficilis aditus, qvem mihi patuiſſe merito laetor. Livium poſſideo,

cum MS. Palatino, qvi nunc Romae aſſervatur, collatum, ex qvo multa, ab aliis praetermiſſa, licet emendare. In praeſens aliqvid de regno Auſtraſiae commentari libet, qvod ſimulac lucem viderit, transmittam, et, qvibus poſſum, ſtudiis, officiisqve te proſeqvar; neqve unqvam committam, ut, me, qvoad vires meae ſinent, in referenda gratia negligentem fuiſſe, et ſegnem, conqveri poſſis, et, velut cum ingrato, expoſtulare. Ad poſtremum obſecro DEVM immortalem, ut iuſtiſſimas Imperatoris Auguſtiſſimi expeditiones ad Rhenum, Danubiumqve fortunet, victoriasqve ſemel, et iterum et ſaepius, donec hoſtes arma ponant, largiatur. Hoc ego, hoc Saxonia, hoc Germania, hoc Europa, hoc univerſus terrarum orbis, qva meliorum partium eſt, vovet, et Auguſtiſſimo una mente, et animo certatim pro ſe qvisqve, qvam enixiſſime fieri poteſt, precantur. Vitemb. Saxon. Non. Mai. cIↄ Iↄc XCIII.

DLXXXVI.

ANTONIO MAGLIABECHIO.

QVae mea de te opinio ſit, qvae admiratio virtutis amorem in te meum qvotidie augeat, novisqve benevolentia argumentis indies confirmet, non libri, nedum literae, ſufficiant, ut digne a me commemorari poſſit: cogitatione tamen, et animo complector tot, tantaqve ſuperiora tua beneficia, qvae in me cumulate, et liberaliter contuliſti. Omnino enim tuam praecipue amicitiam in lucro pono, et deſiderium conſpectus tui, qvo frui non

poſſum,

poſſum, permoleſte fero, ac ſermones tuos, ſententiasqve, mira ſvavitate conditas, audire, atqve in pectus ipſum demittere geſtio, ac, qvanti te faciam, non literis, in qvibus bonae indolis imaginem vides; ſed coram, et ore, oculisqve teſtari. At enim, tanto locorum intervallo disiuncti, ſpe nos conſolemur, iacturamqve colloqvii ſapienter feramus, nec temere ſuſpicemur, ſilentio, aut taciturnitate imminutam, vel immutatam eſſe voluntatem, propterea qvod moleſtia, et repentini caſus impediunt ſaepe officia noſtra, ac turbant. Nuncius adverſae tuae valetudinis me vehementer afflixit, et perculit; ſed recuperata gaudium auxit denuo, et ſummopere recreavit, adeo qvidem, ut Aeſculapio, qvi Antonium e morbo eripuit, libandum putem. Qvod verbum non caſu excidit, ſed mira ſvavitate me afficit, ac delectatione qvadam nominis tui, memoriaeqve animum perfundit, nec modicum mihi ſolatium affert. Qvare DEO immortali ſupplico, ſervet nobis Antonium: ſervet decus, ornamentumqve Etruriae; cuius ſalute literarum dignitas continetur, cui adſit benigne, et in graviſſimis caſibus opituletur, qvippe ad reipublicae gloriam nato, in qva et ornanda, et augenda laborem, operam, vigilias conſumit ſuas. Vale, amor noſter, et delicium, Antoni. Teſtis meae in te obſervantiae eſt Pfulius, maiorum imaginibus, animo, virtute clarus, qvem commendo non ſecus, ac me ipſum. Vitemb. Sax. cIↄ Iↄc XC.

DLXXXVII.
AMICO PHILOMVSO.

IVcundum eſt mihi officium, qvod amicorum cauſa ſuſcipio: illud autem maxime doleo, qvod non eam ingenii facultatem conſecutus ſim, ut eorum expectationi ſatisfaciam, qvi de doctrina mea nimis ſaepe liberaliter, et plus, qvam praeſtare poſſum, ſibi pollicentur. Studium artis poeticae non ſperno qvidem, ſed tamen aliis excolendum relinqvo, his maxime, qvibus otium eſt, et ingenium numeris aptum, qvod mihi tribuere haud auſus ſum, praeſertim cum rationes mei inſtituti longe aliud ferant. Hiſtoria, et poeſis res diſiunctae ſunt: altera mihi campum induſtriae aperit; altera animi cauſa interdum me invitat, ac ſeriis fatigatum allicit, qvaſiqve permulcet. Homines autem, ut diverſa ipſorum ingenia ſunt, in alio, atqve alio carminis genere excelluerunt. Qvosdam natura, ut Ciceronem ipſum, deſtituit: qvosdam nimius labor obruit, hebetesqve reddit, id qvod non paucis, et poetis etiam ſeneſcentibus, uſu veniſſe ſcio. Virgilius in heroo carmine palmam tulit: Ovidius, hoc inferior, Elegiaco laudem praeripuit: Horatius utrosqve in Odis vicit; ſed in heroo langventi ſimilis videtur: nec digna tamen ratione aeſtimatur a vulgo, qvod Heinſium demonſtraſſe, te non fugit. Profecto enim non omnia omnibus conveniunt; ſed ſua qvemqve indoles, ſi acceſſerit exercitatio, poetam fingit. Ali-

us

us gravitate ſe diſtinguit; alius facetiis delectatur. Ariſtophanem tamen comoedia magnum fecit, qvia iocoſo ingenio praeditus ſcripſit: Euripidem Tragoedia evexit: Aeſchylo cothurnus haud minorem famam conciliavit. Recentiores ſaepe a legibus ſcribendi carminis, et ab officio ſuo longius diſceſſerunt, adeo non exaeqvandi priſcis, ut verſus eorum legi ſit melius, qvam laudari. At enimvero tibi erudita antiqvitas formam, rationemqve rhythmi Germanici conſtituit, adeo, ut nihil vulgare nobis pangas; ſed patriae Virgilios imitando effingas, reconditosqve ſenſus, dictione non e trivio ſumpta, exprimas, nec minorem inveniendo vim, qvam amplificando copiam oſtendas. Vel ſola argumenti gravitas, qvae ad laudem principum, procerumqve pertinet, te aliunde defendit. Etenim abiecto ſit ingenio poeta, qvi vulgare rhythmi genus afferat, ſi principi, aut purpurato, cuius ſumma poteſtas, aut maxima auctoritas ſit, gratuletur. Amplius aliqvid, altiusqve illi expectant, qvos aut imperii gloria, aut natalium dignitas a privatis, plebeiisqve ſeiunxit. Id vero tibi, praeter ceteros aulici moris, et exqviſitiſſimae illius elegantiae gnaro, ſatis conſtabit, qvi carmina non vulgi, ſed ſapientum iudicio aeſtimes, et grave, reconditumqve ſcribendi genus, qvod poetae amant, et fere in deliciis habent, vulgari praeferas, nihilqve ſcribas, qvod tenue, ac proletarium ſit, cuius auctorem aliqvando poenitere qveat. Vale Kalend. Mai. cIↄ Iↄc XCV.

DLXXXIIX.
DAN. NESSELIO.

SEmper in ore meo, et animo eſt res libraria Auguſti Caeſaris, cuius fama exteri, et ab ultimo ſeptentrione exciti homines in Germaniam veniunt, ut cumulatiſſimas bibliothecae opes videant, iisqve, velut commodatis, ad inſtruendam doctrinae ſupellectilem, indulgentia, et beneficio publico utantur. Doleo, neqve ulla ratione id diſſimulare poſſum, caruiſſe me diutius aſpectu, et uſu codicum, qvos evolvere, et conferre cum editis, per tuam tam inſignem benevolentiam licebat prorſus, mihiqve expediebat. Sed in primis Ariſtaenetus mihi in deliciis erat, cuius uſuram abs te datam eſſe Franckio, accepi, qvem is editurum ſe multo locupletiorem ſaepius confirmavit; ſed poſtqvam Saxonia exceſſit, atqve ad Danos ſe contulit, ſpes perſeqvendi operis extenuatur indies, et forſan evaneſcit. Ego in eum notas qvoqve MSS. Romae nactus ſum, qvae cumulum afferre, et in variis lectionibus apte conſtituendis adiumento eſſe potuiſſent. Theonis Πνευματικὰ qvae ad res bellicas ſpectant, legere vehementer cupio; nec deſiderium lenire poſſum. Commodanda mihi, interpoſita Saxonis auctoritate, peterem, ſi ſcirem, ea apud vos extare, Graecorumve codicum, qvos plurimos, et optimos coram vidi, ac ſcrutatus ſum, numerum augere. Sed prope me perculit Cramerus Helvetius, vir in Ebraeorum antiqvitatibus magnopere verſatus, cum

eos

eos mihi, an alicubi vidiſſet, ſciſcitanti, negaret Vindobonae reqvirendos. Qvae narratio ſi vera eſt, efficit, ut ſpe potiundi cadam, ex eaqve re dolorem capiam, et vix aliunde expectem. Neqve vero catalogus ille tuus, luculentus plane, et utilis, offert eum, et oſtendit, ut iam nullus ſpei locus eſſe videatur. Hipparchi enarrationes, nondum emendate ſatis editas, erudita autem Petavii interpretatione auctas, Angli denuo in lucem emittunt in qvas Ioſephi Scaligeri notas MSS. care emptas habeo, qvas exteri qvidam flagitarunt. Ciceronum veſtrum manu exaratum videre geſtio, qvi, ut Caeſar qvondam imperii, ſic ipſe Latini eloqvii fines protulit: in cuius orationem pro Milone incidi, multisqve, et gravibus mendis inqvinatam reperi, qvae noviſſimae librariorum operae purgare non potuerunt. Multorum hodie mos eſt ex ingenio comminiſci lectiones, non inſcitas modo, ſed etiam a Latina civitate abhorrentes. Et ipſa etiam hiſtoria noſtrorum temporum non aeqvabili ſemper, et puro ſtylo conſcripta eſt, ut nihil de aliis ſubiiciam, in qvibus auctores novi extra fines ſuos egrediuntur, Res tamen varias, lectuqve iucundas haud praeterire debent: neqve tamen conſectari ineptias, qvae nullum in vita uſum habent, et merito negliguntur. Qvare delectu opus eſt, et rerum, temporumqve ordo ſervandus, ut nihil in ea praepoſterum ſit, et ſcite, ſapienterqve, ductis ab initio cauſis, perpetua qvadam rerum continuatione omnia conſcribantur. Hanc laboris mercedem ſibi proponant, neceſſe

eſt,

eſt, qvi pii, et magni Caeſaris curas, et expeditiones tradere poſteris, et mandare literis cupiunt, cuius merita in patriam nullis profecto ſeculis exoleſcent. DEVS ſane Auſtriam delegit, ut externo dominatui ſe obiiciat, viresqve barbarorum frangat, et imperii, qvod auſpicato tenet, ſplendorem tueatur. Servet nobis Auſtriam, cuius gentile bonum manſvetudo eſt: ſervet, et e periculo eripiat Auguſtam domum, qvae expectationem Europae ſuſtinet, qva meliores partes ſeqvitur: ſervet nobis Auguſtum Caeſarem: ſervet deſtinatum Caeſari ſucceſſorem proſperis Imperii rebus, et integra valetudine, dignum ſuceſſione filium, ut paternae, et certe divinae virtutes in hoc continuatae nulla unqvam temporum iniuria deminuantur; ſed in periculis luceant, et floreant, caliginemqve hoſtilis, invidiae conſtantia ſua diſſipent, et, ſuis ipſae rebus, conſiliisqve optimis confirmatae, omni temporum ſtatu illuſtrentur.

Vitembergae Sax. Non. Sextil.
cIɔ Iɔc XCVI.

Index

Index Epiſtolarum.

A.

AFfini cuidam. Num. 75
Alino, *Petro* 578
Alterius nomine N. N. 339
Amico cuidam. 20. 118. 144. 279. 520. 535. 540. 545. 551. 558. 559
Amico Dreſdenſi. 67. 85. 518
Amico Helmſtadienſi. 58. 300
Amico Ienenſi. 169
Amico Iuveni. 97
Amico Φιλέλληνι. 577
Amico Philomuſo. 587
Arnoldo, *Chriſtophoro.* P. P. Alt. 389. 401. 466. 481. 504. 505
Artopoeo, M. 212
de Arzat, *Adamo Caſpari,* Conſil. Vratiſl. 331. 358
Avemanno. N. 168

B.

Baggero, *Laurentio,* Dano. 431. 465
Bakio, *Erneſto,* D. Theol. 277. 291. 297
Bauero, *Io. Godofredo,* M. 580
Becmanno, *Io. Chriſtoph.* PP. Francof. 13. 14. 19
Boernero, *Io. Georgio,* IC. Dreſd. 2. 5. 22. 25. 34. 35. 65. 87. 99. 421. 471. 484. 492. 508. 509. 514. 525.

525. 562. 563. 564. 565. 566. 567. 568. 669. 570. 571. 572. 573

Boernero, *Io. Georg.* Iun. 510

Busmanno, *Ioanni Ebrardo*, PP. Helmſt. 258

C.

Centgrafio, *Chriſt.* G. 155

Chriſtiano V. Daniae Regi, ſub imagine Cornelii Trompii. 380

Conringio, *Hermanno* 437. 449. 458

Cunrado, *Io. Henrico*, Conſil. Lichtenſt. 474. 507

D.

Daumio, *Chriſtiano*, Schol. Cygneae Rect. 71. 344

Diezelio, *Ludov. Caſimiro*, Th. Comit. Hohenl. 333

Dieterichio, *Ioann. Conrado*, PP. Gieſſ. 150

Dracherio, *Martino* 216

Dryſelio *Erlando*. B. 238

E.

Egenolpho, *Auguſtino*, Schol. Dreid. Rect. 462

Eggerto, *Ioanni* M. 501

Engenhagio, *Henrico*, Theol. Lubec. 343

Erico, *Raphaeli*, I. V. D. 154

F.

Fellero, *Ioachimo*, PP. Lipſ. 272. 334. 423. 435

Franckenſteinio, *Chriſtiano Frider*. PP. Lipſ. 179. 181. 285

a Friſen, *Henr.* L. B. 4. 6. 7. 8. 10. 11. 15. 16. 17. 18. 23. 24. 30. 37. 40. 44. 45 46. 47. 48. 50. 52. 54. 55. 56 57. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 70. 73. 74. 77. 78. 79. 82. 83. 84. 86. 89. 90. 93. 94. 100. 101. 102. 105. 108. 112. 113. 115. 117. 119. 122. 125. 129. 131. 134. 145. 146. 148. 149. 151. 153.

153. 156. 160. 161. 167. 170. 171. 174. 176. 177. 178. 183. 184. 186. 187. 188. 195. 197. 198. 199. 202. 203. 204. 206. 207. 208. 209. 210. 220. 227. 229. 230. 237. 239. 242. 251. 252. 254. 256. 257. 261. 264. 266. 269. 270. 271. 276. 278. 281. 286. 287. 289. 301. 304. 306. 307. 308. 314. 321. 325. 332. 336. 337. 341. 342. 345. 349. 350. 351. 352. 354. 355. 360. 361. 363. 364. 365. 369. 370. 373. 375. 378. 384. 385. 386. 392. 396. 400. 403. 405. 406. 409. 410. 412. 413. 415. 420. 425. 428. 433. 438. 445. 448. 450. 457. 464. 473. 478. 479. 482. 483. 488. 489. 494. 496. 498. 499. 503. 506. 515. 519. 521. 522. 523. 527. 528. 529. 530. 531. 532. 539. 541. 544. 546. 548. 549. 550. 557.

a Friſen, *Henrico*, L. B. Iuniori. 104. 110. 298. 299. 310. 313. 319.

a Friſen, *Carolo* L. B. 32. 38. 51. 68. 72. 109. 147. 175. 196. 205. 222. 231. 236. 246. 250. 263. 290. 390. 442. 447. 461. 463. 490. 534. 542. 543. 547. 552. 553

Fugmanno, *Ioanni Chriſtoph.* 329

G.

Garmers, *Vincentio*, IC. Hamb. 340. 391

Garmers N. 394

Gerlachio, *Sigismundo*, Iur. Candid. 267

a Gersdorf, *Nicolao*, L. B. 28. 29. 39. 376

Gockelio, *Erneſto*, IC. Ulm. 128. 132

Gravio, *Chriſt. Gvilelmo* 190

Graevio, *Io. Georg.* 583

Gryphio, *Chriſtiano*, Gymnaſ. Vratiſl. Magdal. Rector. et PP. 584

G. V. 579

H.

Hahnio, *Ioanni Georgio*, M. 287. 402. 485
Haxthuſio, *Hermanno* 244
H. H. 194
Hegenvaldo, *Georg*. Conſil. Starg. 455
Heidero, N. IC. Lindav. 252
Heigelio, *Paulo* 275
Heinio, *Ioanni Chiſtoph*. Sacerdot. Magdeb. 318. 326. 330. 357. 368. 397
Henriettae Cath. Friſiae, Virgin. illuſtr. 27. 31. 49
Henriettae Cath. Gerſdorfiae, natae Friſiae. 561
Homfeldio, *Petro* IC. 163. 172. 180. 224
Horbio, *Ioanni Henrico* 123. 213
Hulſemanno, N. 393
Hundio *Samuel*. IC. et Conſil. Dresd. 9. 36. 76. 92. 96. 133. 164. 223. 347

I.

Iacobi *Adamo Chriſtophoro* 1. 53. 69. 88. 98. 103. 140. 141 142. 159. 165. 273. 274. 282. 353. 416. 422. 427. 436. 439. 453. 468. 477. 491. 537
Iacobi, *Chriſtiano*, A. C. Fil. 418
Iocobi Iuniori. 80. 138. 157. 158
Iacobi, M. 192
Iacobi, *Ioanni*, Iur. Stud. 294. 328. 441
Ioriſchio, *Samueli*, Sacerd. Magdeb. 356
I. G. H. 182
Iunghanſio, N. 417. 430 432. 452. 459. 472

K.

Kirchbachio, *Ioanni Adolpho* 111. 120. 126
Knorrio, *Ioanni Ieremiae* 581

a Koet-

a Koetteriz, N. 218
Kubelio, P. M. Ludi Burg. Moderat. 440

L.

Leickero, *Friderico Iacobo* 243. 284. 395
a Leipzig, Viro nobili. 114
a Luckoven, *Georgio Henrico*, Conſil. Vindobon. 346

M.

Magliabechio, *Antonio* 586
Maio, Sacerdoti in Svev. 116
Martini, Conſil. Sax. 582
Medero, *Petro*, M. 362
Meznero, *Ioanni Iacobo.* 516
Mitternachtio. 3

N.

Neſſelio, *Danieli*, Conſil. Caeſ. et biblioth. Auguſt. Praefecto. 585. 588
Niſanio, *Chriſtiano.* 136
Nomine alterius. 381
Nomine illuſtris Iuvenis, Parenti eius. 560
Nornero. 26
N. N. 21. 33. 41. 42. 66. 81. 95. 107. 137. 143. 162. 173. 193. 200. 201. 211. 214. 215. 221. 225. 240. 245. 247. 248. 259. 268. 280. 283. 288. 292. 295. 296. 312. 316. 335. 338. 348. 359. 367. 374. 377. 379. 399. 404. 414. 419. 424. 429. 475. 486. 487. 495. 500. 511. 512. 513. 514. 517. 528. 533. 554

P.

Paſerinio, N. 470
Patrono cuidam, 536
Peucero, *Davidi.* 434
Peucero, *Tobiae.* 91. 130. 139. 217. 234. 312

Philopatori A. 574. 575. 576
Polanto, N. Sacerdoti Zeithen. in Miſn. 407. 411
Proceribus Dreſdenſibus. 493

R.

Rectori Acad. Vitemb. alterius nomine. 538
Richardo, *Iacobo.* 191
Reutero, *Simoni*, Variſc. 166. 444. 451
Rummelio. 106

S.

Sacerdoti cuidam. 556
Schradero, *Friderico*, Helmſtadienſi. 189. 241
Schedio, *Ioanni*, M. Sacerd. Starizenſ. 327
Schoenero, *Iuſto Friderico*, IC. Svinf. 480
Schubarto; *Georg.* PP. Ien. 446. 460. 497
Schurzfleiſchio, *Io. Anton.* Medic. fratr. 12. 43. 526
Schuzio, *Chriſtiano*, Conſil. Veiſſenſ. 185. 253. 302. 317. 371. 408. 469. 502
Seidelio, *Andr. Eraſmo.* 426
Slaſio, *Iodoco.* 121. 219. 226. 232. 233
Slevogtio, *Ioanni Philippo*, I. V. D. Ien. 372
Spenero, *Philippo Iacobo*, Th. D. 124. 127. 467. 476
Stubelio, *Ioanni Iacobo* S. 456
Stubritio, *Martino*, IC. Budiſſin. 262

T.

Teſmaro, *Dan.* 398. 454

V.

V. A. 228
Vietori, *Ioanni.* 135
Volhardo, *Io. Friderico.* 235. 249. 255. 260. 265. 293. 303. 305. 309. 311. 315. 320. 323. 324. 366. 382. 383. 388. 443. 555

Index rerum praecipuarum.

A.

ADenburgeri Theſaurus. pag. 291
Adolphus Brachelius. 452
Aeduorum antiquorum antiqua ſedes. 16
Aevi labes. 600
Aeneas. 694
Aeſchylus. 713
Alexander Iulius Torquatus. 374
Alphonſus Ciacconius a Chiffletio notatur. 36
Alphonſus Delbeneus commendatur. 313
Alſatia. 259
Alſatiae hiſtoriae fundamentum ubi? 430
Ammianus Marcellinus. 165. 594
Ampulla Rhemenſis. 212
Anacreon. 697
Ancus Marcius. 692
Andreas Lipski a Lipe commendatur. 102
Andreas a Matre DE I laudatur. 9
Andreas Quercetanus. 202
Anglicana Coniuratio. 618. *eiusdem auctores. ib. et ſeq.*
Antonius Borromanſius. 535
Aqua Martia. 691
Architecturae militari inſervientes ſcriptores. 122
Arelatenſe regnum ad quos iure antiquo pertinuerit. 149. *a quo pro derelicto habitum. ibid. eiusdem malae fidei poſſeſſio.* 151

Argi. 694
Ariſtaenetus. 714
Ariſtophanes commendatur. 343. 344. 713
Arma inter beneficiis vincere prudentia. 537
Arngrimus, Ionas, Islandus. 142
Aſcanii abſtinent titulo Palatinorum Saxoniae, et eiusdem argumenti vis. 154
Aſconius. 696
Athei. 83
Auberius Friſtanus notatur. 212
Aubertus Miraeus laudatur. 120. *et commendatur.* ſeq.
Auguſtae Bibliothecae rara. 92
Auguſtae ſtirpis conditor. 694
Aularum vices dubiae. 22
Auſonius. 205
Autor narrat vitae ſuae rationes. 596. ſeq.
Auxilia ſic mittenda, ut domi ne deſint. 96

B.

Bacchi templum Romae celebre. 693. *eiusdem ſepulchrum fictum.* ibid.
Baluzius laudatur. 52. 421
Barberini laudes. 360
Baronius iuri Germaniae in Italiam non favet 36. *commendatur.* 516. 548. *notatur.* ibid. et 149
Bartholomaeus Scala laudatur. 588 et ſeq. *notatur.* ib.
Bartoli hiſtoria Anglicana. 9
Baſognii l' Eſtat de la France commendatur. 102
Batavorum conſilium prudentia temperatum. 8. *eorum res geſtae.* 15
Becmannus laudatur. 14
Beckmannus. 455

Beda

Beda laudatur 128. ſcriptum eius exemplar ubi aſſervetur? ibid.
Bellum certum aliqvando prae dubia pace eligendum. 89
Bembus laudatur. 197
Bernhardi Herzogii Chronicon notatur. 431
Bernhardus Saccus. 266
Beroſus notatur. 686
Birodus 109
Biſciola. 699
Blondellus. 36. eiusd Pſeudo-Iſidorus. 516. notatur. 121
Bohemicae hiſtoriae utilitas. 425. ſeq.
Bondus. 700
Bongarſii effatum. 106
Boxhornius. 389
Bozius. 35. ſeq.
Brachelius notatur. 314
Brema in cuius ditione olim. 54
Breverus. 315
Broverus. 380
Buchnerus. 389
Budaeus. 607
Burggraviorum dignitas. 35
Bzovius. 36

C.

Caeſaris prudentia. 657
Caeſaris nomine qvis primo uſus fuerit? 50
Calixtus laudatur. 356
Calvinus caſtigatur. 236
Camerarius notatur. 425. laudatur. 675
Cardanus notatur. 276

Capetingi reges male dicuntur ex Karolingorum ſtirpi orti. 178. *it. male dicitur omne ius Karol. M. ad eos perveniſſe.* ibid.
Carolus Aemilius. 210
Carolus Calvus. 633
Carolus Patinus. 502
Caroli IV. prodigalitas 150. *clarus ob auream Bullam ibid. caſtigatur ab Ioanne Aventino.* ibid.
Carolus Sigonius iuri Imperatoris detrahit. 36. *laudatur.* 324
Carlſtroemii Thule commendatur. 142
Caſaubonus. 516. *eiusdem dubium.* 549
Caſelius laudatur. 356. 382
Caſparus Peucerus notatur. 38
Caſparus Pruſchius. 124
Celtici vocabuli notio. 591
Chronicon Glacenſe notatur. 334
Chryſoſtomus. 382
Chytraeus. 313. ſeq.
Cicero. 712. 715
Cicuta. 698. ſeqq.
Clabalaris curſus. 594. ſeq.
Cluverius, 232. 696
Comites Palatii. 552. et ſeqq.
Commendae, et earum origo. 217
Corbeiae oppugnatio. 63
Coronarum diverſa materia. 588. ſeq. 619
Cragius commendatur. 356
Curtii laudes. 100

D.

Dachſteinia arx a quo fundata. 238

Dago-

Dagobertus. ibid.
Dallaeus. 516
Damni expers ſecurus. 628
Dania quid pro Lege Regni? 103
Daniae libera electio. 78
Daniae reges regni proviſores. ibid.
Daniel. Heiderus notatur. 67
Daſſovius. 358
Daumius. 565
Demetrii Phalerei laudes. 55
Demoſthenes. 343. ſeq.
Dictiones Ictorum, et Oratorum diſtingvendae. 283
Dionyſius. 690
Dionyſius Halicarnaſſeus. 689. 694.
Dionyſius Lambinus. 698
Dioſcorides, 700. eius lectio cum qva coniungenda. 13
Dodvellus. 618
Dominationis vis. 12
Dominatoris tituli aevo Karolingico ſignificatus. 188
Draudii Bibliotheca notatur. 104
Dreierus Syncretiſta. 2
Dorſchaeus laudatur. 356
Dynaſtae Domicelli appellantur. 82

E.

Eduardus Breverodus qva in re clarus. 49
Eggerius Benigna. 318
Electores qvomodo olim appellati. 341. *eorum iura.* ibid. et ſeqq.
Electoris vocabuli origo. 50. 237
Elnothus qvo uſu legendus. 78
Elverus notatur. 665

 Eizin-

Eizingerus notatur. 104
Emmius commendatur. 356
Ennius. 698
Epiſcoporum, et Presbyterorum munus. 245
Epiſtola Sinceri Germanici cuius notae. 54
Erfurti initia. 47
Ericius Puteanus notatur. 266. *laudatur.* ibid.
Eruditio interior invidiam comitem habet. 488
Eſdra Ebraei characteris effector. 295
Eutropius. 689

F.

Fabii iudicium de Demetrio Phalereo. 55
Fabii trecenti. 689
Fabricius. 314 ſeq.
Factis demonſtrare utilius, quam multa dicere. 662
Farneſii dictum apud Stradam. 12
Fauſti hiſtoria qvid veri habeat? 424 et ſeq.
Felurius. 700
Fides vix habenda iis, in qvibus fortuna vim habet. 693
Flacii ſcriptum hiſtoricum cuius notae. 53
laudatur. ibid.
Flodoardus commendatur. 202
Foedus Chamborticum. 164. *qvid memorabile circa illud?* ibid.
Fortiter patiendum, qvod mutari neqvit. 438
Fortunae inconſtantia immortalitatem docet. 443
Franciae Teutonicae diviſio. 47
Franci antea Catti dicti. 99. *male Sicambri dicuntur.* ibid.
Franciſcus Gvicciardinus commendatur. 479

Freherus hiſtoria Germ. celebris. 380
Fridericus Barbaroſſa qva fide hiſtorica calcibus dicatur protritus. 33
Fridebornius. 528
Furandi licentia. 82

G.

Galenus. 689
Galliae Rex unde originem? 178. *eius prudentia politica.* 18. *vires, qvas iactat,* 19. *aemulatur Alexandrum,* 44. *Sed ſine animo.* 645. *interitum ſocietatis Indiae molitur.* 8. *Ianſeniſmo infenſus.* 12
Galli laudantur ob praeſidia hiſtorica. 220. *it. merita illorum in rem literariam,* 52. *Impetum pro virtute habent.* 398
Gellius. 689
Georgius Trapezuntius. 388
Germanorum bellica virtus. 44
Goclenius notatur. 665
Goldaſtus notatur. 215
Graſvinckelii libertas Veneta cuius notae 132. *et ſeq. a quo emendata.* ibid.
Graecae lingvae inſervientes ſcriptores. 344
Graecis ſine literis eruditio haud ſolida. 271
Gregorii VII. tumultus Germanici. 634. *Non Petrus, ſed Nero. ibid. Primum aqvilonarem Dominatum affectavit. ibid. Imperatori coetu ſacro interdixit.* ibid.
Greifenfeldii lapſus. 372. 413. *qvo genere natus.* ibid. et ſeq.
Grimershemius. 318

Grotius laudatur. 80.199.564.*it. eius liber de Veritat.Relig.* 83. *notatur. ib. Styli ipſius character.* 56
Gvilelmus Kyriander. 380
Gvilelmus male Caeſarum Claſſi inſeritur. 38

H.

Hadrianus Barlandus notatur. 52
Hamburgi origines. 86. *qvomodo antea appellatum fuerit? ibid. qvae mala ſuſtinuerit? ibid. cui hodie ſacramentum dicat?* 87. *Iura eiusd. ibid. utrum municipale?* *ibid.*
Heinſii paraphraſis in Ariſtot. commend. 276
Henricus Hammondus notatur. 52
Henricus Auceps male Imperator appellatur. 193
Henricus Breverus notatur. 81
Henricus Noris. 588
Henrici VII. exitus. 652
Henricus IV. qvantum Pontifici indulſerit? 635
Henricus Thuringiae male inter Caeſares numeratur. 38
Henninges notatur. 166
Hieronymus Mercurialis. 692. *ſeq.*
Hieronymus Volfius laudatur. 57
Hildebrandus tumultuum Germanicorum auctor. 634
Hilleſſemius. 486
Hincmarus. 552
Hipparchus. 715
Hſpanicum regnum pro qvibus Monarchicum. 101
pro qvibus herile. *ibid.*
Hiſtoria longo tempore addiſcenda. 575
Hiſtoriae tractandae ratio. 610 *ſeq.*

Hiſto-

Hiſtoricorum Auſtr. baeſitantia. 94

Hobbeſius laudatur. 139. *notatur. ibid. et ſeq. unde multa hauſerit?* 233

Hofmannus. 688

Homerus. 688

Horatius. 697

Horatius Tuſcanella. 475

Horatius Turſellinus. 475

Hoxterae oppugnatio. 63

Hyacinthus poetarum. 688

I.

Iacobus de Bie commendatur. 49

Iacobus Cellarius. 475

Iacobus Hugues. 475

Iacobus Sirmondus. 121

Imitatio qualis eſſe debeat. 100

Imperator Romae veteris quo iure dignitatis fruatur? 42

Imperatores Romani non leguntur ſe olim titulis Saxonum ornaſſe. 187

Initia rerum prima perobſcura. 686. *iudicium de iisdem.* *ibid.*

Interregnum ab exceſſu Frider. II. male numeratur. 38

Ioann. Aventinus. 124

Ioann. Caſelius. 382

Ioann. Iacobus Chifletius. 121. *caſtigatur immerito.* *ib.*

Ioann. Meurſii Solon commendatur. 356

Ioannes Palatius laudatur. 62. 184. *notatur. ibid. it.* 70. 193. 324. 337. *et* 452

Iodocii Coccii Dagobertus laudatur. 430

Ioſe-

Ioſephus Scaliger. 695
Iſaacus Pontanus. 142
Iſidorus Iſolani. 266
Iſocrates Volſii. 344
Italiae regnum qvo ſeculo ab Romano Imperio ſeiunctum ? 42
Italorum natio cauta, et callida 705. *ſola utilitate omnia metitur.* ibid.
Iudices Saxoniae qvomodo olim appellati? 237
Iuris Attici ſcriptores praecipui. 343
Iuris Militaris ſcriptores praecipui. 122
Iuris ſacri Converſio DEVM vindicem habet. 519
Iuris ſcripti Militaris Conditor. 61
Ius non ſcriptum Caſtrenſe qvamdiu duraverit? 61 *it. qvando invaluerit?* ibid.
Ius Principum cudendi numos antiqviſſimum. 49
Iuſtus Martius commendatur. 170
Iuvenalis. 698

K.

Kaminiciae oppugnatio. 57
Karolus M raro titulo Dominatoris Saxonum uſus. 188. *eiusdem elogium non reperitur in numis.* ibid. *numi de eo ſpurii*, ibid. *qvas gentes ſibi ſubiecerit?* 658
Karolingi vincere poterant, domare non. 30. *utrum Franco-Galli dicantur.* 47. *qvo ſeculo extincti.* ibid. *non ſine adiectione Augusti ſe Imperatores ſcripſerunt.* 49
Karolingica monimenta qvis expediverit? 165
Kempius. 318
Kircheri Latium laudatur. 9

Koe-

Koenigii bibliotheca notatur. 589
Koenigsmarckii effatum. 366. eiusdem bona publicantur. 434

L.

Lactantius. 486
Lambecius laudatur. 93. et 94
Lambinus notatur. 57
Laudus caſtigavit Calvinum. 236
Lauterbachius laudatur. 144
Lavinii, et Lanuvii differentia. 695
Limnaeus notatur. 47. laudatur. 102
Lindenbrogii Legum uſus. 347
Lipſii Religionis mutatio. 83. eiusdem mutationis conſeqvens. 84
Lituus. 692
Littora Lavinia. 696
Livius laudatur. 388. iudicium de eodem. 689. ſeq.
Lotharingiae nomen unde? 16. eiusdem origo, et iura. ibid. et ſeq.
Lucanus. 205. 232
Lucilius. 698
Ludovicus Germanicus falſo Imperator dicitur. 70. et 71
Ludovicus Hilleſſemius. 382. 486
Ludovicus Saltator. 425. ſeq. 452
Ludvolfus. 618
Luſatiae monimenta fidei ſuſpectae. 37
Luſitanicum regnum temperatum. 101. qvo tempore imminutum. 102. illius incrementum. ibid.

M. Ma-

M.

Machiavellus. 502. *eiusdem adverſarii.* 38
Maderus laudatur. 381
Magdeburgici converſiones. 35
Magliabechius. 592
Makle Itinerarium Hiſpan. citatur. 100
Mala interna duriora externis. 363
Manlius notatur. 351
Manutius laudatur. 197. *notatur.* ibid.
Martialis. 690
Martius. 699
Matthaeus Hoſtius. 502
Melanchthon laudatur. 356. 675
Metaphyſica. 138
Meteorum quid divinet? 424
Metgerus. 688
Mezeray. 178
Michael Iſſelt commendatur. 266
Micraelius notatur. 148
Moguntinenſes editiones notantur. 51
Montecuculi prudentia. 655
Multi famae, multi irae, conſcientiae pauci ſerviunt. 350
Muretus commendatur. 39. *Manutio praefertur.* ib.
Muſica Aegyptiis invíſa. 688. *eius effectus infra animi Medicinam.* ibid.
Mycenae. 694
Micenaei Reges Argivi dicuntur. ibid.

N.

Nadaſtius iuribus privatur. 12
Navina laudatur. 423

Nazianzenus. 382
Neceſſitas legem non recipit. 405
Nepenthes. 687. *Homeri ratio interpretandi de eodem.* 688
Nicolaus Leuthingerus. 495
Nilo Theſſalonicenſis. 595
Notitiae Geographicae inſervientes ſcriptores. 343
Numen divinum ſaepe conſilia hominum eludit. 661

O.

Occaſio non ab uno temporis momento expectanda. 344
Odium gentilitium erga Hiſpanos. 106
Olaus Vormius commendatur. 266
Oldenburgeri theſaurus notatur. 301
Onuphrius Panvinius immerito ſugillatur. 36 *laudatur.* ibid.
Ordo divi Georgii qvid veri, aut falſi contineat? 6. *eiusdem origo.* 7
Ordo honoris verae laudis incitamentum. 359
Origines eorum ignorare, a qvibus leges accepimus, indecorum. 691
Origines Murenſes. 343
Origines rerum primae perobſcurae. 694
Oroſius. 689
Oſtentum qvid praeſignificet? 424
Oſtro-Franci qvinam? 30
Ottonis prudentia. 6. *patriae fines inſtaurat.* ibid.
Ovidius. 712

P.

Paduanus. 133
Palatinorum origo. 33. *et ſeq. illorum iura.* 34

Palmerius. 688
Paulus Langius notatur. 452
Partis acquieſcere prudentisſima creſcendi ratio. 415
Pearſonus. 617
Peregrinaturo quid obſervandum? 340
Perſius. 698
Petavius notatur. 617
Petronius laudatur. 142
Petrus de Andlo. 619
Petrus Bembus commendatur. 39
Petrus Rigenſis laudatur. 77
Philoſophia malorum medicina. 363
Philoſophia moralis utrum more Mathematicor. docenda? 139
Pietas in animo, non labris naſcatur. 350
Pila Tiburtina. 689
Pindarus. 697
Plato notatur. 276
Plinius. 689
Plutarchus. 343
Poeta nemo, niſi hiſtoricus. 205
Poetae officium. 233
Politianus notatur. 194
Polonia tributaria. 79
Polycarpi Epiſtola. 450
Polybius commendatur. 370. 586
Pomeranorum origines obſcurae. 659
Pontificiorum reliquiae quid veri oſtendant? 693
Pontus Heuterus notatur. 108
Portae vocabulum qua ratione invaluerit? 690
Potentia nimia raro diuturna. 30

Potentia nimia raro capit ſe ipſam. 96
Praeceps haud diuturnum. 63
Praelium ad Album montem. 426
Praetenſiones inter Imperat. qua Imperat. et orientem nullae. 43
Principes Graeciae literati. 697
Priſcianus. 689
Procopius. 591
Prudens praevidet, quod providere non poteſt. 12
Prudentia civilis quomodo comparanda. 573
Prudentis eſt multa ſcire, non omnia exequi. 408
Pufendorfius. 431
Publius Victorius. 690

Q.

Quercetanus commendatur. 202

R.

Regalium *vocis origo.* 50
Regni Hieroſolymitani amiſſio. 147
Reidanus laudatur. 104
Reineſius. 563
Religio Medici. 84
Religionem concordia fovet, diſcordia turbat. 350
Rennepagius. 566
Reverentius eſt de DEO credere, quam ſcire. 84
Ricciolus caſtigatur. 588
Rigordus laudatur. 77
Rolenvincius notatur. 82
Roma. 691. *forma eius prima.* 692. *et ſplendor.* 595
Romulus. 691
Rudolpho Habsburgio male adſcribitur edictum de uſu linguae germ. in formulis publicis 22

Capetingi reges male dicuntur ex Karolingorum ſtirpi orti. 178. *it. male dicitur omne ius Karol. M. ad eos perveniſſe.* ibid.
Carolus Aemilius. 210
Carolus Calvus. 633
Carolus Patinus. 502
Caroli IV. prodigalitas 150. *clarus ob auream Bullam ibid. caſtigatur ab Ioanne Aventino.* ibid.
Carolus Sigonius iuri Imperatoris detrahit. 36. *laudatur.* 324
Carlſtroemii Thule commendatur. 142
Caſaubonus. 516. *eiusdem dubium.* 549
Caſelius laudatur. 356. 382
Caſparus Peucerus notatur. 38
Caſparus Pruſchius. 124
Celtici vocabuli notio. 591
Chronicon Glacenſe notatur. 334
Chryſoſtomus. 382
Chytraeus. 313. ſeq.
Cicero. 712. 715
Cicuta. 698. ſeqq.
Clabalaris curſus. 594. ſeq.
Cluverius, 232. 696
Comites Palatii. 552. et ſeqq.
Commendae, et earum origo. 217
Corbeiae oppugnatio. 63
Coronarum diverſa materia. 588. ſeq. 619
Cragius commendatur. 356
Curtii laudes. 100

D.

Dachſteinia arx a quo fundata. 238

Dago-

Dagobertus. ibid.
Dallaeus. 516
Damni expers ſecurus. 628
Dania quid pro Lege Regni? 103
Daniae libera electio. 78
Daniae reges regni proviſores. ibid.
Daniel. Heiderus notatur. 67
Daſſovius. 358
Daumius. 565
Demetrii Phalerei laudes. 55
Demoſthenes. 343. ſeq.
Dictiones ICtorum, et Oratorum diſtingvendae. 283
Dionyſius. 690
Dionyſius Halicarnaſſeus. 689. 694.
Dionyſius Lambinus. 698
Dioſcorides, 700. *eius lectio cum qua coniungenda.* 13
Dodvellus. 618
Dominationis vis. 12
Dominatoris tituli aevo Karolingico ſignificatus. 188
Draudii Bibliotheca notatur. 104
Dreierus Syncretiſta. 2
Dorſchaeus laudatur. 356
Dynaſtae Domicelli appellantur. 82

E.

Eduardus Breverodus qua in re clarus. 49
Eggerius Benigna. 318
Electores quomodo olim appellati. 341. *eorum iura.* ibid. et ſeqq.
Electoris vocabuli origo. 50. 237
Elnothus quo uſu legendus. 78
Elverus notatur. 665

Eizingerus notatur. 104
Emmius commendatur. 356
Ennius. 698
Epiſcoporum, et Presbyterorum munus. 245
Epiſtola Sinceri Germanici cuius notae. 54
Erfurti initia. 47
Ericius Puteanus notatur. 266. *laudatur.* ibid.
Eruditio interior invidiam comitem habet. 488
Eſdra Ebraei characteris effector. 295
Eutropius. 689

F.

Fabii iudicium de Demetrio Phalereo. 55
Fabii trecenti. 689
Fabricius. 314 ſeq.
Factis demonſtrare utilius, quam multa dicere. 662
Farneſii dictum apud Stradam. 12
Fauſti hiſtoria quid veri habeat? 424 et ſeq.
Felurius. 700
Fides vix habenda iis, in quibus fortuna vim habet. 693
Flacii ſcriptum hiſtoricum cuius notae. 53
laudatur. ibid.
Flodoardus commendatur. 202
Foedus Chamborticum. 164. *quid memorabile circa illud?* ibid.
Fortiter patiendum, quod mutari nequit. 438
Fortunae inconſtantia immortalitatem docet. 443
Franciae Teutonicae diviſio. 47
Franci antea Catti dicti. 99. *male Sicambri dicuntur.* ibid.
Franciſcus Guicciardinus commendatur. 479

Fre-

Freberus hiſtoria Germ. celebris. 380
Fridericus Barbaroſſa qua fide hiſtorica calcibus dicatur protritus. 33
Fridebornius. 528
Furandi licentia. 82

G.

Galenus. 689
Galliae Rex unde originem? 178. eius prudentia politica. 18. vires, quas iactat, 19. aemulatur Alexandrum, 44. Sed ſine animo. 645. interitum ſocietatis Indiae molitur. 8. Ianſeniſmo infenſus. 12
Galli laudantur ob praeſidia hiſtorica. 220. it. merita illorum in rem literariam, 52. Impetum pro virtute habent. 398
Gellius. 689
Georgius Trapezuntius. 388
Germanorum bellica virtus. 44
Goclenius notatur. 665
Goldaſtus notatur. 215
Graſvinckelii libertas Veneta cuius notae 132. et ſeq. a quo emendata. ibid.
Graecae lingvae inſervientes ſcriptores. 344
Graecis ſine literis eruditio haud ſolida. 271
Gregorii VII. tumultus Germanici. 634. Non Petrus, ſed Nero. ibid. Primum aqvilonarem Dominatum affectavit. ibid. Imperatori coetu ſacro interdixit. ibid.
Greifenfeldii lapſus. 372. 413. qvo genere natus. ibid. et ſeq.
Grimershemius. 318

Grotius laudatur. 80.199.564. it. eius liber de Veritat. Relig 83. notatur. ib. Styli ipſius character. 56
Gvilelmus Kyriander. 380
Gvilelmus male Caeſarum Claſſi inſeritur. 38

H.

Hadrianus Barlandus notatur. 52
Hamburgi origines. 86. quomodo antea appellatum fuerit? ibid. quae mala ſuſtinuerit? ibid. cui hodie ſacramentum dicat? 87. Iura eiusd. ibid. utrum municipale? ibid.
Heinſii paraphraſis in Ariſtot. commend. 276
Henricus Hammondus notatur. 52
Henricus Auceps male Imperator appellatur. 193
Henricus Breverus notatur. 81
Henricus Noris. 588
Henrici VII. exitus. 652
Henricus IV. qvantum Pontifici indulſerit? 635
Henricus Thuringiae male inter Caeſares numeratur. 38
Henninges notatur. 166
Hieronymus Mercurialis. 692. ſeq.
Hieronymus Volfius laudatur. 57
Hildebrandus tumultuum Germanicorum auctor. 634
Hilleſſemius. 486
Hincmarus. 552
Hipparchus. 715
Hiſpanicum regnum pro qvibus Monarchicum. 101 *pro qvibus herile.* ibid.
Hiſtoria longo tempore addiſcenda. 575
Hiſtoriae tractandae ratio. 610 ſeq.

Hiſto-

Hiſtoricorum Auſtr. haeſitantia. 94
Hobbeſius laudatur. 139. *notatur. ibid. et ſeq. unde multa hauſerit?* 233
Hofmannus. 688
Homerus. 688
Horatius. 697
Horatius Tuſcanella. 475
Horatius Turſellinus. 475
Hoxterae oppugnatio. 63
Hyacinthus poetarum. 688

I.

Iacobus de Bie commendatur. 49
Iacobus Cellarius. 475
Iacobus Hugves. 475
Iacobus Sirmondus. 121
Imitatio qvalis eſſe debeat. 100
Imperator Romae veteris qvo iure dignitatis fruatur? 42
Imperatores Romani non leguntur ſe olim titulis Saxonum ornaſſe. 187
Initia rerum prima perobſcura. 686. *iudicium de iisdem.* ibid.
Interregnum ab exceſſu Frider. II. male numeratur. 38
Ioann. Aventinus. 124
Ioann. Caſelius. 382
Ioann. Iacobus Chifletius. 121. *caſtigatur immerito. ib.*
Ioann. Meurſii Solon commendatur. 356
Ioannes Palatius laudatur. 62. 184. *notatur. ibid. it.* 70. 193. 324. 337. *et* 452
Iodocii Coccii Dagobertus laudatur. 430

Ioſe-

Ioſephus Scaliger. 695
Iſaacus Pontanus. 142
Iſidorus Iſolani. 266
Iſocrates Volfii. 344
Italiae regnum qvo ſeculo ab Romano Imperio ſeiunctum? 42
Italorum natio cauta, et callida 705. *ſola utilitate omnia metitur.* ibid.
Iudices Saxoniae qvomodo olim appellati? 237
Iuris Attici ſcriptores praecipui. 343
Iuris Militaris ſcriptores praecipui. 122
Iuris ſacri Converſio DEVM vindicem habet. 519
Iuris ſcripti Militaris Conditor. 61
Ius non ſcriptum Caſtrenſe qvamdiu duraverit? 61 *it. qvando invaluerit?* ibid.
Ius Principum cudendi numos antiqviſſimum. 49
Iuſtus Martius commendatur. 170
Iuvenalis. 698

K.

Kaminiciae oppugnatio. 57
Karolus M raro titulo Dominatoris Saxonum uſus. 188. *eiusdem elogium non reperitur in numis.* ibid. *numi de eo ſpurii,* ibid. *qvas gentes ſibi ſubiecerit?* 658
Karolingi vincere poterant, domare non. 30. *utrum Franco-Galli dicantur.* 47. *qvo ſeculo extincti.* ibid. *non ſine adiectione Augusti ſe Imperatores ſcripſerunt.* 49
Karolingica monimenta qvis expediverit? 165
Kempius. 318
Kircheri Latium laudatur. 9

Koe-

Koenigii bibliotheca notatur. 589

Koenigsmarckii eſfatum. 366. *eiusdem bona publicantur.* 434

L.

Lactantius. 486

Lambecius laudatur. 93. et 94

Lambinus notatur. 57

Laudus caſtigavit Calvinum. 236

Lauterbachius laudatur. 144

Lavinii, et Lanuvii differentia. 695

Limnaeus notatur. 47. *laudatur.* 102

Lindenbrogii Legum uſus. 347

Lipſii Religionis mutatio. 83. *eiusdem mutationis conſeqvens.* 84

Lituus. 692

Littora Lavinia. 696

Livius laudatur. 388. *iudicium de eodem.* 689. *ſeq.*

Lotharingiae nomen unde? 16. *eiusdem origo, et iura. ibid. et ſeq.*

Lucanus. 205. 232

Lucilius. 698

Ludovicus Germanicus falſo Imperator dicitur. 70. *et* 71

Ludovicus Hilleſſemius. 382. 486

Ludovicus Saltator. 425. *ſeq.* 452

Ludvolfus. 618

Luſatiae monimenta fidei ſuſpectae. 37

Luſitanicum regnum temperatum. 101. *qvo tempore imminutum.* 102. *illius incrementum.* *ibid.*

M. Ma-

M.

Machiavellus. 502. eiusdem adverſarii. 36
Maderus laudatur. 381
Magdeburgici converſiones. 35
Magliabechius. 592
Makle Itinerarium Hiſpan. citatur. 100
Mala interna duriora externis. 363
Manlius notatur. 351
Manutius laudatur. 197. notatur. ibid.
Martialis. 690
Martius. 699
Matthaeus Hoſtius. 502
Melanchthon laudatur. 356. 675
Metaphyſica. 138
Meteorum quid divinet? 424
Metgerus. 688
Mezeray. 178
Michael Iſſelt commendatur. 266
Micraelius notatur. 148
Moguntinenſes editiones notantur. 51
Montecuculi prudentia. 655
Multi famae, multi irae, conſcientiae pauci ſerviunt. 350
Muretus commendatur. 39. Manutio praefertur. ib.
Muſica Aegyptiis invíſa. 688. eius effectus infra animi Medicinam. ibid.
Mycenae. 694
Micenaei Reges Argivi dicuntur. ibid.

N.

Nadaſtius iuribus privatur. 12
Navina laudatur. 423

Na-

Nazianzenus. 382
Neceſſitas legem non recipit. 405
Nepenthes. 687. *Homeri ratio interpretandi de eodem.* 688
Nicolaus Leuthingerus. 495
Nilo Theſſalonicenſis. 595
Notitiae Geographicae inſervientes ſcriptores. 343
Numen divinum ſaepe conſilia hominum eludit. 661

O.

Occaſio non ab uno temporis momento expectanda. 344
Odium gentilitium erga Hiſpanos. 106
Olaus Vormius commendatur. 266
Oldenburgeri theſaurus notatur. 301
Onuphrius Panvinius immerito ſugillatur. 36 *laudatur.* ibid.
Ordo divi Georgii quid veri, aut falſi contineat? 6. *eiusdem origo.* 7
Ordo honoris verae laudis incitamentum. 359
Origines eorum ignorare, a quibus leges accepimus, indecorum. 691
Origines Murenſes. 343
Origines rerum primae perobſcurae. 694
Oroſius. 689
Oſtentum quid praeſignificet? 424
Oſtro-Franci quinam? 30
Ottonis prudentia. 6. *patriae fines inſtaurat.* ibid.
Ovidius. 712

P.

Paduanus. 133
Palatinorum origo. 33. *et ſeq. illorum iura.* 34

Pal-

Palmerius. 688
Paulus Langius notatur. 452
Partis acquieſcere prudentisſima creſcendi ratio. 415
Pearſonus. 617
Peregrinaturo quid obſervandum? 340
Perſius. 698
Petavius notatur. 617
Petronius laudatur. 142
Petrus de Andlo. 619
Petrus Bembus commendatur. 39
Petrus Rigenſis laudatur. 77
Philoſophia malorum medicina. 363
Philoſophia moralis utrum more Mathematicor. docenda? 139
Pietas in animo, non labris naſcatur. 350
Pila Tiburtina. 689
Pindarus. 697
Plato notatur. 276
Plinius. 689
Plutarchus. 343
Poeta nemo, niſi hiſtoricus. 205
Poetae officium. 233
Politianus notatur. 194
Polonia tributaria. 79
Polycarpi Epiſtola. 450
Polybius commendatur. 370. 586
Pomeranorum origines obſcurae. 659
Pontificiorum reliquiae quid veri oſtendant? 693
Pontus Heuterus notatur. 108
Portae vocabulum qva ratione invaluerit? 690
Potentia nimia raro diuturna. 30

Potentia nimia raro capit ſe ipſam. 96
Praeceps baud diuturnum. 63
Praelium ad Album montem. 426
Praetenſiones inter Imperat. qua Imperat. et orientem nullae. 43
Principes Graeciae literati. 697
Priſcianus. 689
Procopius. 591
Prudens praevidet, qvod providere non poteſt. 12
Prudentia civilis qvomodo comparanda. 573
Prudentis eſt multa ſcire, non omnia exeqvi. 408
Pufendorfius. 431
Publius Victorius. 690

Q.

Quercetanus commendatur. 202

R.

Regalium *vocis origo.* 50
Regni Hieroſolymitani amiſſio. 147
Reidanus laudatur. 104
Reineſius. 563
Religio Medici. 84
Religionem concordia fovet, diſcordia turbat. 350
Rennepagius. 566
Reverentius eſt de DEO credere, qvam ſcire. 84
Ricciolus caſtigatur. 588
Rigordus laudatur. 77
Rolenvincius notatur. 82
Roma. 691. forma eius prima. 692. et ſplendor. 595
Romulus. 691
Rudolpho Habsburgio male adſcribitur edictum de uſu lingvae germ. in formulis publicis 22

S.

Sabaudia antiqvitatis ſtudio refloreſcit. 360
Salmaſius notatur. 103. 688
Salluſtius notatur. 646
Sanderſonus commendatur. 234. *notat Balduinum.* ib.
Saxonia antiqviſſima ubi contineatur? 192. *et antiqva?* ibid.
Saxoniae inferioris potentia Gallis inviſa. 19
Saxoniae veteris hiſtoria unde petenda? 318
Saxonum renunciatio iuris patrocinii hereditarii in Erfurtum. 191. *eorum ius reſervatum.* ibid.
Scaevola commendatur. 329. 331
Scalae hiſtoria. 588
Schedelii Chronicon. 335
Schilterus laudatur. 171. 175. 607
Schmidius notatur. 266
Schumacheri malum omen. 352
Sciendi deſiderium a natura. 690
Securus eſt, qvi tempeſtive metuit. 530. 534
Sedini deditio. 527. 529. 540
Sena. 689. *Gallica unde appelletur?* ibid.
Seneca nomine Chriſtiani indignus. 84. *literae ab eo ad Paulum ſcriptae ſpuriae* ibid.
Servius. 696
Sextus Rufus. 690
Sicambrorum mentio apud Strabonem. 98
Sidonius Apollinaris. 205. 210
Silius. ibid.
Spes longius porrigit, ac credi ſolet. 96
Spiritus a functione generandi remoti. 20
Stephanus notatur. 343
Strabo. 344. 695

Stroz-

Stroza Pallavicinus. 479. Paulum Sarpium, et Ioann. Sleidanum caſtigat. ibid.
Sturleſonii Chronicon notatur. 78
Suffragium omnium optandum, cum de omnium ſalute agitur. 92
Sufridus Petri notatur. 318
Supplicia occulta, a Karol. M. in Saxones, ſacra deſerentes, conſtituta, fabuloſa. 82
Svareſius laudatur. 361
Sycia. 698

T.

Taubmannus. 695
Theocritus. 344 688
Theophraſti liber de Rep. cuius notae. 276
Thuldenus notatur. 319
Thuringia ad Saxones pertinet. 191
Titulus, DEI gratia, *non ultra Karolingos profertur.* 50
Tituli, Miniſtriſſimi, *primus uſus.* 702
Traiecti ad moſam deditio. 91
Trapezuntius. 345
Trebonianus laudatur. 548. notatur. ibid.
Triſtanus. 502
Tritenhemius notatur. 98. 220
Tuiſco. 686
Tuiſconis, et Tuiſtonis mala cofuſio. 687
Turenii prudentia militaris. 274

V.

Varro. 694
Vbbo Emmius commendatur. 318
Vbi omnes regunt, nullus paret. 299

Venetorum de Germanis iudicium. 286. *Maris Adriatici Dominium.* 133. *ritus circa idem. ibid.*
Auctor illius. ibid.
Veritas ſeipſa contenta. 690
Vernerus Rolenvicius. 82
Veſt-Franci qui? 30
Via honoris diviniſſima virtute obtinetur. 27
Viciſſitudo rerum. 30
Victorius Siri. 100
Virtus Heroica ſub rege regem, ſub aquila aquilam aemulatur. 30
Virgilii laudes. 232. 712
Vitus Amerbachius laudatur. 57
Vitrici Vocabuli obſcura notio in denotando Ecclesiae Curatore. 236
Vittenii elogia 643. et eiusdem fatum. 644
Vlpianus. 548
Vngariae regnum quale? 25
Vocabulorum barbarorum qualis uſus? 345
Vrangelius nephritide mortuus. 104
Vrbanus IV Siciliam ad Gallos devolvit. 636

X.

Xenophon laudatur. 57
Xylandri Plutarchus commendatur. 343

Z.

Zembla nova. 547
Zieglerus laudatur. 563
Zunnerus. 221
Zoſimus cuius ſeculi ſcriptor. 591

ME-

741 _ 1

MEMORIA
CONR. SAMVELIS
SCHVRZFLEISCHII,

IN EXEQVIIS ILLIVS

NOMINE TOTIVS ACADEMIAE

RENOVATA

A

IO. GVILELMO BERGERO, P. P.

142 - 2

DIonyſium Longinum Caſſium ſua, CONRADVM SAMVELEM SCHVRZFLEISCHIVM noſtra aetas numeravit in ornamentis, qvae literarum dignitatem ſumma et ingenii, et doctrinae, et nominis maximarumqve virtutum amplitudine tuentur. Tanta ceteris, qvorum et plurimos, et praeſtantiſſimos habebat, aeqvalibus antecellebat gloria Longinus, ut aevi ſui ſpirans Bibliotheca, et vivum Muſeum, publico atqve inſigni ad memoriam copioſiſſimae apparatiſſimaeqve ſcientiae elogio, nominaretur. Nihilo ſecius exiſtimaverit de Schurzfleiſchio, qvi vel viderit noveritqve virum, vel huius ſcripta evolverit, in qvo tanta omnis doctrinae praeſtantia, tanta tamqve ſingularis memoriae facultas inerat, ut haberet in numerato, qvidqvid omnis aevi elegantia complectitur, et facile, nec praemeditatus expromeret, qvod vel doctioribus inveſtigatu difficile, indoctis autem nullo perqvirendum ſtudio videretur. De patria Longini non conſtat ſatis, qvem alii Syrum, alii Pamphylium, fuiſſe ſuſpicantur: nec perinde pater eius, ac mater memoratur Frontonis, ſoror Frontonis, oratoris celebris, et, ſi qvosdam audiamus, Plutarchi ſtirpe orti, qvi Longinum dilexit in modum filii, fortunarumqve reliqvit heredem. At Conradus ortu ſuo illuſtravit

Corbacum Valdecciorum A. cIↄ Iↄc XLII. extremo natus, patre qvidem V. C. Ioanne Schurzfleiſchio, incluti, qvod Corbaci bonae mentis officinam inſtruit, Gymnaſii Prorectore multis magnisqve meritis cumulatiſſimo, matre vero Anna Guda Benigna, natalibus Fulderianis oriunda, atqve omne ſexus ſui decus moribus emendatiſſimis complexa, parentibus optimis et nobiliſſimis, qvorum fidem, educando praeſtitam, ipſe, obſervantia qvanta potuit maxima, coluit, et ſcriptis publice teſtatus eſt, maioremqve in modum gratiſſimo animo collaudavit. Nec vero ignorari voluit, qvorum ſaepe multumqve recordatus eſt, avum paternumDanielem Schurzfleiſchium,Conſulem qvondam Vildungenſem, prudentia,fide, auctoritate et rebus in republica bene geſtis ampliſſimum: maternum vero Everardum Fulderum, virum divinarum literarum maximopere peritum, et eloqventia ſacra clarum, ob eamqve rem, mutatis ſaepius fortunarum ſedibus, ad ſacrorum adminiſtrationem principio Battenbergam, tum Gambacum, tandem Buzbacum Veteraviae rite accitum: et aviam, qvam in matrimonium duxerat ille, Margaretham, Henrici Scribae, ſacerdotio qvondam Gottelsheimenſi ſancte perfuncti, filiam, et tam ſpectatae vitae doctrinaeqve marito dignam. Parens Ioannes, cum duobus annis Vildungae ſacra feciſſet in aula Chriſtiani, Comitis Valdecciae, pluresqve ſacri muneris conditiones paſſim, intra et extra patriam, deprecaretur, commutatis rationibus, cum aulae periculum inſtaret, nec mul-

to poſt Comes hoſtis iudicaretur a Landgravio Haſſo Caſſellano, et finibus ſuis excedere coactus, opem a Caeſare peteret, evocatus Corbacum, bonas literas praeclare docuit, ſchediaſmata omnis generis philoſophica et theologica, alia qvoqve ſanctioris hiſtoriae capita, more inſtitutoqve eius loci, ſubiecit ad diſputandum, et defendit. Alioqvi familiariter fuit cum ſeniore Goclenio, cive ſuo, et ſubinde monuit de vetuſtate familiae ſuae, qvae ultra qvadringentos annos in agro Vildungenſi confediſſet, ibiqve fundos eſſe et prata, qvae ultra aliqvot ſecula nomen tulerint a Schurzfleiſchiis, pariter atqve ipſe, in deſcriptione fontium acidorum, Eccardus conſimile qvid tradit. Longinus, poſthabitis rebus omnibus, ad liberalium diſciplinarum cupiditatem ducebatur, ea praeditus ingenii docilitate, ut facile difficultatibus occurreret, et iis uſus parentibus, qvi non ſolum indolem pueri propenſionemqve animi foverent, ſed etiam comites itineris filio adoleſcentulo ſeſe adiungerent, cum eoqve multas peragrarent regiones, ut eſſent iidem et moris, et factae in ſtudiorum conatibus progreſſionis, animadverſores. Ad rerum praeſtantium cognitionem, qvam in bonis ſuis ducebat poſtea, qvodam laudis impetu ferebatur Conradus, cui natura parum molis et corporis, ſed tanto plus animi atqve ingenii tribuerat, et Longino nihil cedebat fulgenti in aetate tenella indole, qvae, excitatis mentis uiribus, exſplendeſcebat: educandi autem exemplo longe felicior erat, qvod parentes ineuntis aetatis primor-

mordia ſacri fontis initiabant myſteriis, et tam cari pignoris ſpem, fundamentumqve omnis fortunae, ſalutari Servatoris auſpicio ad futuros literarum uſus conſecrabant. Nactus hunc vitae ducem, qvem audiverat magis, qvam agnoverat Longinus, meliori proficiendi ſorte paullatim didicit a parentibus, qvae tandem princeps, et neceſſaria, et vera, et aeterna, et omnibus, qvi operam perdi nolint, expetenda ſit ſapientia, eademqve opera in literis, ad qvas natus videbatur, tanta cepit incrementa, ut, aetatem ſuperante ingenii curſu, non amplius in domeſticae inſtitutionis angulo latitare, ſed in publico patrii Gymnaſii ſpatio experiri vires, aemulariqve ingenia, et, ſi divinae mentis ardorem revocemus in memoriam, iam certandi labore gloriaqve vincere vellet. Non repetebat altius, ut Longinus, ſed in promtu habebat et amplectebatur diſciplinam hominum eruditiſſimorum, Niſanii, qvi ſubſeqventi tempore Bilefeldenſis dignitate antiſtitis auctus eſt, huiusqve in derelicta Gymnaſii moderandi provincia ſucceſſoris, Scipionis, et aliorum, qvorum iudiciis animum, ingenium, ſtudium, praeſertim politioris humanitatis, confeſtim et mirifice probavit, expectationem qvoqve celeritate arripiendi, qvae tradebantur, et adoleſcente ſupra aetatem iudicio ſuperavit, et multis adeo nec fallentibus frugis expectandae indiciis concitatam ſpem confirmavit, ad accuratam Graeci Latiniqve ſermonis intelligentiam omni niſus ope, in eoqve cultus capiendi conſilio paterna cura peritiaqve adiutus. Non, ut

 illi

illi cum Longino, ita cum hoc peregrinati ſunt parentes, nec dubitarunt tamen e ſinu gremioqve ſuo aliqvandiu dimittere filium, cum, virtute aetati antevertente, in curſu laudis iis iam proceſſiſſet ſpatiis, ut ſuffragio doctorum patronorumqve, qvorum plures admiratione profectus ſibi conciliaverat, curis gravioribus, et conatibus maioribus ſufficere videretur. Ioannes Vietor, praecipuae in Aula Valdeccia, cui Praeſidis et *Cancellarii* nomine praeerat, et dignitatis et auctoritatis, idemqve perſpicax, et Boxhorniis inſtitutionibus eruditus, exiſtimator ingeniorum, in ſolemni adoleſcentum de palma diſceptantium periclitatione, parenti Samuelis, fere ut Oloro Thucydidis patri in Olympiis Herodotus, gratulatus eſt, et converſus ad filium. *Pater tuus*, inqvit, *nives ſpargit, meritisqve venerationem aetati addit, in te magnum Boxhornium, Salmaſiumqve deſtinat, et erudito Orbi pollicetur.* Nec multo poſt. *Filius tuus*, inqvit, *aliam regionem qvaerit, cum Valdeccia non ſufficiat.* Non aliter Haxthuſius, qvi Caſſellis *Vice-Cancellarii*, ut vocant, amplitudinem ſuſtinebat: *E patria*, inqvit, *egrediendum eſt, ut emergas et Academiam ornes, ſerviasqve Orbi.* Antonius Hagenbuſchius, qvondam Giſſae Profeſſor et Polyhiſtor aetatis ſuae eximius, poſt Antiſtes divinorum in Valdeccia coetuum, pronunciavit, *multa omnia ſibi data eſſe, qvibus adductus ſit, ut ſentiat, Ioannis filium lumen decusqve patriae, et ornamentum Orbis, qva literis colitur, futurum.* Tot tamqve pulcris omnibus, et tantis conceptae

ſpei

ſpei teſtimoniis confirmatus, Giſſam, potiſſimum de ſententia patris, ſexto decimo aetatis anno commigravit, eoqve delatus, adiit excellentes in vario doctrinarum genere magiſtros, pariter atqve Ammonium et Origenem Alexandriae, qvantum coniici poteſt, Longinus. Feſtinavit in primis, contulitqve ſe ad Ioannem Conradum Ditericum, Varronem Cattorum, cuius doctrinis interioribus atqve ab aliorum conſortione ſeiunctis, et integri prope triennii hoſpitio convictuqve uſus eſt, cuius etiam domeſtica familiariqve conſvetudine, cum apud eum filii ſvavitatem obtinere videretur, in ſapientiae, perinde atqve in antiqvitatis, hiſtoriae, literarumqve ſtudiis egregie profecit, et, patefacto ad Bibliothecam aditu, ſcientiam iam partam locupletavit, adeo ut pro religione memoris animi, qvem nunqvam deponebat, ipſe ſoleret prae ſe ferre, tanti doctoris fide beneficioqve iactum fuiſſe fundamentum illius, qva vivam qvandam Bibliothecam aperiebat, cognitionis, eiusdemqve, ut nominare ſolebat in ſcholis, amantiſſimi et maxime obſervandi praeceptoris memoriam bonis recordationibus proſeqveretur, et, qvandocunqve ferebat occaſio, publicis privatisqve laudibus identidem efferret. Sermonibus et diſputationibus, qvae praeſtantiores ipſis ſcriptis videbantur, excolebatur Longinus ille qvidem, ſed in Platonicae familiae placitis acqvieſcebat, nec, pro ſuperſtitionis ſuae perſuaſione, aſpirabat ad dignitatem veritatis divinae, ad cuius exqviſitiorem intelligentiam Conrado, ad ſumma qvae-

qvaeqve contendenti, lumen praeferebant, Duumviri ſpectatiſſimi, Feuerbornius et Menzerus. Iuris civilis imperitum fuiſſe Longinum, nemo dixerit, cui vel leviter exploratum ſit munus, qvod ſuſtinuit iuxta, ac praeceptis finxit informavitqve, civilis oratoris: at civilis prudentiae, qva, ex iure ueteri repetita, Conradus ſcriptores antiqvos explanavit, commentationesqve ſuas copioſe inſtruxit, ultima veſtigia et primas qvaſi lineas, e qvibus tamen aetatis progreſſione maius excitatum ſit opus, agnoſcere videmur in diſciplina Taboris, Cattorum Papiniani, qva ut plura et potiora didicit ille, ſic cavit diligenter, ne, in explicandis veterum formulis, cum A. Politiano, Claudioqve Salmaſio, offenderet, et iuris ſcientibus daret ſermonem. Ipſe labor in tam multiplici, tam gravi, atqve ad tantos uſus comparato, ſtudiorum genere praeco ſuae praeſtantiae ac teſtis eſt, nec tamen defuerunt ſpecimina, qvibus opinio laudis creſcentis augeretur, et reputatum eſt ingenii praecellentis exemplum, qvod, duce ad publicum conflictum Leblevio, parato ad reſpondendum animo, prodebatur. Non ſatis erat Longino, Alexandriae vixiſſe, ſed adeundae videbantur Athenae, illae omnium doctrinarum inventrices, ubi haberet, qvos ſeqveretur, in iisqve Theodotum atqve Eubulum, Athenaeum et Muſonium, partim Platonicae, partim Stoicae doctrinae ſcitis, ad reconditae ſcientiae commendationem, edoctos. Nec vero Samueli committendum videbatur, ut, emendatorum parente ſacrorum neglecta, in complexu filiae

liae conqvieſceret, et diutius abeſſet Vitemberga, qvam norat, potiori iuris argumento religionis divinitus repurgatae, atqve Athenas eruditionis inventae, principatum ſibi vindicare, et inde a temporibus communis Germaniae Praeceptoris, Philippi, florentiſſimam literarum ſedem fuiſſe, et praecipuis, ac compluribus, etiam nunc, doctoribus decus, a maioribus traditum, tueri. Qvare, auctore conſilii Vietore, qvem materna neceſſitudine attingebat, A. cIↄ Iↄc LXI. in viam ſe dedit, neqve hic, ut Alexandriae qvondam Plotinus, inter doctores deſideravit doctores, ex eorumqve ſcholis triſtis et moeſtus diſceſſit, ſed Abraami Calovii primo ſtatim conſpectu, tanqvam ſacro qvodam fortunae augurio, ſpem ſumtus temporisqve bene collocandi concepit, et, nervoſa tanti viri doctrina divinoqve ſpiritu perculſus, eum propius et conſtanter veneratus eſt, nec tamen Ioannis Meiſneri ſolidam et ſelectam diſciplinam caſtigatumqve iudicium deſiit admirari, nec lectionis copioſae laboribus Ioannis Andreae Qvenſtaedii auſcultandi ſolertia defuit, uſus etiam exercitatore Ioanne Deutſchmanno, illo doctrinae Calovianae religioſo cuſtode, et alumno ad praeceptoris faſtigium poſtea provecto, eoqve cauſſae diſceptatore atqve arbitro, publica commentatione ſemel atqve iterum praeclare defunctus. Plotinus, cum ſpem fruſtrari videretur Aegyptus, a familiari, cui moeroris ſui cauſſam expoſuerat, ad Ammonium audiendum adductus: Hunc ipſum, inqvit, o amice, qvaerebam. Atqve hic qvidem ille fuit Ammo-

monius, qvem affectatus eſt ipſe Longinus. Conradus, cum coleret magnos divinae mentis interpretes, natura tamen hortante, ac potius DEI nutu, qvi conatus ingeniorum ad varios ſui uſus excitat, ad iuvandas ornandasqve literas incitaretur, non minori efferebatur gaudio videndi audiendiqve Aegidii Strauchii, et, tanto ſtudii rectore atqve adiutore, cuius labores, ingenio artificioqve perfectos, externae, et ſeveri iudicii, gentes laudant tamen, ſigillatim Britanni, populus ad ungvem factus, in vernaculum ſermonem convertunt, et ediſcunt penitus, modo in erudito pulvere radium ducebat, nunc nominatim temporum rationes inibat, faſtorumqve conſularium digerebat ſeriem, modo hiſtorici campi ſpatium emetiebatur, demum Philoſophiae Chriſtianae exercitationibus ſubigebatur, et poſtea, conſtitutis rebus ſuis, in eadem, ubi didicerat, domo docebat alios, et antiqvi domini recolebat memoriam, memorabili deniqve caſus exemplo animam efflabat. Patres, virtutis tam exercitae cognitaeqve permoti momentis, non ſiverunt honorem deeſſe ſurgenti ad maiora ingenio, et Conradum, A. ſuperioris ſeculi qvarto et ſexageſimo, amplificatore auctoritate publica conſtituto, Chriſtiano Trentſchio V. C. praemiis, qvae bene merentibus proponuntur, more maiorum liberaliterqve ornarunt. Recens creatus ingenuarum artium doctor, qvam adeptus erat dignitatem, rebus factisqve defendere paravit, et experimento doctrinae edito, in ſuperiori loco collocatus, plauſus publi-

publicos excitavit, ſcholasqve cum magno audientium concurſu aperuit, et ſuſceptis inſtitutisqve, in diverſis doctrinarum partibus, ſpeciatim in argumento Graecae Latinaeqve humanitatis, critices, hiſtoriae, chronologiae, iuris naturae, gentium, et cognitionis pragmaticae, commentationibus extulit ſeſe altius, et praecipiendi ſolertia allexit plurimos, atqve ad nauandam eruditius tradenti operam invitavit. Fama rei bene geſtae in patriam perlata, ad munus Rectoris doctrinae publicae, in patrio Lyceo capeſſendum, literis publicis excitus eſt, eamqve ſpartam accepit, et magno apparatu laboris non mediocris, cui tamen non pares dabantur iudices et cenſores, ornandam putavit, deſeruit tamen paulo poſt minoribus magiſtris ſuapte ſponte, qvod ſchola non caperet ingenium tam auguſtum, nec rudimentis tirocinii exercendis, verum adultioribus florentibusqve ingeniis, in Academia ad graviores reipublicae perſunctiones praecolendis, et aſſerendis literarum ornamentis, et profligandis e republica literatorum corruptelis, qvadam fati indulgentia deſtinatum. Huc ut rediit, animum, gloriae ſtudio incenſum, ad priſtinos et emolumenti varietate ac magnitudine commendatos, revocavit labores, auditusqve ſimul et cognitus probatusqve eſt, non diminutis languore, ſed qvaeſtu liberali cumulatis doctrinae opibus, ut et maior audientium numerus afflueret, et exiſtimationis domi forisqve magna fieret acceſſio, et tanto pluribus, iisdemqve lautiſſimis fortunis, et ſummo ſplendore viris idem ille iudicaretur di-

dignus, qvi filiorum, ex vicinis remotioribusve terris huc commeantium, moribus ac ſtudiis praeficeretur. Qvorum aliqvibus cum viſum eſſet in vicinam ad Pliſſam Academiam delegare filios, illorum motus auctoritate, et ſtudio videndi mamagiſtram elegantiae, virosqve praeclaros noſcendi ductus, profectionis ſocietatem iniit, et patrum clariſſimorumqve hominum comitate exceptus, non tam de magnificentia operum, et de amoenitate hortorum, qvam de fortuna, doctrinae incremento et comprobatione conſtituenda, cogitare coepit, ac diſſerendo praelegendoqve fortunam loci expertus, dignitatem nominis amplificavit qvidem permultum, et diſcipulorum freqventia floruit, Vitembergam tamen, qvae amores eius deliciasqve occupaverat, reſpectavit identidem, et biennio poſt repetendam duxit. Crederes huc ex Aſia, migraſſe Longinum, ut eruditione ornatiſſima, eloqventiaqve aetatis ſuae graviſſima et caſtigatiſſima illuminaret Athenas noſtras, qvi alioqvi multas et disiunctas, proficiendi animo, pervagatus regiones, Athenis domicilium conſtituit, et auctoritate, qvantum coniectura aſſeqvimur, Frontonis, viri magni in primisqve clari ſubnixus, ſtudium doctrinae ac Philologiae, exqviſitius tractandae, coluit, tam proſpero ſucceſſu laboris, ut in exiſtimandis, recenſendis, interpretandisqve omnis aevi monimentis ei par nemo poneretur, eiusdemqve iudicio, qvod tam prudens ſeqvebatur aetas, ſtaret caderetve, qvidqvid ab eo fuerat vel comprobatum vel notatum. Nec decepti fortaſſe ſunt opi-

opinione, qvi Athenis, colligunt, ſcriptum fuiſſe opus, qvod de ſummo dicendi genere extat, ſupra omnes Rhetorum curas collocandum, qvo ingenium peracutum, iudicium peracre, et accuratae lectionis accommodatio declaratur. Longinum certe, cum profiteretur Athenis, magnum literis decus, nec minorem diſcipulis utilitatem attuliſſe, vel unus indicio ſit Porphyrius, cui poſtero tempore Plotinus uni omnium maxime libros ſuos ordinandos et emendandos tradidit, et qvi, non praetereundus in his curis artifex, praeceptorem ſuum principem Criticorum vocavit. Vitembergam, qvo ſaepius cogitavit, ſimul ac revertit Conradus, labores laboribus, qvaſi diu iam nihil egiſſet, iunxit, et maiori animo rem geſſit, exſuſcitatus egregia voluntate Maecenatum, apud qvorum iam plures maximosqve gratiam inierat, in primis Henrici Friſii, qvoad non omnia literarum funditus apud nos deleantur veſtigia, Magni, qvem, beneficiis, a Frontone in Longinum profectis, longe maiorem, et immortalem omnis doctrinae ſtatorem, epiſtolis, qvae relatae ſunt in volumina, et in vulgus editae, ſaepius ultro reqviſitis, non ſecus ac fortunarum ſuarum propugnatorem colebat. Res belle cecidit, cum Conradus A. illius ſeculi primo et ſeptuageſimo, qvincto Nonas Maias, Patri patriae Ioanni Georgio II. ab hoc Senatus ſanctioris Principe laudatus, tabulis, fide atqve auctoritate publica munitis, delatum Philoſophiam et Hiſtoriam publice extra ordinem profitendi munus, cum eoqve primum ſpei ſuae fructum

caperet, et, transacto biennio, A. eiusdem ſeculi qvarto et ſeptuageſimo, ſexto decimo Calendas Decembreis, ob merita virtutis et doctrinae arceſſito ad conciones aulicas Samuele Benedicto Carpzovio, relictam ab hoc provinciam, prius ab ordine ſapientum commendatus, atqve a Conſilio Academiae publico more maiorum nominatus, obtineret. Nactus iam, qvi virum expectabat, locum, nihilo remiſſiore, ac Longinus, virium contentione priſcae illius ſapientiae, qvam verſibus mandarunt vates, evolvit et diſſerendo excuſſit monimenta, locos poetarum impeditos dilucidis explanationibus expedivit, dubios confirmavit, inqvinatos purgavit, ingeſtos obelo confixit, familiaqve ſubmovit, licentiam ſeculi, qvod nihil ſibi non arrogat, circumſpecta veterum cura et imitatione correxit, et voce exemploqve ad rationem contexendi carminis ipſe praeiuit, artisqve, qvam ignorat iuxta ac faſtidit imperita multitudo, dignitatem reconditi demonſtratione iudicii vindicavit, complures etiam, qvae comparandae erant inter ſeſe, aliorum ſedes ſcriptorum inveſtigavit et reſtituit, ut libri manu eius inſigniti teſtantur, ad conficiendum hoc negotium acuto ingenio, excogitandi ſolertia, inveniendi ſtudio, non unius doctrinae peritia, librorumqve adminiculis, ſi qvisqvam, aptus. Hac ſeſe cum virtute praebet, et mediis his cogitationibus tuendi muneris interponit aliorum curas ſtudiorum, ac potius cum illis coniungit hiſtoriarum et antiqvitatis, ſimiliter ac civilis diſciplinae ſtudia, ad qvae iudicii, et memo-

moriae paene divinae, ſubſidiis iuvabatur: evenit commodum, ut, poſt Carpzovium, Georgius qvoqve Greenius, doctor Hiſtoriarum publicus, et rerum divinarum ſtudio egregius, ad aulicum Dreſenae Sacerdotium abiret, in eiusqve locum Conradus, ante ab Senatu Academico, more rituqve veteri, ſubiectiſſime commendatus, A. praecedentis Seculi octavo et ſeptuageſimo, ſexto Calendas Iulias, ſufficeretur, ea commutandi lege, ut de ſtatione priori decederetur. Hic vero in fundi ſui poſſeſſionem videbatur immiſſus, et auditorum aemulatione excitabat induſtriam, ſelecta, et altioris momenti capita publicis commentationibus, qvae in volumen poſtea creverunt, pertractabat, et commentando ſcribendoqve tantam mentis vim ponebat ante oculos, ut ne ipſe qvidem Longinus, alioqvin ad arguenda temporum ſuorum ingenia natus factusqve, habere uideatur potuiſſe, qvod in rerum vel apparatu, vel delectu, ornatuqve deſideraret. Qvibus rebus fiebat, ut nec numero pauciores, nec cultu inferiores, ex eius, qvam ex Longini, ludo prodirent, et qvi ad eum, tanqvam ad Livium ab ultimis Gadibus Romam, ventitaverant, ii poſthac in remotiſſimas terrarum oras, facto agmine, emiſſi, et longe lateqve diſperſi, colonias doctrinae Schurzfleiſchianae ducerent, et ipſa doctoris ſui profeſſione non vulgaris ſcientiae ſibi conciliarent opinionem, illiusqve famam cum dignitate literarum propagarent. Viri ſcripta legit, celebritatem nominis cognovit, virtutes intellexit, Academia Iulia, et, Caſelianae

memor ac retinens elegantiae, hunc ſibi qvaeſivit optavitqve, qvi vulnus, Hermanni Conringii, praecipuis ornamentis magni, exceſſu civili prudentiae literisqve fatali, acceptum ſanaret: ſed epiſtolis, publice ſcriptis, invitatum, ab officio, qvo Genti Saxonicae, magnificentiſſimae memorabiliqve, qvae cuiusvis telluris artem alit, nutrici, obſtrinxerat obſeqvium, dimovere non poterat, Principem vero movebat, ut illius amaret fidem, et magis faveret meritis, egregioqve provehendae virtutis, exemplo, ſtipendium augeret, coniuncta cum Hiſtoria Graecae inſtitutionis provincia, et uno hoc ſucceſſore lecto, datoqve Balthaſari Stolbergio, qvem non fruſtra ſit, qvisqvis in hominibus, aetatis ſuae Graece doctiſſimis, commemorarit. Hic demum Conrado idem, qvi in Graecia Longino, campus aperiebatur exercendae doctrinae, demonſtrandi iudicii, expromendae ſagacitatis, nec minus inde redundabat in auditores commodi, qvorum celeberrimo comitatu vel ſeptus domi, vel in publicum deductus, modo cum Livio Polybium, modo Salluſtium Tacitumqve cum Thucydide, modo Iſocratem et Demoſthenem cum M. Cicerone, componebat, nunc agebat alia, cummaxime tamen delectari ſolitus enarratione novi Foederis, ad cuius tractationem magna religione animi reverentiaqve accedebat, et cuius muuditiem orationis, non ambitioſius qvaeſitae illius qvidem, nec tamen peregrinitatis uitio corruptae, uſu exemplisqve Graeca lingva utentium, et, data ſingularibus

ob-

obſervationibus opera, ab iniqvis eorum, qvi literaturae huius amplitudinem Thomae Magiſtri et Phrynichi anguſtis finibus metiuntur, iudiciis cenſurisqve vindicabat, Graecae proprietatis indagator perinduſtrius et feliciſſimus, et doctrinae, qvam divinitus datam conſtitutamqve habemus, normam ſine offenſa ſecutus, alienus contra ab omni vel libidine, vel temeritate, aut ſolicitandi lectionem contextus non violati, aut ex ingenio emendandi Codicem aut novis ambitioſisqve opinionibus limpidos veritatis fontes turbandi. Longini cuiusdam, aut Alexandri Polyhiſtoris nominandi forent labores, ſi conata Schurzfleiſchii perſeqvi vellemus, qvi ſpeciminibus operis ſui, prolatis in conſpectum, principes huius artis aeqvavit, domeſticis vero inſtitutis docendi, qvibus tamen publicae ſcholae auctoritatem conciliavit iuvenum multitudo, Salmaſium, ſicut in civili genere praecipiendi Grotium Boxhorniumqve, aemulatus, viam, qva iretur ad huius adyta doctrinae, non ex vulgatis et corruptis ſaepe numero Grammaticorum commentariis, ſed ex ueterum Criticorum enarratorumqve reconditis literis, ſine tergiverſatione aperuit, et qvemadmodum Cyrillus, Philoxenus, et alii antiqviores abſtruſarum notionum interpretes, tum originum Graecarum explanatores, non ſolum circumſpectius adhibendi, ſed etiam emendatius legendi ſint, ex ſuo ipſius uſu, atqve ex interiori eruditorum conſilio, expoſuit, non omiſſa ſubmonendi cura, ubi laboret nondum ſanatus Pollux, cubet in men-

 dis

dis Heſychius, nimium ſibi indulgeat Euſtathius, deficiat Budaei labor, alienarum opum egeat Theſaurus Stephani, nimium fidat ingenio Heinſius, et Tanaqve Faber, et qvam indigne, magnum totius Europae ornamentum, Ioachimus Camerarius, in Criticis Sacris deſideretur. Doctorem loqvuntur diſcipuli, qvorum plurimos et ſacris, et civilibus, muniis eruditionis, cuius non parva hic collocata ſunt fundamenta, dignitas admovit, multi qvoqve hanc et alias Academias, in ſeparatis ſtudiorum generibus, pro ſuis qvisqve partibus, ornant, plures illuſtria Gymnaſia, Ludosqve inferioris ordinis inſtituunt doctrinis, fere tamen omnes, ut Longini qvondam diſcipuli, lautioris humanitatis cultu, qvo eminebat doctor, facile diſtinguuntur. Norit Schurzfleiſchium, qvi ſcripta legat, qvae tamen cum, ex prudentia et conſvetudine Longini, non numero, ſed bonitate et pondere, vellet aeſtimari, nolebat admetiri, et communicare domi cum diſcipulis, qvam divulgare malebat, poſterioribus tamen curis expoliebat ſemper ac limabat, ſecutus Tullium, Maronem, Pliniumqve, et ſapientiſſimum qvemqve veterum, qvorum opera, abiectis aliorum crudis, ſincero poſteritatis iudicio ſervantur. Permulta ſunt, qvae literis mandavit, in ſcriniis repoſita, qvorum, ut aliqva commemoremus, alia continent in Graecos Latinosqve ſcriptores animadverſiones, alia librorum notitiam iudiciumqve tradunt, alia ritus veteres et ſacras profanasqve antiqvitates percenſent, alia omnis aevi memoriam ex monimentis optimis

mis ac fide digniſſimis repetunt, aliqva doctrinam temporum conſtituunt et refingunt, plura facultatem civilem et pragmaticam inſtruunt, qvaedam rationem imitandi hiſtoricos et oratores effingunt, nec pauca, nec parva, ducunt artis Criticae lineas, et, qvae Longinus uſu et cenſura, ea praeceptionibus regulisqve comprehendunt. Longum eſt narrare, qvae in tot adverſariorum commentaria retulerit, qvibus vel ſuſpicionibus coniecturisqve, vel emendationibus magis exploratis, vel explanationibus et obſervationibus aliorum locorum, oras librorum notaverit et compleverit, qvae iudicia ſingulis praeſcripſerit, qvae ſolutis chartis conſignata, foliis interpoſuerit, ut haec qvoqve opera, doctrinae non tenuis, neqve inelegantis, fructum polliceri videatur. Fidem dictis faciet dies, et, qvae ſtatuerat ille qvidem, fato tamen occupatus edere non poterat, erunt Fratri herediqve, cuius ſcripta iam plura, et, in variis et nobiliſſimis rerum argumentis, ad Schurzfleiſchianae elegantiae legem exculta, vidit eruditus orbis, recenſetqve ac laudat, curae, ne monimenta ingenii tam decori, et publica luce digniſſima, coniiciantur in latebras, iaceantqve cum lucubrationibus aliorum in ſitu et ſqvalore, atqve ut auctori conſtet apud poſteros fructus diurnorum nocturnorumqve laborum. Iuvit ingenium labor, laborem aluit inqvirendi voluptas, utrumqve firmavit et incitavit gloriae ſtimulus, ſed adiumenta difficultatis expediendae, et enitendi altius, ubi veſtigium ſit aliis faciendum, dedit Bibliotheca, in qvam et patrimo-

nium, qvod a Parentibus relictum erat non tenuiſſimum, et omne, qvod gemino muneri ſolvebatur, ſtipendium, et qvidqvid unqvam Herculeo partum labore, ſuum defraudans genium, comparſerat, ſine perdendi egendiqve metu profundebat, in qvam etiam omnis generis libros, inſigniores in primis neqve omnium manibus tritos, tum codices manu ſcriptos et membranas, undecunqve, nullo pretii timore, conqviſitos, ac veteres recentioresqve numos, qvibus antiqvitatem et hiſtoriam ſolebat illuſtrare, inferebat, eo tamen nuper uſus infortunii genere, ut, ſcriniis infami manu compilatis, numi recens cuſi auferrentur. Non ſolum cultiorem, ſed etiam ſapientiorem fuiſſe, comperimus, Graeciam, ex qvo Aegyptum Aſiamqve freqventavit, et Pythagoras, Plato, totqve alii, coeperunt antiſtare ceteris, cum, traiecto mari, ſuſciperet iter, aliorumqve ſapientiam populorum explorarent. Ipſum patria Longinum tulit qvidem, ſed perfecit artibus peregrinatio, cum Euclide, Democrito, Proclino, Plotino, Gentiliano Amelio, Themiſtocle, Phebione, Annio, Medio, Heliodoro Alexandrino, Ammonio, Origene, Theodoto, Eubulo, Hermino, Lyſimacho, Athenaeo, Muſonio, Ptolemaeo, Platonicis, Stoicis, Peripateticis, qvi principatum doctrinae variae ac publicae tenebant, apud complures populos multum familiariterqve verſatum. Qvorum qvidem, intellexit, alios ſententias ſuas prodidiſſe literis, et ſcribendo voluiſſe poſteris prodeſſe, multo vero accuratius, qvae commentati ſint,

coram

coram diſputaſſe, alios vero nihil omnino, aut parum, tradidiſſe ſcriptis, et ſatis habuiſſe, ſi adeuntibus familiaribusqve iudicii ſui copiam feciſſent. Conradus, non ignarus, qvanti ſua perſeqventis ſtudium, qvod non ſola contentione mentis, ſed conſiliis, qvoqve magiſtrorum peritiſſimorum, et aſcitis extrinſecus ſubſidiis perficeretur, intereſſet, conveniri arbitros huius artis non ignobiles, horumqve interiores ſententias exqviri propius et perrogari, et, qvae deeſſent domi, alibi diligentius freqventari Bibliothecas: aliqvam ſtatis laboribus moram interponere, atqve in florentiſſimis Europae regnis provinciisqve qvaeſtum doctrinae maiorem capere ſtatuit, eis praeſertim temporibus, qvibus peſtilens morbus affligebat viciniam, et funeribus urbes agrosqve exhauriebat, et pleriqve civium, propiore periculo conterriti, ac diſſipati, cedebant Academia, et fuga ſalutem petebant. Hac mente A. Seculi praeteriti octogeſimo ad iter ſe paravit, datoqve commeatu, Belgas adiit inde ſoluit iu Britannias, ex his traiecit in Galliam, eamqve pervagatus, venit in Brabantiam, reliquumqve Belgium perluſtravit. Nullas hic delicias et cupedias Apicii, ſed Platonicum animi fructum pabulumqve conſectatus eſt, atqve in otio de negotio proficiendi cogitavit, nec minori, ac Longinus, cura, ubicunqve haeſit, indagavit Viros eruditos, famam nominis, pro ſua literati orbis cognitione, ſecutus qvidem praecipue, non raro tamen latitantem in obſcuro non poſtremam, ut Secundus ille, expertus miratusqve

virtutem. Non vacat, oratione complecti, qvos aetate illa, nihilo ſecius, ac prior aetas Longini celebratur, eminentibus ingeniis affluente, viderit, ſibiqve conciliaverit, et commerciis literarum coniunxerit poſtea, viros clariſſimi comparandiqve antiqvis exempli, cum ſatis magnae ſit laudi ducendum, ex his nominari Spanhemios, Graevios, Gronovios, Vitriarios, Blancardos, Oiſelios, Petiſcos, Noodtios, Drelincourtios, Iſaacos Voſſios, Iuſtellos, Fellos, Pococcios, Vallifios, Bernhardos, Galeos, Fabrottos, Baluzios, Bulialdos, Menagios, Bigotios, qvos in Belgio, Britannia, Gallia, crebrius ſalutavit, facilesqve habuit ac promtos ad negotium, qvod ſuſceperat, ope conſilioqve iuvandum. Omnes, qvas poterat, Bibliothecas inveſtigabat, omnes, qvas norat, inſpicere ſtudebat, et commendatione adiutus, accipiebat Codices et verſabat, ex qvibus plura vel meliora faciebat, vel nondum formis exſcripta, enotabat, hac ſpe fiduciaqve commoratus aliqvanto longius Lugduni Batavorum, Traiecti ad Rhenum, in complexu Graevii, Oxonii, Cantabrigiae, Auguſtae Trinobantum, Lutetiae Pariſiorum, Lovanii, Antverpiae, et in pluribus locis, ubi theſauri aurei, ſive velleris, ſive rami, qvos cum excitatioribus et ſplendidioribus ingeniis appetebat et ſcrutabatur, reconditi latebant. Ita vero habebat, unde Noctes inſtrueret Atticas, pro ratione tamen temporis tam cari, neqve unqvam poſtea recuperandi, qvo prudenter ſoliciteqve utendum putabat, etiam cum Polybio, Diodoro, Strabone, Pauſania ſitus

ſitus locorum, fines regionum, ingenia artesqve populorum, culta terra mariqve commercia, mores, habitus, ritusqve gentium obſervabat, et, qvae legendo iam audiendove cognoverat, ea propius, tantoqve maiori et intelligentia, et peritia, contuebatur, ſolitus recenſere ſecum regnorum nationumqve fata, et bella bellorumqve cauſſas, praelia, horumqve eventa, et referre in pugillares, qvibus vel Geographia, vel hiſtoria, vel cognitio civilis, iuvaretur. Hinc illa tam expromta, tam uber atqve inexhauſta, diſſerendi copia, cum nihil, iis geſtum locis, nuntiaretur, qvin ex memoria eorum, qvae viderat et exploraverat, omnia copioſius et planius exponeret, nihil dubitationem poſſet afferre, qvin, exemto celeriter ſcrupulo, ſciendi curam ſolicitudinemqve levaret. Augeſcente doctrina, tanto, qvi faciendus erat, ſumtu, minuebantur facultates, Conradus tamen, qvi ſcientia, qvam opibus creſcere malebat, natus ad gloriam, non ad numos in arca ſordide contemplandos, nihil imdiebatur, qvo minus, ut parvula magni laboris formica comportat grana, ſic ipſe libros ex omnibus locis officinisqve conqvireret, codices etiam, ex obſcuris extractos latibulis, et numos bonae notae complures qvovis aere redimeret, et cum Librario Lugdunenſi, qvi viginti iam annos hanc navavit operam, de libris, qvos e re ſua fore iudicaret, diligenter ad ſe curandis paciſceretur. Redibat, unde venerat, tot et tantis gentium, moribus literisqve politarum, uſu ad praeſtantem laudem formatus et librorum ſupellectilem iam copioſam,

ſam, allatis ſecum, praeſidiis apparatioribus pleniorem ornatioremqve faciebat, et gratulatione gaudioqve civium, qvi abſentis deſiderium difficulter ferebant, receptus, ad opes, qvas magnis impenſis, gravibusqve et moleſtiis, et periculis, collegerat, ſecum perfruendas, cunctos, qvorum intereſſe videretur, publica voluntatis bene merendi teſtificatione, liberaliterqve invitabat, et iacturam temporis, qvo abfuiſſet, officiumqve facere non potuiſſet, duplicato labore, ſed duplicata qvoqve gloria, redimere pertendebat, tam fortunato conſilii, qvod nullo rei gerendae ſubſidio deſtitueretur, exitu, ut qvamplurimos, in his illuſtri nobiliqve loco procreatos, iuvenes, qvos aut rudes, aut minus, ac fieri oportuerat, inſtitutos, acceperat, brevi, correctis ſublevatisqve ſtudiorum rationibus, redderet expolitiori cultu, et optimarum rerum ſcientia emendatos, atqve ad expeditius de maioribus ſtudiorum momentis exiſtimandum ſubactos. Omnibus iam copioſe cumulateqve, ſibi nihildum, ſatisfecerat, et qvaſi eum, qvi antiqvitates Romanas revocaret in medium, res in Inſubria, Etruria, Latio, patrum avorumqve memoria geſtas explicando repeteret, et veteri Qviritium eloqventia, Latinaeqve facultatis maieſtate, non haberet aetatis ſuae parem, ſuppuderet, Italiam, honore locoqve Graeciae proximam, omnis humanitatis et doctrinae ad nos traductae parentem, non vidiſſe: Alpes iam tranſcendere, et, qvamlibet magno difficiliqve itinere, trans Apenninum Romam contendere decrevit. A. eiusdem, qvod meminimus, ſeculi primo

mo et nonageſimo cum ſociis, qvos hic ex ſplendidiſſimo convictu Stryckiano aſciverat, pluribus et nobiliſſimis, ipſo qvoqve Io. Samuele, Samuelis, Hoſpitis Illuſtris F. Stryckio, qvi hoc tempore Iurisconſulti et Anteceſſoris Halenſis perſonam ſuſtinet, paternamqve nominis gloriam feliciter aemulatur, iter ea proficiendi et docendi cura iniit, ut, qvae vidiſſet notaſſetqve interdiu, ea veſperi, more Gelliano, recognoſceret, amicisqve explicaret, et, ſuperatis Alpium iugis, Venetias, illam ſuperi maris dominam reginamqve, adiit pariter, ac miratus eſt, et, evolutis hic Beſſarionis Codicibus, luſtratisqve locis aliis, omni feſtinatione properavit ad Etruſcos. Florentiae totus gaudio exultavit, admirabili humanitate Antonii Magliabechii, qvicum iamdudum literarum habuerat commercium, acceptus, ab eoqve in Mediceam, et, conciliato eius curatore, in Laurentianam, Codicum non editorum abundantia et praeſtantia ei praeter ceteras probatam, et appellatis comiter Patribus, in plures introductus Bibliothecas, et omnibus prope horis inviſus, multisqve ac ſingularibus benevolentiae officiis cumulatus. Diſcedenti Conrado iudicii ſui amorisqve, qvi fraternam videatur animorum coniunctionem declarare, teſtimonium dedit Antonius, laudis ſane, a viro Orbi, qva non incultus eſt et barbarus, laudato profectae, plenum. *Ego*, inqvit, *ſi eo eſſem loco, ut Magni Ducis poteſtate fungerer, omnes urbis portas clauderem, ne exiret Schurzfleiſchius, cum qvo vivere hic et mori optarem.* Placebant omnia, qvae ab

ab elegantia loci expectari poterant, Florentiae, et naturae artisqve illecebris irretiebant facile inveſtigatorem luculentarum rerum atqve artium, Conradusqve nunc abdebat ſeſe in Bibliothecas, nunc domos nobiliſſimorum hominum, antiqvitatis, qvam Graecia Latiumqve reliqverat, refertas et exornatas ſpoliis, obibat, et Muſea, ſpectatu atqve admiratione digna, varietate rerum pretioqve aeſtimabat, nunc eruditorum congreſſione conſeſſuqve fruebatur, alio tempore Feſulas, ob Etruſcae vetuſtatis gloriam, et alio, excurrebat, Pratolinum qvoqve ſeceſſum, animi cauſſa, viſebat, Palatium vetus et novum, illius maxime Cimelia, et Florentinarum Codicem Pandectarum, oculis uſurpabat, ſingulari fortunae beneficio, cum Magnus Dux, Coſmus III, ab urbe et aula abeſſet. Iuvabat etiam, praeter ceteros, adire illum antiqvitatis temporumqve theſaurum, Henricum Noriſium, poſtea Romam, ad ſuſcipiendam purpuram, accitum, ad qvem adductus ab Antonio Conradus, vidit agnovitqve, qvod erat domi admiratus. Florentia, cuius vel nomine delectari ſolebat, digreſſus Piſas, Magnum qvem diximus, et qvem literae a tanto nutritore altae ac defenſae, mori non ſinunt, Ducem, conciliante Vitellio, Purpurato, ſalutavit, benigneqve acceptus et auditus eſt in arce Piſana, tum vino donatus, liberaliterqve habitus, et cum magna ſingularis gratiae teſtificatione dimiſſus. Pari modo Sereniſſ. Magni Ducis Filio, Ioanni Gaſtoni, natu minori, officii cauſſa affuit, et, admiſſus ad colloqvium Magni Ducis, vehementer gaviſus eſt, cum au-

audiret de Gente ac Domo Saxonica multa, et magnifice, dici. Rebus ex animi ſententia peractis, honore, qvi Piſis ei habebatur et deferebatur, magnopere recreatus, Senas conceſſit, ubi domiciliis doctrinae publicis et doctorum coetibus non minus, ac Piſis, oblectari coepit, Bartoliqve tumulum in campo ſancto adiit, ac Socinum et Imolam, bene de prudentia iuris meritos, velut vivos ſpirantesqve in monimentis Senenſibus, ſpectavit. Qvo propius abfuit Roma, hoc maior fuit cupiditas viſendi Vrbem, in qvam ingreſſus, miratusqve caput qvondam terrarum Orbis imperii, principio doluit obitum Schelſtratii, qvi eius honori praeter ceteros favere ſolebat, et multis eum modis expectaverat, paullo ante tamen deceſſerat: tum non minori gaudio, ac Plotinum Gentilianumqve Amelium qvondam Longinus, ſalutavit, Ciampinum, Fabrettum, Bellorium, et praeter ceteros Patrem, et pupura, et doctrina illuſtrem, Caſſanatum, qvos in primis incorrupta integritate ſermonis, publico ſtantis Reipublicae uſu terrarum orbis principatum complexi, ſed violati iam, vitioqve temporum depravati, cepit mirifice, et exercitato in argumento antiqvitatis iudicio ad omnes officiorum uſus ſibi conciliavit. Deſiderium Mediceae Laurentianaeqve leniebat conſpectu Vaticanae, in qva, Codicum praeſidiis ad uſus ſuos percommoda, aliqvandiu totum ſe collocabat, et habitabat veluti, ſolitus alioqvin Vrbis, qvae in ruinis et ruderibus maieſtatem ſervat, antiqvitates veſtigiis reliqviarum conſectari, amphitheatra, thea-

tra

tra, circos, arcus, templa, porticus, ſtatuas, aqvaeductus, thermas, balneas, ſeptizonia, agonas, navalia, campum Martium, palatia, montes, colles, hortos, inſpicere non ſine admiratione, Vrbis itinera qvotidie obire, monimenta vetera ſcrutari, inſcriptiones antiqvas vel deſcribere, vel deſcriptas emendare, loca, qvae dubie ſignaverat Livius, propius et certius explorare, et, qva Paulli, Marcelli, Fabii, Scipiones, Capitolium triumphantes aſcenderant, qvaqve Marcus Tullius pro roſtris dixerat, et Vrbe Catilinam pepulerat inermis, coram nec ſine voluptate animi, et cum qvodam venerationis ſenſu contemplari. Tot rerum ſpectaculis, qvae ſedes antiqvitatis eruditae exhibuit, implicitus et diſtrictus, qvatuor, et qvod excedit, menſes ſubſtitit: poſt, cum iam diutius abeſſet a munere publico, Venetias ſe recepit, plures tamen, easdemqve celebriores urbes rediens, et iam ante in ipſo Italiae aditu, intravit, Lucam, Bononiam, Mutinam, Parmam, Placentiam, Ferrariam, Mantuam, Mediolanum, Patavium, ubi erudita Patini filia eum Graece Latineqve affata eſt, et alias, in qvibus reqviſivit Bibliothecas et perveſtigavit: ad extremum lautiori doctrinae ſupellectile, rarioribus et compluribus numis, pluribus etiam, qvibus varia priſci aevi ſpicilegia rerumqve memorabilium obſervationes conſignaverat, ſchedis onuſtus, Venetiis Vindobonam Auſtriae, ex iugis montium ſubinde relatis ad Italiam oculis, remigravit. A. Daniele Neſſelio, Imperatoris Auguſti, Leopoldi Magni, a Bibliotheca, non minori, qvam in Etruſcis a Ma-

Magliabechio, videndi ſtudio acceptus, non ſine admiratione audivit, illuſtrem virum amplioribus in Aula, tot gentium regnorumqve domina, honoribus, ab ipſomet vero ſe muneri, qvod relinquendum ſit, Bibliothecae curandae deſtinari, hocqve conciliatore, Auguſtum veneratus demum, tanto diſceſſit gaudio, ut hoc optatiſſimae fortunae beneficio, qvoad viveret, non iniqve gloriaretur, iamdudum in veneratione tanti et tam moderati Principis, et mitiſſimi, qvo Domus Auſtria utitur, imperii tota mente et cogitatione usqve eo defixus, ut publicis huius triumphis incrementisqve perpetuis omnem privatae ſolicitudinis memoriam obliteraret, et ſpeciatim in Latio Romae, univerſe vero, ubicunqve commoraretur in Italia, Vrbis Italiaeqve Domini litaret ſaluti, et amaret odiſſetqve homines, prout Imperatorem amare viderentur, exemplum deniqve cultus ſui conſtantiſſimi, nec cum corpore ſepeliendi, ſed in ſcriptis ſuis temporumqve monimentis ad poſteritatis manſuri memoriam, Fratri, Henrico Leonardo, Collegae noſtro, ſi bonus, et amans patriae communis, et Germani nominis memor eſſe vellet, ſaepe multumqve commendaret. Egreſſus e Bibliotheca, ad qvam aditum patefecerat Neſſelius, Auguſta, eam Vaticanae in multis aequavit, in qvibusdam praetulit, et, cum plura iam, nec minora agenda eſſent, ſplendore prudentiaque loci tam florentis et regii utendum putavit, iamqve viros in Europae negotiis verſatos, iudicio acres et limatos, conſiliis prudentiſſimos, Regum principumqve conſvetu-

dine percultos, legationum, aliorumqve munerum nominibus et inſignibus eminentes, qvaeſivit pariter et invenit, aliis qvidem, celebritate nominis, et commendatione aliorum, iam cognitus, aliis vero peritia et facultate de Republica Germaniae, et de rationibus dominantis Europae, diſſerendi magnopere probatus. Ne vero ſecturas aerarias, et rei metallicae naturaeqve, admirabilium rerum opificis, opera, qvae ſtupore defigunt aſpicientes, caſtella munitiſſima, regni ſuopte ingenio et ſoli fertilitate aurei, et tot rebus geſtis exemplisqve annalium clariſſimi, ſitum rationemqve non contemplaretur, in vicinas Pannonias latius aliqvantum evagari ſtatuit: e qvibus redux factus, et, relicta ſede Auguſta, per Vindelicos Noricosqve profectus, vel Bibliothecarum, in qvas inciderat, clauſtra ſibi curavit aperienda, vel nobilium doctorumqve hominum ſtudia ſecutus eſt, vel, qvae ad antiqvitatem hiſtoriamqve communis patriae attinent, exqviſivit, et tandem, meliori literarum auſpicio, huc revertit, comite reditus, qvocum exierat, Italiamqve peragraverat, et poſtea Collega iucundiſſime ac coniunctiſſime vixit, Io. Chriſtophoro Vichmanshuſio, hoc tempore literarum, qvas extulit Oriens et perfecit, Doctore Publico, Artis ſuae peritia et exercitatione, ad altum famae meritorumqve gradum evecto. Redditus optatis Academiae, illum iam dudum deſiderantis, maximae et ampliſſimae ſpei menſuram inuſitata et ſcientia copiaqve docendi, et alacritate animi, nulla reprimendi defatigatione, non implevit, ſed ex-

exceſſit. Cum nihil deeſſet Samueli ad excellentem vel doctrinae, vel eloqventiae laudem, eiusdemqve in dicendo vis, atqve in ſcribendo gravitas, conſiderato veteres imitandi exprimendiqve iudicio ſingularis, in aulis exiſtimationem, in ſcholis admirationem, ubicunqve vero literarum non eſt lumen extinctum, laudem gloriamqve excitaſſet: ineunte hoc ſeculo, A. cIↄIↄ cc, qvi Ampliſſimo et Graviſſimo Oratori, Georgio Caſpari Kirchmaiero, fatalis erat, non diu qvaerendus eius ſucceſſor, ſed legendus uidebatur, qvi omnium opinione meritisqve eminebat, Schurzfleiſchius, eidemqve, et diſciplinae Graecae provinciam deponenti, haec nova, et biennio poſt, Profeſſionis Hiſtoricae, cuius alioqvi poſſeſſione ſtipendioqve fratri, meritis commendatiſſimo, ceſſerat, adminiſtratio, ſolemni honoris titulo diſtinguenda, ob egregiam ſingularemqve in hoc ſtudiorum genere facultatem ac peritiam, ut tabulae loqvuntur publicae, decernebatur. Cuius quidem conſilii fructum et ceperunt uberrimum, et animi, qvi accepti momenta beneficii ponderet, certantibus ſtudiis collaudant diſcipuli: merita vero tanti, qvi dicendi genus partibus et numeris eloqventiae excelſae abſolutum, atqve a Longino informatum, ingenio delectuqve unus aetatis ſuae omnium maxime expreſſerat, Oratoris, veneratur Academia, et agnoſcit nominatqve in exemplis honoris eximii Reſpublica, a literis inſtructa, ſed nemo pro dignitate, niſi Schurzfleiſchius, exponat. Longinus non maiori ſapientia et doctrina, qvam pru-

dentia rerumqve gerendarum documento, eluxit, qvi non, ut Fabius et Hermogenes, acumen ſolum rebus inveniendis exercuit, ſed, ut Demoſthenes et Lyſias,, agendis qvoqve iudicium probavit, arceſſitus in aulam Zenobiae, ab eaqve armata Pallade adhibitus in conſilium, qvo de principatu Orientis agebatur. Parum novit Schurzfleiſchium, qvi vim civilis iudicii, qvod vindicandi imperii iuribus, ex dignitate Conringiani exempli, teſtatus eſt, ignoret, idemqve Athenarum ſuarum qvietem, qvam neſcio cuius Palmyrae ſplendorem, magis amavit qvidem, Principibus tamen Viris tanti eſt habitus, ut ab iis ſaepius in aulas invitaretur, in his a Valdeccio Principe, Georgio Friderico, Heroe fortiſſimo pariter, ac prudentiſſimo, a qvo in Belgium, ubi exercitui praeerat Dux conſilii plenus, erogatis ab hoc ſumtibus, venire iuſſus, ſolertiam de rebus maioribus pronuntiandi approbavit, tantamqve apud illum iniit gratiam, ut hic Scipio ab hoc demum Livio deſcribi vellet, eumqve tantis ornaret muneribus, ut ille, nullis facultatum ſuarum impenſis, ſemeſtri amplius ſpatio iis in locis haereret, ſummorumqve hominum exemplis et commercio, ad exacuendam prudentiae vim, ornandasqve ſcientiae copias, uteretur. Qvanta fide, et qvantis rerum argumentis, imperii terrarum principis iura finesqve aſſeruerit, et meminimus omnes, et ſcripta loqvuntur, neqve Auguſtis Imperatoribus, Leopoldo Patri, Ioſephoqve Filio, commemoratum laudatumqve non fuit, ut a tanta illorum, qvibus nihil par ter-

ra-

rarum habet orbis, gratia ſperare, qvod nuntiabatur literis, maxima poſſe videretur, niſi forte ſua, qvam non caſus obiecerat, ſed dederat ratio, contentus eſſe maluiſſet. Huius loci nihil refert, ingeminari, qvae Conrado coram confirmaverat Neſſelius, et qvod plures nihilo minoris fidei afferebant nuncii, aliqvoties in Aula Caeſarea mentionem fuiſſe noſtri factam, cum, ſi qvid huc addendum videatur, nuper admodum, ſplendore loci meritisqve ampliſſimis Perilluſtris, in Aulico Imperii Senatu Conſiliarius, L. Baro de Lyncker, pro ſua, qva Conradi favebat dignitati, egregia voluntate, renunciaverit, apud Auguſtum id agi denuo, ut Conſiliarii Caeſarei nomine et ornamentis brevi diſtinguatur, et alioqvi, ſi qvis famae, tot ſermonibus late percrebreſcenti, ſubdiffidat, idem edoceri poſſint omnes in ephemeridibus Trivoltianis, ubi hi Triumuiri, mortuo Neſſelio, Schurzfleiſchius, Leibnitius, et Thomaſius, in Neſſelii locum nominantur, horum tamen primus reliqvorum utriqve, opinione obtinendae, per vitae rationes, provinciae, praefertur. Nec vero Pater patriae Indulgentiſſimus, Ioannes Georgius III. virtutes Samuelis in oblivione voluit iacere, et, commendatore auctoritate maximo, Perilluſtri Gersdorffio, eiusdem, Dreſenam, in ſedem principalis fortunae, arceſſiti, de cauſis graviſſimis, maxime de Succeſſione Lauenburgica, ſententiam, qvam demiſſiſſime, et pro lectionis ſuae memoria, et circumſpectione, ex momentis fide dignis, expoſuit ille, perclementer audivit, eum tandem,

re bene geſta, probatoqve obſeqvio, dimiſit. Miratus eſt eloqventiam viri, non minorem tamen de negotiis gravioribus ſentiendi dexteritatem, Magnus Etruriae Dux, apud qvem in Italia, facta ſalutandi copia, tam ornata et prudentiae civilis plena oratione uſus eſt ille, ut hic, pro ſua] in homines doctrina claros propenſiſſima voluntate, eum et muneribus, et delatis amplioribus beneficiis honoribusqve, qvos tamen modeſte deprecari malebat vir, patriae educationisqve ſuae memor, arctius ſibi devinciendum putaret. Admiratio viri, tantis a maximis honoribus cumulati, ſcribendi rationem conturbat, qvi praeſtantiae ſuae lumen pluribus aulis intulit, eoqve Regum et Principum, qvi literis ornari rempublicam volunt, praeſtrinxit oculos, et, ne plura dicamus, antehac Tubingam, ad conditionem lautiſſimam, tum ſub ipſa auſpicia conſtituendae inaugurandaeqve Academiae, et nuper, mortuo Chriſtophoro Cellario, clariſſimi nominis viro, iterum Halas Saxonum, auctioribus ſtipendiis et Conſiliarii honoribus invitabatur, fidem tamen, qva vitam ſpiritumqve Sexoniae iamdudum devoverat, ſervare malebat. Honorificentiſſimum vero iudicii ſui teſtimonium ei dedit Sereniſſimus, idemqve Sapientiſſimus, Princeps Saxo Vinarienſis, Vilelmus Erneſtus, qvi eum, liberaliori conductum ſtipendio, in partem conſilii vocavit, eoqve loco et nomine cenſeri voluit, Bibliothecae etiam, qvam Vinariae uberrimam et lectiſſimam, magno ſapientiae principalis exemplo, Muſarumqve vagantium et egentium ſolatio,

ap-

apparat, cum ſummo Praeſidis iure praefecit, et, inſtructum autoritate publica, Hamburgum, Bibliothecam ex comparatis Gudiani theſauri ſubſidiis locupletatum, ablegavit, nec ſecus, ac Longinum Zenobia, Regina ſexus fortunaeqve ſuae eruditiſſima, ob egregias virtutes amavit prolixeqve fovit. Vocem Plotini, qva, Longinum magis eſſe Philologum, qvam Philoſophum, contenderat, prudentiores invidiae et indignationi, cum ab eo diſſentiret in qvibusdam capitibus Longinus, tribuebant: Longinum contra, qvi Athenis Platonicae diſciplinae pulpita occupaverat, huius doctrinae cummaxime narum, et profundo ſcribendi genere exercitatum, eaqve in re aliis exemplo fuiſſe, pronunciabant. Hanc opinionem, qva, noſtris qvoqve temporibus, ſtudia ſociabilis conſortionis pro diſcordibus et contrariis a qvibusdam habentur, exemplo ſuo refellebat vir doctiſſimus, et, qvamvis in omni ſcientia philoſophandi iam olim verſatus, et veterum recentiorumqve inventorum curioſus eſſet explorator, in pragmaticae tamen Grotianaeqve Philoſophiae momentis, ob coniunctiorem et praeſentiorem ſui his in literis uſum, et qvadam ingenii propenſione, magis acqvieſcebat, illud vero terſae orationis ſtudio ſimul aſſeqvebatur, ut diſcipuli, qvi ex cultura eius ad alias Philoſophiae partes, aut ad ſtudiorum ſuperiores acceſſerant ordines, cum Porphyrio, Longini polito lima, multo, ac Plotinus et alii, explanatius, atqve ad intelligendum aptius, res nihilo minores, et easdem, explicarent. Nemo evolvit opus admira-

bile Longini, qvin ingenii altitudinem, et magnitudinem animi, peraeqve agnoſcat, pariter ac nemo vidit audivitqve Schurzfleiſchium, qvin ipſo ſententiarum pondere commentandi faſtigium, et ipſa virili, laterumqve habitu ac ſpecie maiori, ac Periclei aut Domoſthenei cuiusdam oris fulmen imitante, oratione animi robuſti et ſupra res humanas elati, qvo caſus excepit et fregit, interpretationem et ſimulacrum deprehendere videretur. Longinus divinae ſapientiae, qvam ſibi Platonicae alumni diſciplinae ſuperbius arrogabant, non levem ſibi perſuaſionem induerat, opinione tamen ſua non eo, qvo re Conradus, aſcenderat qvi longe maioris pretii opes, ex ſanctiori omnis ſapientiae aerario, qvod divinis cuſtoditur literis, promebat et colligebat, eamqve doctrinam, qvae nos cum DEO coniungit, non, ut Longinus ex Plotinianis aut Ammonianis qvibusdam commentis, ſed ex oraculis coeleſtibus, et, qvi haec ſeqvuntur, caſteqve interpretantur, Graecorum ac Latinorum tractatione et familiaritate doctorum, inſtruebat. Longinus, cum rediiſſet in Syriam, qvantum Reginae gratia et beneficiis exhilaratus, tantum populi, qvi armis potius, qvam artibus, ſtudebat, offenſus imperitia, qvod non haberet, qvi Graece doctus opera Plotini deſcriberet, ita deſiderium Graeciae mitigare, et intervalla negotiorum otio diſpungere ſolitus eſt, ut omnium, qvos illa tulerat et erudiverat aetas, ſcripta, nominatim Plotini, magno labore conqviſita, pervolutaret, et hominum ſapientum, qvos ex remotis terrarum oris

oris perhumaniter invitabat, conſvetudine frueretur, et literis oblectaretur, accipiendis perinde, ac dandis. Venerat huc Conradus, iis qvidem temporibus, qvibus, ut diximus, graviſſimos et acutiſſimos doctores habebat Academia, praecipue tamen eius, qvi hanc in curam cogitationemqve, praeter ceteros, incumberet, opera factum eſt poſtea, ut haec ipſa literarum ſedes humanitatis et elegantiae, qvam in caſtigatis veterum monimentis ſine ſordibus et qvisquiliis habemus, ceteris non iam par, ſed ſuperior eſſe crederetur, idemqve ille permultos, levioribus alioqvin artibus deditos, cohortatione et auctoritate ſua ad doctrinae dignioris ſtudium excitavit, qvi, ut Longinus ex Graecia, et aliunde, ſic ex Belgio, Britannia, Gallia, Italia, et ex aliis, ubi non frigent ingenia, terrarum partibus, libros conſcripſit et coegit, ulterioris et citerioris aevi curas excuſſit et recognovit, alioqvi civium, conſiliis utentium, advenarumqve ſalutationibus, magnisqve ac perpetuis eruditorum coetibus, cultus, et epiſtolarum, ultro citroqve commeantium, officiis ad extremum fere ſpiritum gaviſus, de inclinatione tamen deficientis et ſeneſcentis doctrinae ſaepe multumqve conqveſtus. Plurimi ſunt, faſtigio fortunae, ſplendore munerum, doctrinae celebritate, meritorum fama, maximi, illuſtres, clariſſimi, vivi, mortuive, viri, ad qvos literas miſit, et a qvibus recepit, in his, uti ſuccurrunt, Noriſius, Ciampinus, Magliabechius, Fabrettus, Bellorius, Baluzius, Monachus, Em. Bigotius, Croſius, Iſ. Voſſius, Graevius, Ryqvius, Vitriarius,

Pragettus, Franckenau, Normannus, Ludolphus Conringius, Obrechtus, Neſſelius, Meibomius, Schraderus, Daumius, Chriſtoph. Arnoldus, Vagenſeilius, Spizelius, Schubartus, Rechenbergius, Menckenius, Hanckius, Gryphius, Iac. Richardus, Rudolph. Cappellus, et, qvi longe ſuperiori loco nominandus erat, Sam. Stryckius, ac plures alii: tum Henricus Friſius, Nic. Gersdorfius, Lynckerus, Danckelmanni, L. Baro de Limbach, Legatus Hannoveranus, pluresqve, qvi in Comitiis Regiſpurgi legationes obeunt: amplius Iacobi, Reinhardus, Vaechtlerus, ipſe qvoqve Sereniſſ. Princeps Pater et Illuſtr. Imperii Comes iunior, Valdeccii, et, qvi horum omnium primus erat appellandus, Sereniſſimus Princeps Saxo-Vinarienſis, Vilelmus Erneſtus. Epiſtolarum vero, qvas ediderat, primam, et omnium, qvas ſcripſerat, ultimam, paucis ante obitum diebus dedit ad Ioannem Georgium Boernerum, I. C. Illuſtrem, magnaeqve in Aulae Regiae conſilio, atqve in ſummo Senatu Eccleſiaſtico, amplitudinis, et auctoritatis, ſuum aeqve, ac noſtratis Academiae, Patronum, caſu commemoratione non indigno, cum in huius cultu et acqvieviſſe vivus, et emori potiſſimum voluiſſe, videatur. Extant paſſim indicia, atqve in rebus factisqve Longini comparent, qvibus ei prudentiae auctoritatis, humanitatis, temperantiae, induſtriae, laborumqve patientiae, fortitudinis, pluriumqve laus virtutum, confirmatur. Qvae qvidem cuncta ita conveniunt in Conradum, ut vera, neqve inani ſuperſtitione infucata, religio,

qva

qva hic DEVM veneratus eſt, non conveniat in illum, qvi laudat qvidem Moyſen, ut Porphyrius, et ante hunc Diodorus, verum, ſicut multa perſvadent, nec ſalutari metitur uſu, nec ſeqvitur: contra, qvam Conradus, in promiſſi datiqve divinitus Vindicis innixus fiducia, nullas inferni Angvis inſidias reformidavit, ſacrarumqve tabularum, qvas iuſſu divino propoſuerat DEI ſervus, legem tota mente contemplari, ex eaqve componendi moris et animi regulam petere, ſimul et ſpectare communis naturae fragilitatem ſolitus, non ut ille, ad virtutis ſuae perfectionisqve praeſidium, ſed ad maioris coeleſtisqve meriti praeſidium ſe recepit, et officium, qvod erat Numini praeſtandum, ſancte integreqve, qvoad licebat homini, et conſtanter perſolvit. DEI ſane fretus auxilio, formidoloſis temporibus, qvibus impetum in Saxoniam facturus dicebatur externus populus, et qvibus rebus ſuis, qvoad poterant, conſulebant omnes, ille, ſecurus omnis periculi, qvod omnes mirabantur, relicta, qva nihil carius habebat, Bibliotheca, Hamburgum, libros e ſuppellectile Gudiana emptum, proficiſcebatur, et occupata iam Vitemberga, pluribus de periculo monitus literis, revocari tamen non poterat, tantiſper dum conata perficeret, et, ſepoſitis ad ſubmittendum Codicibus, rediret. Habebat non minus, atqve alii, famae, nec ſane minus rei, fortaſſe plus in ſcribendo elegantiae, ac plus, qvod ſciamus, in pluribus ſtudiis uſus et cognitionis, ut poſſet eosdem, qvos illi, conſeqvi honores, niſi ſatius duxiſſet cum religione animi con-

conſtantiam exaeqvare, uti profeſſus eſt Principi, in cuius terris natus erat, atqve ad qvem Roma ſcribit. *Hic*, inqvit, *et alibi amplae mihi conditiones offeruntur, ſed memor dicti Celſitudinis tuae, ſi cumulatisſimae opes, et regna mundi, offerantur, nihil me deducat, vel mutabit.* Infelix conſilium, cuius culpam in Longinum capta contulit Zenobia, illius prudentiae laudem, ut putant qvidam, contaminavit, qvod ſe Reginamqve evertit, contra qvam Conradus ea in rebus ſuſcipiendis, et procurandis, uſus eſt cautione, ut ne qvid moliretur atqve ageret, cuius eum facti poenitere poſſet. Qvam qvidem rationem vivendi commendavit aliis, et exemplis recte factorum diligenter expreſſit, tantoqve ampliorem gloriam ex conſulatu Academico iterum geſto, et ex Decurionis munere, qvod ſextum adminiſtravit in Ordine ſuo, retulit, et Patribus Civibusqve percarus ac ſummo loco habitus fuit, ut, concordibus Academiae ſuffragiis, non ſolum adhiberetur negotiis, qvae in ſcribendo dicendoqve moratum accuratumqve poſtulant iudicium, ſed etiam, inter alios, ad Sacri ſecularis, qvod inſtabat Academiae, cauſſam apud perilluſtres viros agendam, et alio tempore plura alibi curanda, publice mitteretur. Nolo referre exempla auctoritatis qvae apud omnes, literis non infeſtos, in altiſſimo qvoqve fortunae et dignitatis gradu collocatos, pondus habuit, et qvae in oculis animisqve omnium adhuc inhaeret: tantae alioqvin, ut ei, in circulos philoſophandi diſſerendiqve venienti, Muſarum concio,

pa-

pariter ac Gallo illi Virgiliano, ac potius ipſi Virgilio, aſſurgeret, et forte praeſentem ſpectantemqve, ut illum, veneraretur populus, ac. populari iam, vel rudis ipſius vulgi, conſuetudine, cum hic nominaretur vir doctus, Schurzfleiſchius in primis, ut Romae qvondam Tacitus Pliniusqve, intelligeretur. Omitto manſuetudinem moris, qva deerat nemini, niſi, qvi ea male uteretur: praetereo continentiam animi et abſtinentiam, qvibus ſpernebat illecebras, et velut medicina ad arcendos depellendosqve morbos utebatur, alioqvin a ſanctitate matrimonii et conſilio ducendae uxoris, cum iunior eſſet, non alienus, ſed, neſcio, qvo caſu, ac potius, ſi novimus virum, ſtudiorum curis, ne alia cogitaret, impeditus, et, ſervata coelibatus integritate, ut ille pugnae Leuctricae memoriam, ſic amplificandae doctrinae gloriam, in loco filiae, paterna caritate curaqve complexus. Vt tamen, qvi mirati ſunt Schurzfleiſchium, intelligant omnes, qvam non compreſſis manibus ſedendum, et in utramvis aurem dormiendum ſit non mediocris ſcientiae cupidis, tacitus praeterire non poſſum patientiam tolerantiamqve laborum, qva Didymum qvendam Alexandrinum, ſenex etiam, reddere viſus eſt, talem ac tantam, ut, cum interdiu vel ſcholis, in vario ſeligendae et enucleandae doctrinae argumento, habendis, vel ſalutationibus peregrinantium, qvibus nullus fere dies vacabat, vel epiſtolis accipiendis, atqve ad complures, in diverſis Europae partibus, reddendis, vel conſiliis, in rationibus proficiendi, familiaribus amicisqve dandis, vel

vel eundo in Senatum Academiae, et dicendo ſententiam, vel aliis pluribus et crebrioribus negotiis tempus, ſtudiis domeſticis et prouectioribus impertiendum, eximeretur: Conradum, ſciamus, non cum aliis qvietem cepiſſe, ſed, dormientibus iis, vigilaſſe, et lucubrando illud diurni profectus detrimentum reconcinnaſſe, vigiliisqve nocturnos vigiles, antelucana vero opera meſſores et opifices, ipſumqve Demoſthenem ſuperaſſe. Solebat autem fere, qvae vel olim vincta, vel adhuc ſoluta numeris oratione publice, ſaepius etiam privatim et diligentius ſcribenda eſſent, ea in tempus tam ſerum qvidem, otio tamen rerum ad commentandum, ut rebatur, aptius, differre, et minutioribus ſchedis, qvas excudendas porrigebat, partiri qvidem laborem coeptum, acri tamen tenaciqve cogitatione contextum commentationis, animo iam informatae, ut Plotinum laudat Porphyrius, nihil interrumpere, neqve aliqvo ſententiae hiatu violare. Animum praeclare factorum conſcientia fultum, eoqve magnum et excelſum, qvem norunt omnes et mirati ſunt, publicorum qvidem malorum ſenſus identidem tangebat, et laborantis, ac periclitantis Europae, libertas in diſcrimen adducta, plus qvam alius minoris vel prudentiae, vel ad Germani nominis gloriam propenſionis, privatus ſua putaverit intereſſe, ſolicitum habebat: ſpes tamen in bonitate iuſtitiaqve cauſae, ſociorumqve conſiliis et armis, innixa ſuſtentabat ſemper, et laureatae recreabant literae, qvaſiqve novo qvodam ſucco imbutum, confirmabant: nullus vero pri-

privatorum caſuum, ſi diſceſſeris a ſenſu pietatis atqve ab amore Bibliothecae, infringebat dolor, ſicut ipſe profitebatur ſententia, qvam, Tullianae artis exemplo ſcriptam, amicis memoriae ac benevolentiae teſſeram dare ſolebat: *Vnus eſt huius vitae fluctuantis et turbidae portus, eventura contemnere, ſtare fidenter, aperte tela fortunae adverſo pectore excipere, non latitantem, nec tergiverſantem.* Faceſſat a gravitate Schurzfleiſchiana levitas moris, nec tamen aſperi et difficilis acerbitas ingenii ſuavitatem vivendi minuat, qva curas moleſtiasqve, ubi potuit a libris abſtrahi, ſic temperavit ille, ut invitaret alios ad hilarius et lautius vivendum, et invitatus ab aliis, magno videntium audientiumqve gaudio, veniret, ſalibusqve Socraticis ac iocis condiret qvidem ſermonem, et convivantes recrearet, aliud tamen agendo ſparſis doctrinae ſeminibus ac floribus, erudiret qvoqve, admirationemqve uberrimae, et altiſſimae ſcientiae, obſeqvio et modeſtia commendaret et invidia liberaret, eaqve prudentia, qvi omnium opinione magnus acceſſerat, maior tamen diſcederet, et tam docti, qvam urbani, et elegantis, hominis laudem ex convivio referret, ſatisfacturus omnibus Athenaei Deipnoſophiſtis, et Longini, cum eruditis Platonia celebrantis, inſtitutum ſecutus. Qvo nomine percarus fuit immortalis memoriae Iureconſulto, Caſparo Zieglero, inter cetera ſeverioris doctrinae ornamenta, elegantiſſimo omnis leporis magiſtro, et plane Gratiarum manibus facto, ab eoqve exemplum moris prudenter fingendi petiit,

tiit, et, qvod ſaepenumero faſſus eſt, alia plura, et potiora, in convictu didicit, praeſertim cum ſimul adeſſent Thomaſius, Daſſovius, Knorrius, praeſtanti ſcientia viri, et inter exteros eruditionis cauſſa verſati, qvi non tam corpus epulis curare, qvam ſermonibus fructuoſis et exqviſitis animum paſcere ſolerent. Teſtis eſt omni venuſtate cultior, idemqve omni ſeveritate gravior, Illuſtris Sam. Stryckius, qvi habuit in deliciis Schurzfleiſchium, amavitqve cultus et laudavit laudatus, et convictoris tam docti obſervantia, collocutione, et conſuetudine delectatus eſt, domiqve in Bibliothecam abditum deſideravit, et arceſſi iuſſit, hoc autem memoris obſervantisqve animi monimentum habuit ab illo, ut inſtruendi ingenii, et expoliendi moris, arte prudentiaqve excellere diceretur. Plura, et maiora, dicant iudicia Principum, aliorumqve Perilluſtrium, et amplitudine maximorum, ad qvorum convictum vel admiſſus, vel magno ſaepe ſtudio reqviſitus, eius, qvod deceat, probe memor fuit, triſtitiam tamen moris hilaritate, qvam locus tempusqve popoſcerat, mitigavit, et doctrinam ſubinde magis non retinuit neqve invidit, qvam oſtentavit, et eruditis cogitationibus excultus, erudite, ubi ne putaverat qvidem, diſſeruit, artificum more, qvibus nihil vel facilius, vel iucundius eſt, qvam ex arte ſua loqvi, nihil contra difficilius videtur, qvam in ſermone nihil meminiſſe illarum rerum, qvibus innutriti ſunt, planeqve occupati. Tantus, et tam capax divini humaniqve decoris, animus domicilium,

qvod

qvod incoleret, neſcio qvam amplum, magnificum, et regium, reqvirere videbatur, nactus nihilo minus corpus, non deforme illud qvidem, et qvod oris habitu pudorem qvendam ingenuum honeſtatemqve, et oculorum vigore mentis aciem proderet ac teſtaretur, ſed parvum et tenue, artuum tamen laterumque robore firmum, et membrorum habilitate ad uſus agendi peropportunum. Vt vita Cato, ſic vita et oratione Schurzfleiſchius eſſe, dicamus plura, audiri, legi, expendi, intelligi, qvam videri, malebat. Puer morbis tentatus, procedente deinceps aetate, valetudinis vitium temperantia correxit, eaqve commoda et proſpera uſus, graves continentesqve ſtudiorum labores, tot itinerum difficultates, curas moleſtiasqve, qvibus ſaepius eum fortunae temporumqve rationes implicuerunt, ſuſtinuit: ſi qvid timeret mali, propulſavit inedia, naturaeqve bonitati et viribus medendi partes reliqvit, medicinae tam inſuetus, ut, cum proximo ante obitum menſe aliqvid ſumeret, idem citius, ac ſumtum erat, eiiceretur. Nihil voluptati, qvae corpus debilitat, effoetumqve ſenectuti tradit, unqvam tribuit, nec vero, inter continuatas ſtudiorum operas, ſe, qvantum ſatis erat occupationibus relaxavit, laboribus nihilominus non defatigari, ſed confirmari, viſus eſt qvoad triennio proximo, attritis paullatim viribus, non ceſſit qvidem labori, nedum ſuccubuit, ſuperioris tamen detrimentum ſanitatis cepit, et diſſimulavit magis ac ſprevit, qvam non ſenſit, vel qvod curru, qvo Vinariam vehebatur, excu-

Ddd te-

teretur in itinere, vel qvod aegritudinem animi ex furto numorumqve iactura, in cauſſa et damno Bibliothecae, ſuſcepiſſet, vel qvod nuper de altiori et praecipiti gradu, cum priori animo, non pari tamen genuum neruorumqve firmitudine, more nihilo ſecius ſuo feſtinans, deſcenderet, fallente veſtigio, gravi caſu prolaberetur, vel qvod tot annorum vigiliis ſtudiorumqve curis, et ipſo ſenio, cuius tamen nullam in curando corpore rationem habebat, ſenſim frangeretur, vel demum qvod ſingulae hae cauſſae afferrent aliqvid damni, unde, collatis in unum incommodis, robur qvamlibet magnum et ſolidum convelleretur. Parum laborabat de corpore, qvi referret ad animum cuncta, ſed tanto facilius hoſtis, qvi contemnebatur, inſidebat in viſceribus, lateqve diffuſus, paulatim ſuccum et ſangvinem corrumpebat, ut, aetate provecta, nullus remedio locus eſſet, qvo fons aqvae intercutis obſtrueretur. Cuius qvidem mali vis apparuit proximo, qvod mortem eius anteceſſit, octiduo, cum femur utrumqve gravius intumuit, eoqve tumore altius elato, infimi ventris partes correptae ſunt, bene nihilo ſecius aegroto ſperante, cui meliora cuncta naturae firmitas pollicebatur. Subdiffidentibus tamen, qvi aderant, aliis, praeter ceteros in partes vocatus eſt Paullus Godofredus Sperlingius, Doctor Publicus, et Archiater Anhaltino Serveſtanus, Artis ſuae uſu praeſtantiaqve, dignitate, ac meritis, Ampliſſimus, qvi pro ſalute Collegae, ſibi coniunctiſſimi, omni ope, cura, conſilioqve anniſus, morbum iam invetera-

tum

tum omni remedio maiorem et graviorem eſſe intellexit, atqve invitiſſimus denuntiavit. Aegrotus cum, deficientibus iam viribus, obſtructaque alvo, nihil cibi caperet, ſopore qvoqveopprimeretur, qvem reſpiratio difficilis cum ſuffocatione inſeqvebatur, et pluribus iam propioribusqve ſubmonitus indiciis, cogitatione praeciperet, qvo res eſſet loco, eam, utcunqve caderet, arbitrio ſummi Numinis permiſit, animoqve ad venerationem imperii divini compoſito, curatorem animae, qvi crebrius iam affuerat, Virum Maxime Reverendum, et vita doctrinaqve Probatiſſimum, L. Ioannem Hieronymum de Wedig voluit invitatum, qvicum, remiſſo iamdudum caducis nuntio, contemplatus aeterna, divinae conſolationis momenta excepit animo et repoſuit, eoqve refectus et confirmatus colloqvio, et paullo ante, qvam vitam finiret, ſolemni ſacrae formulae ritu conſecratus, ad ultimum Nonis Qvinctilibus, ab hora qvincta veſpertina, in medio comprecantium, hymnosqve concinentium coetu, in ſalutari, ſine qvo nemini qvidqvam ſpei reliqvum eſſe noverat, Servatoris merito ab omnibus, qvibus perfunctus eſt, laboribus, moleſtiisqve, morte ſomno ſimilima acqvievit, annos natus, niſi vitae ſpatio qvatuor menſes defuiſſent, ſeptem et ſexaginta, et fraternae coniunctionis fidem, qvam in Io. Antonio experiri fatum non ſiverat, ac potius filii pietatem expertus in Fratre, iisdem gradibus ad laudis faſtigium enitente, Henrico Leonardo, Bibliothecae, fortunarumqve omnium, herede

 di-

digniſſimo, cuius virtutibus nobiliſſimis, et doctrinae praeſidiis, factae memoriam iacturae non parum conſolamur. Adeſte iam, CIVES, et nobiscum lacrymate caſum, qvem Orbis, doctrinarum luce colluſtratus, luget, et complorate Longinum veſtratem, qvem non, ut illum, inconſultus animi impetus obiecit hoſti, ſed egregium bene de vobis literisqve merendi ſtudium in ipſum vitae diſcrimen adduxit, non vis ferri, iniurias ulciſcentis, perculit, ſed operoſi laboris contentio exhauſit, et nullis reſtinguendus moleſtiis ardor ornandi decus publicum afflixit ac proſtravit. Tanto doctrinae abundantis damno, qvo vobis opulentiſſima, aperta cunctis et expoſita, et, qvod caput eſt acceptae cladis, Longini cuiusdam, aut Varroniano loqvens ore, eripitur Bibliotheca, et ingenii lumen extinguitur: edoceri tandem vos ſinite, qvam male fruſtraqve reqviratur diſciplina, ubi de medio atqve ex oculis eſt iam ſublata, tamqve efficaci, qvod omnes commovit, et illuſtri, qvod omnes perturbavit, exemplo commoniti, mature diſcite artem bene beateqve non vivendi tantum, ſed etiam moriendi, cum intelligatis, eſſe immortalibus qvoqve viris moriendum. Ite, demiſſo capite moerentes afflictiqve exeqvias, et Doctoris veſtri, Artis ſuae, qva vixit aetate, facile principis, ſanctis Manibus id date, ut hodierno die, a meridie, Hora I. funus ex aedibus, qvas, ut publicam nitidiſſimi cultus ſcholam freqventia veſtra celebrare ſolebatis Strauchianis celebri et plena dignitati

ti

tis pompa freqventes deducatis: primum qvidem in Aedem Marianam, ubi funebri concione memoriam deſideratae virtutis recolet Venerabilis Chryſoſtomus noſtras, CASPAR LOESCHERVS, immortalibus meritis omnia maximae laudis ſpatia iamdudum emenſus: tum, factis rite ſacris, iſthinc in Templum Arci coniunctum. Ibi vero Praeceptoris qvondam ſui, nunc Collegae Deſideratiſſimi, eiusdemqve viri, qvi antea Calovios Meiſnerosqve diſſertiſſima oratione pro roſtris laudavit, et qvi in auguſto hoc loco ob laboris pro incremento Academiae ſumti meritum ſanctiſſimae qvietis perfugium habet: ornamenta, et incommodum, qvod in communem literarum cauſſam ex hoc triſtiſſimo fataliqve profectum eſt caſu, tum vero et rationem DEI, qvi magnos doctores indignis iratus auferre ſolet, religione placandi, rerum momentis gravi, ad commendandam virtutis imitationem praeſtanti, atqve ad Shurzfleiſchiani artem delectus Ornatiſſima, et veſtra omnium attentione digniſſima ratione exponet, eademqve opera memoris documentum auditoris, multo, qvam Porphyrius erga Longinum, nobilius, dabit GOTTLIEB WERNSDORFIVS, Doctor et Profeſſor Theologus, Alumnorumqve Saxonicorum Ephorus, ſanctitate muneris, excellentia doctrinae, meritorumqve amplitudine ac fama ſummopere reverendus et celebratus. Qvod pie ut faciatis, obteſtamur Vos per cumulatiſſima ſummi, qvi coelo receptus eſt, Viri merita, idemqve et grati

lex animi iubet , et poſtulat honos ampliſſimi moeſtiſſimiqve Fratris, Collegae obſervandi, clariſſimis meritis habendus, qvem, acerbiſſimo dolore perculſum, ut DEVS ex moerore recreet, et Academiae, viros, qvi damnum ſarciant, reqvirenti, ſalvum, ac, ſqvalore rebusqve adverſis cum ſecundis proſperisqve commutatis, florentem, praeſtet, Divino, qvod unum ſanaverit acceptum vulnus, Numini nobiscum per ſancte ſupplicate. P. P. Dom. VII. Trinit. A. R. G. 1708.

SEMPITERNA
ILLVSTRIS INTER SAXONAS POLYHISTORIS
C. S. SCHVRZFLEISCHII,
MEMORIA,
SNEEBERGENSIBVS SVIS
COMMENDATA
A
M. IOANNE DOPPERTO,
Rect. Scholæ.

QVi annus fatalis extitit Eccleſiae, ſacroqve Ordini letalia inflixit vulnera, idem fatalis fuit florentiſſimis Academiis, et univerſo litteratorum coetui: planctus roſtra et pulpita complevit, Principumqve penetralia tetigit, moerores et lamentationes undiqve aurem feriunt, ipſumqve coelum, et altiſſima Parnaſſi iuga tranſcendunt. Theologorum Princeps, aeternum venerandi Ordinis decus, omniumqve afflictorum tutiſſimum aſylum, alterqve noſtri temporis Nazianzenus,

SA-

SAMVEL BENEDICTVS CARPZOVIVS, lugendo fato praeceſſit, qvem ſtatim ſub ampliſſimi muneris auſpicium excepit non minoris famae prudentiaeqve Theologus, Chryſoſtomi compellatione merito condignus, ſempiternum Lipſienſis Academiae et aulae ornamentum, GOTTLOB FRIDERICVS SEELIGMANNVS: inter Gallos Cl. MABILLONIVS, et inter Saxonas TENZELIVS et CELLARIVS, duo illuſtres Polyhiſtores, idem Parcarum fatum perſenſerunt, a qva rabie mortisqve inclementia Sudetium iuga in percelebri oratore ſacro Sneeb. CHRISTIANO AMOSO BVRGERO, exemta minus fuere. Saecula deplorabunt caſus funeſtos, damnaqve et ruinas recenſebunt annales, iugis eaqve perennis poſteritatis memoria ictus notabit mortiferos, et praeter ceteros hunc annum nefandi elogio mactabit. Verba rebus deficiunt, nec animus, lacrymarum pelago immerſus, planctum ſatis expromere poteſt, qvem ex tot magnorum virorum clade percepit, et, dum vulnus paullatim concreſcere videbatur, ecce repentino, Muſisqve adverſo caſu refricatur, prorſusqve novo ulcere ſtimulatur. Vellem, ut Muſae mihi concederent, ſacri ſilentii horrore luctum contegere, qvi animum coqvit et angit, ad exemplum pictoris illius, in ſua arte excellentis, et uberi ingenii vena redundantis, de qvo antiquitas commemorabat, qvod velo obumbraverit, qvod penicillo accurate et ex arte exaeqvare deſperabat: enimvero pietas in magnum Praeceptorem, et aeterna in rem literariam merita,

ſanctaqve in Parentem filii propenſio, obſtant, qvo minus obmuteſcat oratio, et ad ingratam ſilentii legem redigatur. Ciceronis in dicendo abundantiam, Demoſthenisqve ſubtilitatem reqvirerent omnino ſummi Polyhiſtoris, cui iamiam paucis ſupremum humanitatis officium perſolvo, merita, non meam in efferendo infantiam: at, cum animum triſtitia, depreſſum ſoletur ac erigat, qvod in arduis rebus nudus conatus, licet infra merita collocetur, et voluntati haudqvaqvam, reſpondeat, iuſtam apud probos honeſtosqve viros laudem inveniat, labenti ſub admirationis onere benevola lectoris mens veniam impertietur. Celeberrimus et in vaſto mundi theatro notiſſimus eſt SCHVRZFLEISCHIVS, qvem iuſtis lacrimis deploro, et qvem ipſe doctrinae ac delicatae eruditionis parens, Apollo, poſt iuſta deſiderat: Polyhiſtor, ſeu ultima antiqvitatis rudera, ſeu martia belli facinora, ſeu exoptatae pacis ornamenta, ſeu deniqve univerſum doctrinarum et diſciplinarum orbem conſidero, ſcientiae incredibilis, iudicii admirabilis, ac memoriae paene divinae, prorſusqve communem mortalium conditionem excedentis. Hunc literarum heroem, divinum politioris doctrinae oraculum, omnisqve Latini Graeciqve nitoris Dictatorem, ſaeculi ſui Livium, alterumqve prudentia hiſtorias factaqve Aularum ac Heroum contexendi Thuanum, feliciſſima ingeniorum effictrix Veſtphalia protulit, qvae ante illum viros peperit virtute et doctrina excellentes, et ad diſciplinarum, virtutum, doctrinarum morumqve

qve

qve honeſtatem, ac artium decora peraptos. Flecto in praeſens orationem ad Arnoldum de Veſalia, Hermannum Buſchium, Goclenium, Rivium, Glandorpium, Burenum et Hermannum Bonnum, qvi venerabili Antiſtitis auctoritate Lubecae ſacris praefuit, coetumqve DEO coactum cum luculenta pietatis, doctrinae, morum integritatis, ſapientiae ac eloqventiae laude diu gubernavit. Haec eſt inclyta illa natio, qvae primum in Germania ſtudia elegantiora ad priſtinum Latii morem compoſuit, et cum Italis, Gallis Britonibusqve, in arenam pugnandiqve palaeſtram conſcendit, quae dedit eruditis Rodolphum Agricolam, Rodolphum Langium, nobili ſtemmate ſatum, Alexandrum Hegium, Daventrienſis ſcholae moderatorem et anteſignanum, qvi, velut alter Apelles, effinxit immortalis memoriae virum, Eraſmum Roterodamum, Io. Murmellium, Hermannum Buſchium, Timannum Camenerum, doctorem Monaſterii ante Fanaticorum tumultus felicem, qvae in lucem eduxit Ludoicum Dringebergium, Seleſtadii fabricantem praeclaros Muſarum Doctores, et communes doctrinarum Patronos, Iacobum Vimphelingium, Io. Capnionem, Conradum Celtem, Beatum Rhenanum, Eraſmo arctiore amicitiae nexu devinctum, Stabium, Dalburgium, illuſtriſſimos Fürſtenbergios, familiam Thonnickerianam, in Sudetibus noſtris DEI nutu adhuc florentem, multisqve Eccleſiae ac fori luminibus diſtinctam, et alios complures, qvorum merita praedicant ſcholae, et doctrinas prudentiamqve templa et fora ex-

extollunt. Ad tot tantorumque virorum exemplar SAMVELIS animus ſupra fortunam elatus, mens ad ipſam immortalitatem erecta, capaciſſimum omnium artium ac ſcientiarum ingenium, dies noctesqve poſteritatis gloria concitabatur, qvi conatus heroa ingenia a rebus caducis abſtrahit, et ex pulvere ac ſordibus extrahit, et matura adhuc aetate fatali qvadam et occulta lege ad magna, et in mundo ſtuporem excitantia, impellit. Stimulos honorum, boni ac iuſti normam, doctrinarum ſemina, ipſamqve immortalitatis palmam, non percepit a vulgari ludimagiſtro, non ab homine, levi mercede conducto, ſed a parente, omni eruditionis apparatu inſtructo, ſcholaeqve Corbacenſis lumine, qvod aedificium, affabre erectum, magis perpoliverunt inter Haſſos Io. Conradus Dieterichus, et Iacobus Le Bleu, uterqve politices et hiſtoriarum notitia praeſtans, nominisqve fama eminens, qvi in Saxonum Parnaſſis faſtigium impoſuerunt Cl. Polyhiſtores, Rappoltus, Thomaſius et percelebris Gedanenſium Theologus, Aegidius Strauchius, cui univerſam matheſeos cognitionem, praecipue abſtruſam temporis rationem, ad Petavii, Scaligeri ac Labbei modum effictam, grata mente refert acceptam. Cum Vitembergae commoraretur Schurzfleiſchius, non genio indulſit, et, pro conſueto more, uni ſtudiorum generi operas addixit, ſed mens divinitate correpta latius evagabatur, et concitato greſſu ad ultimas antiqvitates, gentiumqve origines excurrebat, et ad elegantiora concinnaqve Latii decora

tendebat, ipſamqve ſcientiarum matrem, et qvaſi fontem, Gracciam recludebat, praetermiſſis Grammaticorum tricis, niſi qvas ſibi a poetarum lectione formaret, ſuoqve ſcopo peraptas iudicaret. Tunc temporis inclytum maximeqve pervulgatum fuit Ziegleri nomen, cui faſces in legum peritia doctores libenter ſubmittebant, ſub hoc amplo iuris ſacerdote, hoſpiteqve gravi ita vixit SAMVEL, ut iucunditatem humanioris doctrinae cum legum collatione diſpartiretur, eiusqve commendationem ad Aulam, et perilluſtrem Heroem in toga, Henricum a Friſen, edito prius illuſtri ſpecimine, et vel exqviſitiſſimos ſaeculi viros iuſta liberaque cenſura notante, firmamqve mentis propenſionem in ipſo doctoris pnblici munere, ad tumulum uſqve experiretur. At, ne Schurzfleiſchianae menti qvicqvam deeſſet, ipſos Orientis fontes adiit, ac Theologorum ſcripta, Patrum praecipue antiqviorum, et Eccleſiae annales, improba cura ſcrutatus eſt, magnamqve iniecit Calovio et Meiſnero ſui admirationem, qvorum alterum ob venerabilem Antiſtitis auctoritatem, gravitatem in dicendo, conſtantiam adverſarios refellendi, ardoremqve ſingularem contra novas in Eccleſia opiniones, alterum vero ob prudentiam, mores compoſitos, mentem tranqvillam, eruditionem excellentem et elegantem, et ſubtile diſcernendi genus, magna veneratione ſuſpexit. Animum a Mezentiis prorſus habuit alienum, nullumqve genus hominum magis odio proſecutus eſt, qvam DEI ſacrorumqve contemtores: ſuperſtitiones cultusqve inania fu-

fugiebat, caerimonias autem ab antiqvis Eccleſiae temporibus obſervatas laudabat, inqve plebis gratiam conſervandas eſſe, ſemper ſuadebat. Qvi iamiam intra penetralia domeſtica, et in poetarum ultimisqve omnium gentium theſauris, univerſum terrarum orbem mente ac cogitationibus perluſtraverat, is ipſe, Vlyſſeo conatu peregrinandi deſiderio tactus, multas urbes ac regiones peragravit, et plurimorum hominum in Europa mores ac inſtituta penitus cognovit: Batavorum Athenaea, illuſtres ibidem eruditionis Atlantes, et urbes, nitore commerciisqve enitentes, viſitavit; Britonum ſaevam ac inconſtantem mentem, et inuſitatam Iſaaci Voſſii eruditionem, propius conſpexit; Gallorum fluxos mores ac levitatem, Valeſiorumqve facilitatem, Lutetiae animadvertit; Italorum fraudes, et callidas decipiendi, exterisqve illudendi, aſtutias expertus eſt; ubiqve celeberrimos viros, et abſtruſa bibliothecarum ſcrinia, codicesqve inſpexit, indeqve ingentem doctrinae theſaurum ſibi collegit, domumqve reportavit. In itinere innotuit Principibus, ſummisqve mundi Rectoribus, et, dum Vindobonae eſſet, illuſtris Lambecii commendatione ad ipſum Auguſtum invictiſſimi et glorioſiſſimi Leopoldi alloqvium qvam clementiſſime pervenit, cui ex vetuſto Murenſi Chronico origines Habſpurgicas explanavit, ab eoqve deinde binis epiſtolis honoratus fuit. Florentiſſima Venetorum Respublica ad Ampliſſimum et Illuſtriſſimum Senatus ſui conſeſſum SCHVRZFLEISCHIVM admiſit, eiusqve eruditam, omni-

qve

qve prudentia conditam allocutionem benevola auſcultatione excepit: Coſmus Florentiae, ex innata Mediceorum erga litteratos benevolentia, et elogio percelebris Magliabechii, eum audivit, ſuamqve operam deſideravit: ipſe Innocentius XI. CONRADVM, comitibus Noriſio, Schelſtrateno et Fabretto, vidit: Invictiſſimus Pruſſorum Fridericus, Sereniſſimus Virtembergenſium Dux, illuſtres ac praepotentes Batavorum Ordines, eum, ſecum commorandi gratia, ſolicitarunt, haudqvaqvam tamen expugnarunt. Amor in ſuam Vitembergam Saxoniamqve praevaluit, eumqve clementiſſimum Saxoniae Ducis Vinarienſis, generoſi Doctorum litterarumqve Maecenatis, mandatum flexit, cuius Aula eo acerbius luctuoſum SCHVRZFLEISCHII fatum perferet, qvo flagrantiore deſiderio ſubinde eius praeſentiam, et exoptata in ſtudiorum incrementis conſilia deſideravit, et in poſterum qvoqve deſiderabit. Tot tantaqve ſolidae eruditionis ornamenta conciderunt cum Schurzfleiſchio, qvi Fratri exoptato, Nominisqve felici propagatori, ſectatoribus et defenſoribus, auditoribus proſtratis, et in univerſum eruditis, perpetuum deſiderium reliqvit, cuius obitu ſilent Muſae, Eloqventia obmuteſcit, Matheſis, Grammatica, Poeſis et Hiſtoris, expalleſcunt, ac divina ſapientia, Hippocrates et Papinianus, univerſa antiqvitas, curioſum numerum ſtudium, qvin ipſe Livius, Sleidanus et Thuanus, et tot mutua inter ſaeculi ornamenta litterarum commercia, lacrimas effundunt, lamentantur, et ſine

ſola-

ſolatii aucupio iacturam Academiae perdilectae, et totius Parnaſſi, deplorant. Profecto difficile eſt verbis enarrare, qvid CONRADVS ignoraverit, qvid vero et qvantum ſciverit, multo adhuc difficilius eſt iuſta verborum ſerie enarrare. De Democrito Abderite, Philoſopho, Qvinqvertione dicto, refert vetuſtas, qvod qvinqve Philoſophiae partes, naturam ſcilicet, morum ſcientiam, Matheſin ac liberalium diſciplinarum complexum, omnium deniqve artium rationes optime, calluerit; verum et hunc SCHVRZFLEISCHIVS, et ſi qvi alii ob multiplicem doctrinarum apparatum clari in mundo extiterunt, non modo exaeqvavit, ſed etiam longiſſimo intervallo, et multis paraſangis poſt ſe dereliqvit. Monimenta gloriam SCHVRZFLEISCHIANI nominis propagabunt, et ſerae poſteritatis memoriae commendabunt: CONRADI merita erunt in ore et mente Europae cultioris; Nominis magnitudo, pervadet orbem; et nulla temporum vaſtitate unqvam oblivione, aut perverſis calumniantium obtrectationibus conficietur. Praeclarus et Venerandus in Sudetibus ſacrorum, et omnis elegantioris doctrinae ſacerdos, Vrbanus Gothofredus Siberus, et ego, in Te, CONRADE SAMVEL, Danielis Heinſii verba, qvibus olim manes beati Ioſephi Iuſti Scaligeri in tumulo compellavit, coniicimus: Qvod ſi qvicqvam cogitationum humanarum in Te eſt relictum, ſi tuorum curam adhuc geris, ſi qvi te Parentis et Praeceptoris loco ſemper coluerunt, qvos tu filios merito vocare ſolebas, ſi noſtri, noſtri, inqvam, meminiſ-

miniſſe adhuc potes, o Pater, accipe poſtremum hoc munus, qvod cum vitae noſtrae acerbitate, cum ſordibus et gemitu, a nobis tibi offertur. Nos, orbi optimo parente, praeceptore deſtituti, iucundiſſimo omnium ſtudiorum teſte ac patrono privati, inter litterarum Patronos, hoſtesqve ſapientiae, ac propudia generis humani, ſtrenue pergamus, donec Tecum aliqvando, et cum ipſa aeternitate, coniungamur. Vos autem, Candidati nobiles, litterarum fama clari, prudentiae ac virtutum laude in noſtris oris noti, capite hoc magnum magni Polyhiſtoris exemplum, et ad id veſtram ſtudendi, informandi ac eloqvendi rationem componite, meritaqve Patronorum florentis Sneebergae concinnis ſermonibus, et Schurzfleiſchiano acumine dicendiqve flumine ſolenniter efferte. Maecenates noſtri ſummi, et Ephori huius ſcholae graviſſimi, eo libentius freqventes comparebunt, locumqve invitationi obſeqvioſae, meritisqve SCHVRZFLEISCHII concedent, qvo luculentiora in ſcholam ſuam, publicosqve docendi magiſtros documenta, hucusqve ediderunt, ſuamqve in Muſas benevolentiam, auctoritatem contra lividorum obtrectationes, laudabilem in aedificii nitorem induſtriam, felix promtumqve auſpicium in novum bibliothecae ſacrarium, cum Civitatis ſuae ſplendore, et diuturna nobilium nominum gloria, ipſis Muſis applaudentibus, ſignificaverunt. P. P. Dominica VII. poſt Feſtum Trinit. A. Dionyſiani 1708.

FINIS.

3 . 3 . 364 .

80

Digitized by Google

61

3-3-364

Digitized by Google

32

3-3-364

Digitized by Google

63

3-3-364

64

3. 3. 364

Digitized by Google

by Google

005641467

Digitized by Google

Digitized by Google